Ex libris REV. BARDOU

LIBRARY
ST. MICHAELS COLLEGE

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

CXXX.

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. AUGUSTINUS.

XXIII.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD VIRENQUE, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, nº 16.

S.-CLODOALDI, E TYPOGRAPHEO BELIN-MANDAR.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA:

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVI.

THE INSTITUTE OF INTERNATIONAL STUDIES
TORONTO, CANADA.
DEC -7 1931
2253

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

PARS IV.

OPERA ORATORIA.

CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

AUGUSTINI

ILLUSTRISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI

DD. ALOYSIO BOVIO,

MELFITENSI ET RAPOLLENSI EPISCOPO,

OLIM

IN MONASTERIO CASSINENSI SEMINARII RECTORI,

LECTORI IBIDEM SACRÆ THEOLOGIÆ,

MONTIS-CASSINENSIS ITERUM ABBATI,

ABBATI MONASTERII CAVENSIS,

CONGREGATIONIS CASSINENSIS PRÆSIDI, ETC.

SÆPIUS *attentiusque nobis perpendentibus, cui potissimum nostras de sancto Augustino lucubrationes dedicare deberemus, semper ante oculos obversabatur tanta illa tanti Doctoris imago, quæ similem sui virum non solum ordinis sublimitate, sed dotibus ingenii et virtutum splendore expostulare videbatur. Quem sollicitius exquirere studebamus, quem vix tandem aliquando putabamus re-*

BQ
5672
1537

periendum, tam faciliter quam feliciter, te invento, invenimus, reverendissime Præsul, cujus benevolentia sic nostris arridere dignata est laboribus, ut primum illud tentamentum benigno favore prosequi voluerit.

Tu enim sancti Benedicti non indigni nominis alumnus, illius, inquam, Benedicti, qui scienter nesciens et sapienter indoctus [1], *tot doctorum et sapientum, imo ipsius sapientiæ et doctrinæ quasi pater pluribus abhinc sæculis evasit. Tu* scriba doctus in regno cœlorum proferens de thesauro tuo nova et vetera [2], omni sapientia eruditus [3], *multot empore* datus ad diligentiam legis et Prophetarum [4], *in studiosam juventutem acceptum a Deo lumen refundere voluisti. Tu Augustinianæ virtutis et scientiæ sedulus æmulator, non honorum ambitu, sed meritorum gradibus summum sacerdotii apicem ascendisti. Tu, Doctoris nostri lector assiduus, novis illis beati Augustini supplementis exercitatam manum admovisti, sicut testantur decem Romæ jam in publicum dati sermones, quorum emissio veterum monumentorum curiosas mentes recreavit. Tu cum venerabilibus tuis collegis infirmitatis nostræ antecessor. Tu in ardua, quam ingredimur, via, tutus nobilisque antesignanus; tuis tuorumque vestigiis semper et ubique insistere, hoc nostrum desiderium, hæc gloria nostra, hoc nostrum attentum perpetuumque studium.*

[1] S. Gregor. Magnus in vita S. Benedicti. — [2] Matth. XIII, 52. — [3] Act. VII, 22. — [4] Prolog. Eccli.

Forte inter tanta tua præsentis ministerii opera, inter illas episcopales vigilias, inter continuas non infimæ sedis sollicitudines, inter delusa aut contempta difficilium temporum pericula, non minima laus erit te, pauperum quorumdam sacerdotum, non minus scientiarum studio quam animarum saluti addictum, levia suscepisse munera, quæ ut grata habere volueris suppliciter deprecantur,

TUÆ AMPLITUDINIS

humillimi et devotissimi

servi

A. B. CAILLAU, canonicus
honorarius cenomanensis et cadurcensis,

B. SAINT-YVES, Sancti-Ludovici in
Roma canonicus.

PRÆFATIO.

SYNOPSIS.

I. *Monasteriorum encomium et utilitas.* II. *Bibliothecæ italianæ in pluribus intactæ.* III. *Montis-Cassini monasterium et archivium.* IV. *Monachorum S. Benedicti modestia et studium.* V. *Bibliotheca Laurentiana-Medicea, Florentiæ.* VI. *Bibliotheca principis Ghigi, et sessoriana, sive Sanctæ-Crucis in Jerosolymis, Romæ.* VII. *Extractorum ex his bibliothecis series.* VIII. *Edendorum catalogus.* IX. *Authenticitatis notæ.* X. *Prima nota : nominis inscriptio.* XI. *Secunda nota : discordantium absentia.* XII. *Tertia nota : concordantium præsentia.* XIII. *Editionis ordo.* XIV. *Codicum vetustas.* XV. *Codicum fides.* XVI. *Codicum correctio.* XVII. *Epilogus.*

I. Si quis illas tam multiplices, tam accuratas, tam doctas monachorum lucubrationes perpendere, et præsertim ingentes eorumdem labores raris istis et levibus recentium philosophorum opusculis conferre voluerit, non poterit animus temperare, quin altum justumque dolorem concipiat, cum veterum illorum venerabiliumque claustrorum nonnisi sparsas hinc et illinc ruinas, imo et sæpius ne ruinas quidem illarum pietatis et doctrinæ quasi academiarum, in toto christianissimo regno oculi quærentium perspexerint. Quod autem ingrata simul et demens procul ejecit Gallia, multæ adhuc sapientiores

necnon et religiosiores servare gloriantur regiones, et imprimis sancta illa romana Ecclesia, quæ utpote unitatis centrum, et totius orbis mater, quidquid bonum est, quidquid salutare, quidquid venerandum, non retinet modo, sed et ardentius fovet ac longius propagare nititur. Hic adhuc Carmeli decus; hic divitem in sua paupertate Francisci progeniem; hic doctos Dominici alumnos; hic potentem scientia et virtute Ignatii familiam; hic tam celebrem in litterarum annalibus simplicis illius Benedicti prosapiam videre datur et admirari; hic adhuc claustri silentium non orationi solum et pœnitentiæ, sed et labori et doctrinæ favens; hic impensæ multo melius studio et lectioni longæ illæ horæ, quæ mundani sapientes sæpius in otio, et forte in cupiditatum insania inaniter et non sine crimine consumunt.

II. Hæc cogitantibus nobis gratissimum ad aures insonuit nuntium, et illud quidem ab ore illustrissimo emissum, plures Italiæ bibliothecas ne a Benedictinis quidem Maurinis interrogatas fuisse, cum illas tam commendandas aliunde editiones emitterent, ita ut multi, nec indigni, hinc et inde intacti remanerent thesauri, in lucem non sine magna Ecclesiæ utilitate iterum proferendi. Quæ fuerit talis in tot tantisque viris negligentiæ aut potius prætermissionis causa, non satis constare videtur, sive, ut nonnulli volunt, illi exhaustis majoribus bibliothecis, nihil in minoribus delitescere crediderint, sive, ut ab aliis probabilius traditur, nonnullæ belli aliorumve casuum difficultates, quæ talem impedirent laborem, intercesserint; quidquid sit, nihilominus certum evadit, in plurimis Italiæ bibliothecis antiquos reperiri pretiososque codices, ex quibus, quasi ex ditioribus metallis spirituale ad ornamentum Ecclesiæ, argentum et aurum potest erui.

III. Prima inter illas et codicum numero, et mo-

numentorum vetustate eminet bibliotheca illa Montis-Cassini, quæ post Vaticanam non infimum locum tenere haud immerito dixerim. Quis est inter pios, qui non audierit hujus venerandi Montis sanctitatem, ubi Benedictus post scriptam in Subiaco regulam, novum gratiæ et virtutis fontem reserare dignatus est; ubi ex illa turre, qua adhuc superstite beata terra gloriatur, et S. Scholasticæ sororis, et S. Germani episcopi animas ad cœlos evolare conspexit; ubi tanti magistri, jam a quindecim sæculis defuncti, vivit adhuc in discipulis indeficiens inexhaustusque spiritus? Quis agrorum ubertatis ac proinde populorum abundantiæ cupidus, aridos montes in virides campos hortosque fertiles conversos, asperas rigidasque sylvas amœnis fœcundisque pratis locum cedentes, valles incultas et paludosas ditissimis, felici mutatione, luxuriantes messibus, et tuguria, et villas et civitates oculis, quos primum horrida terrebat solitudo, lætum jucundumque offerentes aspectum, quis hæc omnia, indefessis monachorum laboribus ad effectum perducta, contemplando non exultet? Quis inter artium liberalium amatores non miretur illam ingentis monasterii molem, triplicia claustra, columnas columnis superpositas, marmora sculpturæ artificio illustrissimorum principum vultus spirantia, et imprimis templum illud in quo tanti lapides pretiosi admirationem rapiunt, ut solum supersit pro laude silentium; tantæ primorum artistarum tabellæ attonitis occurrunt oculis, ut defixi in obtutu indesinenter hæreant; tantæ divitiæ in ipso seminantur pavimento, ut vix pedes movere quisque stupefactus audeat? Quis denique in litteratura sive ecclesiastica, sive profana vel paululum exercitatus magna cum aviditate non amplectatur veteres illos pretiososque codices, in quibus hinc Ciceronis, Virgilii, Plinii, Senecæ, aliorumque illustrissimorum oratorum, aut poëtarum, aut philosopho-

rum, non forte adhuc correcta satis[1] opera, illinc sanctiores Chrysostomi, Origenis, Augustini, Leonis, Gregorii, cæterorumque primi nominis christianorum doctorum lucubrationes, manu plus minusve fideli, sed antiqua ubique et ubique venerabili scriptæ et delineatæ continentur? Quis igitur justo sanoque judicio præditus venerandum illum monasticum ordinem, et cum eo alia pleraque religionis instituta de humano genere, licet ingrato, ita bene merita non suspiciat, quæ tot et tanta populis virtutum pietatisque exempla, tot tantasque agriculturæ regiones, tot et tantas gratissimis sculpturæ et picturæ artibus materias, tot demum et tantas ecclesiasticis profanisque litteris memorias suppeditare potuerunt?

IV. Huc non propria voluntate, sed divina certe, dum exules voluntarii ab exagitata nimis patria, longioris absentiæ moras studio fallere proponeremus, Providentia adducti, apud sanctum monasterium (et illud non encomii, sed veritatis et gratitudinis causa profiteor), non abjectas illas invidiosæ scientiæ, quæ absconditos thesauros in lucem emittere detrimentum reputat, suspiciones invenimus, sed nobilem illam generosamque veræ doctrinæ liberalitatem quæ repertas hinc et inde gemmas possidere non

[1] In archivio Montis-Cassini reperitur unus Virgilii codex, in quo quidam celebris illius poëtæ versus, alias incompleti, integri leguntur; sic Æneid. lib. II, v. 65;

. . . . . Et crimine ab uno
Disce omnes, quam sint animis verbisque dolosi.

et lib. II, v. 615;

Ferro accincta vocat, serasque accendit ad iras.

et lib. II, v. 767;

Stant circum, et tacitis implent mugitibus aras.

Idem ille versus pariter legitur in codice antiquiori caract. Longob., cui titulus : *Miscellanea*, tom. XXXI, sæcul. X.

Et lib. II, v. 640;

Vos agitate fugam, et rebus servate secundis.

Hæc et forte alia possint doctis non negligenda videri.

curat, nisi ad publicam utilitatem illas omnium oculis valeat ostentare. Hic nobis conversari datum cum docto illo Montis-Cassini archivista, ecclesiasticam doctrinam quærentibus non parum commendabili, cum Patre illo Frangipane, decem S. Augustini usque adhuc ignotorum sermonum editore [1], qui a quadraginta et amplius annis lectioni et meditationi vetustissimorum codicum addictus, quidquid a majoribus acceptum, quidquid a semetipso studio habuit comparatum, nobiscum communicare, excellentissimus magister, non dubitavit. Inde si quid bonum, si quid sapiens, si quid doctum, in hac nostra collectione, reperiatur totum illud non labori nostro, sed ejus consiliis potius referendum libenter declaramus.

V. Post celebre illud Montis-Cassini archivium, celebrem pariter pariterque divitem Laurentianam-Mediceam Florentiæ bibliothecam, annuente supremo civitatis et regni Duce, favente autem illustrissimo ejusdem bibliothecæ rectore DD. Delfuria, invisere et explorare nobis concessum est; cujus quidem laboris, jam ab annis quatuor incœpti, nondum penitus consummati, sed consummandi celeriter, quasi prælibamentum hodie proferimus.

VI. Non prætermittenda insuper Excellentissimi Principis Ghigi Romæ bibliotheca, necnon et archivium sanctæ Crucis in Jerosolymis [2], unde plures eruimus beati

[1] Habendum est illud S. Augustini supplementum ad complendam ejus editionem. Stampatum est Romæ an. 1819, edente Octavio Fraja-Frangipane. Addenda etiam Dionysii editio viginti-quatuor ejusdem Doctoris sermonum Viennæ typis mandatorum anno 1792. Hos sermones huic nostræ editioni adjungere curabimus.

[2] Bibliotheca Sessoriana, sive *Sanctæ-Crucis* in Jerosolymis multa possidet adhuc inedita, quæ reverendus hujus monasterii archivista, DD. Leander de Corrieri in publicum emittere jamdiu sibi proponebat, quando morte præventus est. Stampis jam supposuerat tres sancti Ambrosii sermones. Cæterorum promulgationem non possunt non vehementer exoptare docti omnes Ecclesiæ alumni, et utinam illa nobis etiam rescribere liceret!

Petri Damiani sermones, quibuscum docti illius Cardinalis operum editio plenior et perfectior evadet.

VII. Hæc sunt autem opera sive fragmenta, quæ ex diversis illis doctrinæ fontibus hausta in publicum emittere statuimus. 1° Quidem multi sancti Augustini sermones huc usque inediti, quorum numerum asserere huc usque non possumus, cum copistarum labor non sit adhuc ad finem usque perductus. Sufficiat annotare jam in isto volumine sexaginta et amplius sermones beati Doctoris contineri, qui quidem omnes aut fere omnes ex bibliotheca Montis-Cassini prodeunt; quinquaginta alios, ex eadem bibliotheca depromptos et ad nos a Roma missos, nostri juris jam factos esse; pluresque a bibliotheca Florentina sperari, cum a tribus annis constanter rescribendo incumbant nonnulli amanuenses; 2° alii quidam sermones eidem S. Augustino non merito tributi, sed, utpote antiqui et inediti, non omnino rejiciendi; 3° nonnulli S. Chrysostomi sermones, quorum sola versio latina nobis occurrit; 4° S. Leonis Papæ sermones duo; 5° epistola, una et quidem pretiosissima, S. Bernardi; 6° fragmenta quædam B. Petri Damiani, quibus adjunguntur ejusdem preces, sermones et epistolæ, ab Eminentissimo Cardinali Zurla, sanctæ romanæ Ecclesiæ olim Vicario, nobis communicatæ; 7° S. Hieronymi fragmenta; 8° S. Hilarii de Laudibus Pauli; 9° S. Maximi epistola; 10° Pauli diaconi fragmenta, et alia minoris momenti.

VIII. Primum quidem volebamus horum sermonum promulgationem differre, usquedum, completo penitus opere, omnes simul ad lucem dare in promptu emergeret. Sed nova recentius publico promissa S. Augustini editio nostram ejusdem Doctoris editionem anticipandi causam præbuit, imo et factis comprobandi, quanto pretiosior novis illis thesauris hæc nostra evaderet, unde in hoc volu-

men collegimus sexaginta et amplius sermones authenticos S. Augustini Hipponensis, necnon et plures sermones eidem falso tributos, quos in appendicem rejecimus, cæteris ejusdem Doctoris ineditis operibus ad aliud tempus, et quidem proximum, dilatis, servatisque aliorum Patrum sermonibus ad complendam uniuscujusque editionem, nisi prius brevem ineditorum illorum operum collectionem adunare jucundius arrideret.

IX. Notandum est interea, et illud ex prænotatis evidenter derivatur, omnia illa non parem inter se habere auctoritatem, ideoque necessarium fuisse severam hic criticesmanum, quanquam non severiorem, admovere[1]. Hæc sunt autem regulæ, quas ad dijudicandam talem tantique momenti litem adhibere justum æqumque duximus. Tres scilicet conditiones ad demonstrandam licujus fragmenti vel sermonis authenticitatem requiri et sufficere nobis visæ sunt; nempe 1° ut veteres codices nomen sancti cujuslibet doctoris aut explicite aut implicite præferrent; 2° ut nihil quod aut ingenio aut stylo scriptoris repugnaret deprehenderetur; 3° tandem ut etiam plura occurrerent, quæ cum notis ejusdem cogitationibus, et communi dicendi genere concordare viderentur. Cujus quidem triplicis conditionis veritas vel paululum attendenti paucis elucidata patebit.

X. Primo quidem requiritur ut veteres codices aut explicite aut saltem implicite sancti doctoris nomen præferant. Nam etsi aliquando fieri possit, ut fragmentum

[1] Dico *severiorem*, quia (quod debita cum reverentia audacior forte profero) Maurini in quibusdam non ab omni suspicione alieni haberi possunt, utpote qui novis erroribus viciniores severiorem iis, quæ recentiori eorum cogitandi modo non plane favebant, manum adhibere videantur, quod quidem ex variis notis in hoc nostrum volumen, necnon et in præcedentia aut sequentia insertis, facillime patebit.

aliquod aut S. Augustino, aut alii cuilibet ex evidenti cogitationum et styli conformitate non sine probabilitate vindicetur, fatendum est tamen ex eo maxime crescere et firmari certitudinem, si veterum codicum testimonio genuinus talis talisve scriptoris partus asseratur. Illud autem testimonium dicitur explicitum, quando in principio sermonis aut fragmenti ipsissimis verbis legitur *Sermo S. Augustini episcopi*, aut *sermo S. Chrysostomi*, aut *sermo S. Leonis*, et sic de cæteris quibuscumque; implicitum vero nuncupatur, aut quando in titulo scriptum habetur: *Sermo unde supra*, et supra reperitur: *Sermo S. Augustini* vel aliorum; aut quando extrahitur sermo ex codice, qui nihil omnino aut pene nihil quod ad S. Doctorem non pertineat, complectitur. Ideo primæ huic regulæ insistentes nullum omnino sermonem variis scriptoribus tribuere præsumpsimus, qui firmo illo quasi sigillo impressus non fuerit et consecratus.

XI. Secundo, vult insuper certæ critices severitas, sermonem ipsum nihil continere quod aut tempori, aut ingenio, aut stylo scriptoris contrarium deprehendatur. Multos enim videre datur codices, qui ob temporum aut scriptorum ignorantiam uni tribuunt quod alteri fuisset ascribendum. Unde codicum auctoritas probabilitatem affert magnam, non absolutam certitudinem. Certior autem evadit sententia, si nihil repugnet ingenio scriptoris, si nihil illius doctrinæ contradicat, si nihil stylo ejusdem notissimo aut temporum circumstantiis adversetur. Hinc secundæ illius regulæ semper et ubique fideles, fragmenta varia, quæ S. Augustini nomine luxuriabantur, eidem nihilominus abjudicavimus, quia nonnulla hinc et inde scaturiebant, quæ a doctrina aut ingenio sancti Doctoris omnino aliena non immerito videbantur.

XII. Tertio, si non ita stricte exigendum, saltem anxie

desiderandum doctis mentibus apparebit tertia, quam statuimus, conditio, nempe ut etiam plura inveniantur, quæ cum uniuscujusque doctoris cogitationibus et communi dicendi genere concordent. Quamvis enim regula illa non sit in omnibus omnino severius adhibenda, præsertim cum agitur de scriptoribus, quibus, ut S. Augustino diversum in diversis temporibus variisque longioris vitæ gestis stylum adhibere contigit, utpote qui modo laïci, modo sacerdotes, modo neophyti, modo pontifices, modo juniores, modo ætate provecti, modo humana adhuc doctrina imbuti, modo in divinis scientiis perfecti scripserint; vere tamen est confitendum in omnibus istis varietatibus originale semper aliquid et quasi personale deprehendi, quod talis aut talis auctoris vel stylum odoretur, vel prodat ingenium. Quod ut nostræ collectioni favere evidentius pateret, diversis notis collegimus non omnes quidem, sed aliquas ex aliis sancti Doctoris operibus depromptas similitudines, ut cogitationum stylique conformitate melius appareret veritas tituli in codicibus reperti, cum non modo non in dubium adducta scribendi varietate, sed in certitudine confirmata dicendi paritate videretur.

XIII. His ergo regulis innixi, novam hanc Augustinianorum sermonum promulgationem fiducialiter in lucem edere non dubitamus, doctumque lectorem advertere precamur, triplicem hic sermonum speciem ejus oculis supponi; primam quidem, quæ sermones beati Doctoris penitus ineditos complectitur; secundam, quæ exhibet tractatus novis lectionibus correctos, aut novis ditatos fragmentis; tertiam, qua sermones non solum incorrectos, sed codicum defectu perperam in appendicem a Maurinis rejectos, nostrorum auctoritate codicum beato Doctori non immerito vindicantur. In uniuscujusque sermonum principio breves notas præfiximus, quibus indicantur, 1° co-

dices, unde sermo assumitur; 2° authenticitatis argumenta; 3° locus, quem tractatus tenere deberet in Maurinorum editione. Sequitur synopsis, qua, ad majus legentis commodum, prænuntiatur quidquid in variis capitulis sive numeris continetur. Ad calcem vero paginarum rejecimus variantes codicum lectiones, et sanctæ Scripturæ librorum et versuum indicationem.

XIV. Unum autem nunc superest, scilicet ut pauca de codicum vetustate, fide et correctione prænotemus. Vetustatem plerorumque ad undecimum sæculum referendam putamus, quanquam plurimi antiquiores possint judicari, ut videre est ex tabula codicum infra stampata.

XV. Fides autem, ex antiquitate jam iis asserta, major adhuc ex eorumdem cum aliis multis variorum Europæ bibliothecarum conformitate evadit; sic pleraque sanctorum doctorum stampata huc usque opera, paucis, et sæpe non immerito, variantibus, in iis nostris occurrunt manuscriptis; sic in illis legitur, paucis mutatis, duodecim sermones, qui a Dyonisio ex Venetiana bibliotheca nuper edita fuerunt; sic plures in biblotheca Laurentiana Florentiæ reperiuntur, et cum Montis-Cassini lectionibus lectiones Florentiæ non inutiliter aliquando contulimus.

XVI. Quoad vero eorumdem correctionem, nullus est doctus, qui nesciat quantis sæpius mendis veteres scaturiant codices, ita ut amanuenses modo similitudine litterarum decepti verbum unum in alterius locum posuerint; modo autem involuntaria negligentia, aut præmeditato errore laborantes, puncta ex uno loco in alterum non sine sensus præjudicio transtulerint; modo mentis distractione præoccupati non verba solum, sed et lineas, et integra sententiarum membra transcenderint; unde codices nunc rescribenti cuilibet non parvum opus incumbit, veram seu variorum collatione codicum, seu profunda contextus

meditatione, in publicum emittere versionem. Quanta autem cura, quanta prudentia, quanta, ut ita dicam, religione, in tam sacro tamque difficili labore usi fuerimus, ad lectorem judicium pertinebit; utque illam certius necnon et facilius ferre valeat sententiam, omnes omnino diversorum codicum lectiones, etiam ridiculas aliquando et absurdas, positis in paginarum fine notis, referre curavimus, ut quæ bene et certe correcta approbari, quæ dubie et probabiliter emendata ponderari, quæ vero male et audacius mutata, si quæ forte istius modi non ultro emissa nostram fidelitatem fefellerint, reprehendi possint et in melius restitui.

XVI. Habes igitur, lector amantissime, totius propositum normamque laboris, quem non injucundum pervolventi tibi evadere confidimus. Et quomodo filium non juvaret inventas nuper atavorum suorum, et quidem doctissimorum sanctissimorumque chartas perlegere? Quomodo non exultaret patrum discipulus deperditas diutius magistrorum suorum elucubrationes attentis percurrendo oculis, attentiorique mente meditando? Quot et quanta in illis repertis feliciter thesauris Ecclesiæ alumno non miranda modo, sed et delibanda evolvuntur? Hic S. Augustini doctrina modo Trinitatis mysterium, Incarnationis veritatem, realem Christi in Eucharistia præsentiam asserentis, modo neophytos simplicibus imbuentis lectionibus, et perfectos ad grandia virtutum exhortantis opera, modo sanctorum divina exempla laudibus exaltata omnium imitationi proponentis. Hic, brevis quidem et alieno idiomate deformata, sed nobilis adhuc et admiranda Chrysostomi facundia; hic gravis et concisa S. Leonis papæ locutio; hic dulcis et mellifluus, sed religiosæ disciplinæ semper addictissimus S. Bernardi dicendi modus; hic non contemnendi recentioris quidem, sed non minus scientia quam

dignitate conspicui S. Petri Damiani cardinalis fœtus. Hic scientiæ splendor qui mentes illuminet; hic eloquentiæ fontes, qui ingenium fœcundent; hic charitatis ardor, qui corda succendat. Legas, precor, et judices.

TABULA

CODICUM MONTIS-CASSINI

IN QUIBUS LEGUNTUR

VARIA SANCTI AUGUSTINI OPERA.

Hanc tabulam, adjuncto etiam fideli quorumdam scripturæ exemplari, hic ideo præfigendam duximus, ut, illa perspecta, melius pateret nostrorum horumce sermonum authenticitas, cum indo manifestum fiat, et codices ad venerabilem referri vetustatem, et iisdem contineri simul stampata jam prius opera, et opera nunc stampis supponenda.

Cod. XI, alias CVIII, in-fol. membranaceus, folior. 276, characteribus omnino longobardis, sed qui sæculum XII indicant, continet Homilias et Sermones sancti Augustini. Vide Montfauconium in Bibl. bibliothecarum sub eodem numero.

Cod. XII, alias L, in-fol. membranaceus, folior. 345, characteribus longobardis XI sæculi, post medium. Continet Sermones sancti Augustini. Vide Montfauconium sub eodem numero.

Cod. XIV, alias XLIV, in-fol. membranaceus, folior. 225, characteribus longobardis XI sæculi continet decem priores libros de Civitate Dei. Sub eodem numero notatur a Montfauconio.

Cod. XV, alias CCXXIX, in-fol. membranaceus, folior. 370, characteribus longobardis, qui finem sæculi XI astruunt. Continet libros sancti Augustini contra Faustum. Sub eodem numero notat illum Montfauconius.

Cod. XVI, alias CXCIII, in-fol. membranaceus, folior. 359, characteribus longobardis ad finem XI sæculi conscriptis. Continet sancti Augustini Epistolas, et Solutiones quarumdam quæstionum.

Cod. XVII, alias CXC, in-fol. membranaceus, folior. 450, characteribus longobardis sæculi fortasse XII. Continet sermones sancti Augustini de Verbis Domini. De illo loquitur sub eodem numero Montfauconius.

Cod. XVIII, et Cod. XIX, alias IV, continent libros sancti Augustini de Trinitate. Cod. autem XIX in-fol. membranaceus, folior. 270, characteribus saxonicis scribitur juxta specimen datum a Mabillonio de Re diplomatica libr. V, tabul. IV, p. 351, n. 2, licet paululum scriptura sit diversa.

Cod. XX, alias XCIX, in-fol. membranaceus folior. 186, characteribus longobardis sæculi XI, post medium. Continet libros sancti Augustini de Consensu Evangelistarum.

Cod. XXI. alias LVI, in-fol. membranaceus, folior. 460, characteribus longobardis sæculi XI, post medium. Continet primam partem Commentariorum sancti Augustini in Joannem, videlicet tractatus XXXVIII.

Cod. XXII, alias LI, in-fol. membranaceus, folior. 433, characteribus longobardis, sæc. XI, post medium. Continet alteram partem Commentariorum in Joannem. Memoratur sicut et præcedens a Montfauconio.

Cod. XXIII, alias CLXXIII, in-fol. parvo, membranaceus, folior. 120, characteribus longobardis XI sæculi. Continet sancti Augustini in Epistolam Joannis Commentaria.

Cod. XXIV, alias XLIII, membranaceus, folior. 479, characteribus longobardis XI sæculi. Continet sancti Augustini Explanationes in Psalterium et in Epistolam Joannis primam.

Cod. XXV, alias CXCI, in-fol. membranaceus, folior. 211, characteribus longobardis XI sæculi, initio. Continet libros XIII Confessionum sancti Augustini.

Cod. XXVI, alias XVII, in-fol. membranaceus, folior. 512, characteribus longobardis sæculi XI. Continet partem primam Expositionis sancti Augustini in Psalterium. Secunda pars continetur in Cod. XXVII.

Cod. XXVIII, alias CXCIV, in-fol. membranaceus, folior. 588, characteribus longobardis XI sæculi, tempore Theobaldi abbatis cas-

sinensis, cujus jussu in armarium librorum fuit positus anno 1023, ut patet ex fol. 583 ejusdem Codicis. Continet partem librorum de Civitate Dei.

Cod. XXXIX, alias LXVIII, in-fol. membranaceus, folior. 590, characteribus latinis iis similibus quos dat Mabillonius libr. V, de Re diplomatica, p. 369, tabul. XIII, n. 4. Continet Expositionem in Epistolas beati Pauli, quæ ex titulo antiquo sancto Augustino tribuitur, ex recentissime autem apposito Bedæ presbytero.

Cod. LVII, alias XXXIX, in-fol. maximo, membranaceus, folior. 587, characteribus longobardis XI sæculi. Continet Commentaria in Psalmos ex SS. Augustino et Hieronymo.

Cod. LXXX, alias LXIV, in-fol. membranaceus, folior. 168, characteribus longobardis XI sæculi. Continet Vitam vel Obitum sancti Augustini episcopi.

Cod. XCIII, alias CL, in-fol. membranaceus, folior. 322, characteribus latinis XI sæculi, juxta specimen quod exhibet Mabillonius de Re diplomatica, p. 369, tabul. XIII, n. 2. Habet sermonem sancti Augustini, qui incipit : *Prolixa oratio*, etc.

Cod. XCVII, alias LXXXVIII, in-fol. membranaceus, folior. 275, characteribus antiquioribus longobardis sæculi X, ante medium, qui accedunt etiam ad francicam, seu merovingianam scripturam. Habet initium tractatus sancti Augustini episcopi in eo : *Dixit Jesus Petro : Sequere me.*

Cod. XCVIII, alias CLX, in-fol. membranaceus, folior. 337, characteribus longobardis XI sæculi, post medietatem. Habet Sermones sancti Augustini.

Cod. C, alias CCXI, in-fol. membranaceus, folior. 190, characteribus longobardis XI sæculi principiantis. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CI, alias CXCIX, in-fol. membranaceus, folior. 259, characteribus longobardis sæculi XI. Continet Sermonem sancti Augustini.

Cod. CII, alias CXX, in-fol. membranaceus, folior. 397, characteribus longobardis, sæculi XI ante medium. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CIII. alias CLXXXIV, in-fol. membranaceus, folior. 267, sæculi XI ineuntis, vel X ad finem, longobardice exaratus. Continet ejusdem sancti Doctoris Sermones.

Cod. CIV, alias XVIII. in-fol. magno, membranaceus, folior. 181, characteribus longobardis sæculi XI, nisi etiam fortasse sæculi X, cum valde simillimi videantur iis qui sub Aligerno abbate, scripti fuere. Sedit autem Aligernus in Cassinensi Cathedra ab anno 945 ad annum 996. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CV, alias XIX, in-fol. membranaceus, folior. 272, characteribus longobardis sæculi XI post medium. Continet Homiliarium de Tempore.

Cod. CVI, alias XCI, in-fol. membranaceus, folior. 389, characteribus longobardis sæculi XI, ac proprie anni 1010. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CVII, alias CXXV, in-fol. membranaceus, folior. 182, characteribus longobardis sæculi XI. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CVIII, alias XX, in-fol. magno, membranaceus, folior. 285, characteribus longobardis sæculi XI post medium. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CIX, alias XXV, in-fol. magno, membranaceus, folior. 248, characteribus longobardis XI sæculi. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CX, alias XXXVIII, in-fol. maximo, membranaceus, folior. 308, characteribus longobardis sæculi XI, ut confirmatur a Gattula in indice MMS. cassinensium, p. 3. Continet Sermones sancti Augustini.

Cod. CXI, alias XXXVII, in-fol. maximo. folior, 210, characteribus longobardis sæculi XI. Continet Homiliarium cum aliquibus homiliis non vulgatis.

Cod. CXII, alias XCIII, in-fol. membranaceus, folior. 179, characteribus longobardis sæculi X ineuntis, tempore Theobaldi abbatis, ut ex characteribus ipsis facile erui posse videtur. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CXIII, alias LXX, in-fol. membranaceus, folior. 227, characteribus longobardis sæculi XI. Continet diversas de sancta Quadragesima Homilias.

Cod. CXIV, alias LXV, in-fol. membranaceus, folior. 112, characteribus longobardis XI sæculi ad initium. Continet sancti Augustini Sermones.

Cod. CXV. alias LXVI, in-fol. membranaceus, folior. 188, characteribus longobardis sæculi XI, cum litteris majusculis, seu initialibus sane pulcherrimis, sed quarum plures abruptæ sunt. Continet Sermones sancti Augustini.

Hi sunt Codices, antiquitate venerabiles, ex quibus assumpti fuerunt sermones qui nunc in publicum emittuntur. Ut autem clarius adhuc pateat sacra illorum vetustas, aliquorum hic delineatam imaginem annectimus.

ADDENDA

VITÆ SANCTI AUGUSTINI

A POSSIDIO EXARATÆ.

Fragmentum hoc e codice cass. CXLII, *fol.* 136, *extractum, finem vitæ sancti Augustini aliter ac in editis repræsentat. Quæ diversis ad ultimum excusa fuerunt characteribus, manu recentiori adjecta videntur. Vide editionis Maurinensis, tom.* X, *fol.* 280.

(Post hæc verba capitis XXXI : *Sana fide in Ecclesia prædicavit;* hæc aliunde translata leguntur :)

Sed ne, ut supra tetigimus, Civitatis suæ ruinam videret, tertio obsidionis mense migravit ad Dominum, quinto kalendas septembris, cum vixisset annos septuaginta-sex, in clericatu autem vel episcopatu annos ferme quadraginta.

(Post hæc legitur caput XXVIII integrum hic transpositum. Deinde sequitur :)

Vir denique ipse debellator hæreticorum, defensor fidelium, et famosorum palma certaminum, in quibusdam libris nimia difficultate reconditus, in quibusdam sic

est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus. Cujus aperta suavia sunt, obscura vero magnis utilitatibus farcita pinguescunt. Hujus autem ingenii vivacitatem si quis nosse desiderat, libros ipsius Confessionum legat, ubi se refert omnes mathematicas disciplinas sine magistro comprehendisse, quas aliis sub doctis expositoribus (vix datur comprehendere [1]). Fertur itaque quod Marcus Terentius Varro apud Latinos innumerabiles scripsit libros; apud Græcos Calciodorus miris in scribendo attollitur laudibus. De nostris utique apud Græcos Origenes ad sex millia legitur libros scripsisse; horum denique studium Augustinus noster ingenio vel scientia sua vicit. Nam tanta privatim dictando tantaque in Ecclesia diversisque locis disputando conscripsit, ut vix quisquam studiosorum diebus et noctibus non solum scribere libros ejus, sed nec legendo nosse occurrit. De quo quidam catholicus Doctor quasi cum ipso loqueretur, testificans sic ait :

Mentitur qui te totum legisse fatetur.

Iste vero in sancta Ecclesia inter nos post mortem vivens, nobiscum loquitur semper juxta cujusdam gentilis poëtæ gramma, quod suo scribere jussit sepulcro, hoc modo dicens :

Vivere post obitum vatem vis nosse viator?
Quod legis ecce loquor; vox tua nempe mea est.

Hic dum in Hipponensi sepultus est regione, propter immunditiam et crudelitatem gentilium, inde ablatus in Sardinia repositus est.

Decurrentibus itaque a die obitus ejus ferme ducentis octoginta annis usque ad tempora Liutprandi regis Longobardorum, audiens idem rex quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, ubi ossa sæpe dicti Patris ob vastationem barbarorum olim

[1] Vide tom. x, cap. xvm, p. 270. Append. Hæc verba ansulis circumscripta desunt in Codice, sed sensu requiri videntur.

translata et honorifice condita fuerant, misit, et dato magno pretio accepit et transtulit ea Ticinum. Quæ utique ossa in basilica beati Petri apostoli, quæ a ticinensi populo Cœlum-Aureum nuncupatur, cum debito tanti Patris honore recondidit. Jure igitur in apostolica est collocatus ecclesia, qui pro apostolica dimicans fide, vivens verbis, et hactenus scriptis, diabolicas hæreticorum fraudes patefaciendo disperdidit; adjuvante Domino nostro Jesu Christo, fidei nostræ auctore, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivens regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES INEDITI.

SERMONES

DE SCRIPTURA.

SERMO I.

De ligno dignoscentiæ boni et mali.

Hic sermo rejectus est in appendicem a Maurinis, sicut et sequens, ita ut ex duobus unus fiat in editis, et quidem perperam. Sola dubitandi ratio occurrit, quod in codice Corbeiensi extet sine nomine, et a quibusdam fuerit S. Ambrosio ascriptus, quibus ego rationibus me minime moveri libentissime fateor. In aliquibus enim veteribus libris contineri et ipsi inclamant Maurini; quin et tres nunc inventi, illis autem nondum cogniti, occurrunt codices, qui sancti Augustini fœtum hunc esse testantur. Legitur enim in duobus codicibus cassinensibus, nempe cod. CIII, *fol.* 206, *et cod.* CVI, *fol.* 350; *et quidem cum nomine beati Doctoris. Eidem pariter tribuitur in biblio-*

theca Laurentiana tom. 1, *fol.* 80. *Quid si rejiciendi hujus sermonis causa fuisset sententia auctoris de bonitate Dei, in quibusdam non consentiens recentiorum hæreticorum opinionibus?* (*Vide n.* III.) *Unde duos illos sermones Augustino restituimus, et emendatos ad authenticos codices hic repræsentamus. Locus ejus post sermonem* I, *cum numero Serm.* II.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Arbor a Deo prohibita. III. Mors in arbore facta non fuit. IV. Arbor non erat mala. V. Idem comparationibus comprobatur. VI. Peccatum soli Adæ imputandum, non arbori aut Deo. VII. Conclusio.

I. In Veteri Testamento, id est, in Genesi[1] legimus, Dominum dixisse ad Adam : « Ex omni ligno quod est in » medio paradisi edetis, ex ligno autem dignoscentiæ » boni et mali, quod est in medio paradisi non edetis; » qua die autem ederitis morte moriemini (*a*). » Multos[2] scimus, carissimi Fratres, de hac arbore quæstiones vanas movisse, qui dicunt[3] Adam non voluntate peccasse, quia in illa arbore fuit dignoscentia boni et mali, qui cum hominis culpam excusare nituntur, Deo conditori injuriam faciunt. Quibus ratio reddenda est, ne diutius quæstiones vanas moveant, neque lateant in errore talia mentiendo[4]. Sed si volunt nosse taceant et audiant, ne loquendo stulta[5] Deo convicium faciant.

II. Una arbor fuit in medio paradisi explorans hominis voluntatem ; in ea vita pendebat per obedientiam[6], mors

(*a*) Gen. II, 16, 17.

[1] Edit. *Legimus in Genesi, dixisse Dominum.* — [2] Vox *multos* deest in nostro Codice. — [3] Edit. male *dicant.* — [4] Edit. *aut usque adhuc taliter sentiendo lateant.* — [5] Edit. *stulta loquendo.* — [6] Hæc verba necessaria *per obedientiam* desunt in edit. Eorum loco legitur *et in ea.*

per transgressionem latebat. In ea apparuit hominis transgressio, in qua legis præceptio firmata fuit[1]. Dixit illis Deus : « Ex omni ligno quod est in medio paradisi edetis, de illa autem[2] arbore, quæ est in medio paradisi, non edetis; ne morte[3] moriamini (*a*). » In hoc verbo lex erat a Domino homini posita, in quo[4] fuit præmium vitæ constitutum cum interminatione sententiæ. Dixit Deus : « Morte moriemini[5], si gustaveritis (*b*); » et diabolus dixit : « Morte non moriemini[6]. » Stetit homo inter factorem Deum et diabolum deceptorem. Deus mortem[7] minatur, si tangatur arboris fructus; diabolus, si sumatur fructus, promittit deos esse futuros[8]. Sic arbor illa violata[9]; appetita est venenosa dulcedo mortis[10], et contempta est salubritas perpetuæ vitæ.

III. Sed dixit[11] aliquis calumniator : « Vides quia in illa arbore fuit facta mors. » Respondeamus vanæ quæstioni. Non fuit plane in illa arbore facta, sed inventa per hominem. Hæc fuit probatio hominis, non deceptio Salvatoris. Nam si Deus hominem non amasset, nec et fecisset nec ante[12] præmoneret, si mortificare voluisset. Quod si ante non præmoneret, non erat misericordia, sed impietas, nec justitia, sed injustitia, ut ipse fecisset misericorditer hominem et labi fecisset injuste. Hæc impietas nec in homine esse debet, quanto magis in Deo non fuisse credenda est, qui fons bonitatis et pietatis est. Quis hominum, Fratres

(*a*) Gen. II, 16, 17. — (*b*) Id. III, 4.

[1] Edit. *in qua firmata fuerat legis præceptio.* — [2] Edit. *vero.* — [3] In Cod. male *moriemini*; deest vox *morte.* — [4] Edit. male : *Lex erat a Deo posita homini, in ea fuit præmium constitutum.* — [5] Edit. *Deus dixit : Si gustaveritis morte moriemini.* — [6] Edit. *non morte moriemini.* — [7] Cod. minus bene *morte.* — [8] Hic et sæpius in editis verba eadem leguntur, sed ordine paululum diverso; ab indicanda levi illa differentia abhinc abstinebimus, nisi mutatio sensum affecerit. — [9] Hæc phrasis deest in editis. — [10] *Mortis* desideratur in editis, et quidem male; male iterum Codex habet *appetitia.* — [11] Edit. *dicit.* — [12] Edit. *nec et antea.*

mei, opus suum perire patiatur, aut[1] fabricam suam ruinæ tradat, aut filium quem genuit in foveam mortis impingat. Si in homine ista crudelitas non est, quomodo in Deo fuisse credenda est[2], qui fabricam suam, id est hominem, bene disposuit, et imminenti[3] ejus ruinæ destinatione præcepti[4] suffulsit, ne caderet? Sed stare non potuit; quare? quia audire noluit. Quid ergo imputamus Deo, si Adam cecidit, qui ut caderet præceptum Dei contempsit?

IV. Dic mihi : arbor ipsa bona fuit, an mala[5]? dicturus es utique mala, de qua homo pomum rapiendo epulatus est mortem[6]. Ergo arbor fuit mala, an transgressio mandati? plane arbor; nam si mala non fuisset, homini mortem non propinasset[7]. Hæc dicis non intendens virtutem Scripturarum; nam sicut scriptum est : in illa arbore fuit[8] « dignoscentia boni et mali (*a*), » item[9] scriptum est : « Et vidit Deus quæ fecit et erant[10] bona valde (*b*). » Illud credis, quod te in errorem inducat, et hoc quod te ad sanitatem[11] perducat non credis? vis nosse qui calumniaris, quia arbor illa non fuit mala, sed bona; nec in ea facta est a Deo mors, sed homo sibi mortem creavit? Ferrum[12] bonum est, an malum? sine dubio dicturus es : Malum. Quare malum, et non bonum, cum omnia quæ fecit Deus bona sint[13] valde? quare[14] bonum dicis esse fer-

(*a*) Gen. II, 17. — (*b*) Id. I, 31.

[1] Cod. male *ut*. — [2] Edit. *nec in Deo credas fuisse*. — [3] Cod. male *imminentiæ*. — [4] Edit. male *destinam præcepti*; unde abjicienda docta quidem, sed inutilis nota, ad inferiorem paginæ marginem apposita. — [5] Cod. minus bene : *an non?* — [6] Maurini male : *Dicturus es : Mala, mala utique, de qua homo pomum rapiendo mucltatus est morte.* Prius editi pejori modo : *Mutatus est in mortem.* Nostram lectionem veram esse patet. — [7] Edit. male : *Adam non cecidisset.* Cum nostris Codicibus concordat MS. Compendiensis. — [8] Edit. *fuisse dignoscentiam*. — [9] Edit. *ita*. — [10] Edit. *ecce*. — [11] Edit. *salutem*. — [12] Edit. habent : *Dic mihi, Calumniator : Ferrum*, etc. — [13] Cod. male *sunt*. — [14] Edit. *quale*.

rum, unde homines perimuntur? audi ergo. Non ferrum malum est, sed homo[1] qui ad factum utitur ferro, ipse malus est. Nam vis nosse quia bonum est ferrum? Unus eo utitur ad putandam[2] vineam, et alius ad perpetrandum homicidium. Unus[3] se pascit ferro, et alius innocentiam[4] perimit gladio : unus agrum ferro colit, et alius in pace ferro sanguinem prodit : unus operatur ferro ut vitam sustentet suam, alius autem ferro vitam eripit alienam. Nam et judex gladium portat, ut in reum[5] animadvertat, et innocentem absolvat.

V. Adhuc audi, si vacat, Calumniator ; vinum bonum dicis esse an malum? puto quod dicis esse bonum, non malum ; et hoc ad judicium æquitatis, et non ad ebrietatis beneficium[6]. Ergo bonum est vinum, bonum valde. Bene quod in uno[7] confessus es bonam esse Dei creaturam ; et ego confiteor bonam esse. Quare ergo unus accipit ad sobrietatem, et alius ad ebrietatem[8]? numquid quia unus inebriatur[9] et turpis videtur, ideo maledicenda est creatura Dei? Alius sobrie bibit, et benedicit Deum in ipsa sobrietate ; nam qui inebriatur, in foveam cadit, et aliquoties, quod pejus est, mortem incurrit[10]. Cibi, quos nobis Deus largitus est ad edendum[11], non sunt mali, sed boni, et tamen, si amplius sumantur[12], perniciosi sunt et nocivi. Numquid ideo mala dicenda est Dei creatura, quia nocet, aut aliquibus perniciosa est? Sed qui eam in perniciem salutis suæ amplius præsumunt quam quod Deus

[1] In Edit. deest *homo*. — [2] Edit. *putandum*. — [3] Edit. *alius*. — [4] Edit. *innocentem*. — [5] In Cod. deest *in*. — [6] Edit. *puto quod bonum esse dicas, et hoc æquitatis judicio, non ebrietatis beneficio*. — [7] Edit. male *in vino*. — [8] Edit. *Quare ergo unus accipit cum sobrietate, alius ad ebrietatem?* Cod. male *accepit*. — [9] Edit. male *unus de eo ebriatur*. — [10] Cod. male *alius inebriatur, et in foveam cadit, aliquoties, quod pejus est, mortem incurrit*. — [11] Edit. *Dominus largiri dignatus est ad utendum*. — [12] Edit. *præsumantur*.

generi humano largitus est, ipsis nociva est[1]. Nam hoc, quod dicturus sum, bene omnibus cognitum est[2]. Scimus aliquos multo vino et cibo præfocatos et morte præventos[3]. Numquid in vino aut cibo fuit mors? Absit, sed intemperantia ciborum fecit eos in mortem incidere[4]. Sicut ferrum non ideo malum dicendum est, quia de eo latro fecit[5] homicidium; sed ipse malus est, qui eo utitur ad perimendum hominem. Ita et illa arbor non fuit mala, sed bona; sed hoc fuit plane malum, quod homo Dei præceptum transgressus est. Nam quidquid Dominus ad usum hominis dare dignatus est, bonum est[6]. Ecce et[7] de Novo Testamento profero testimonium, bona esse[8] quæ Deus fecit. In Actibus Apostolorum obdormisse Petrum legitur[9], et visum vidisse : « Deponi de cœlo vas quoddam can-» didum, velut linteum, in quo erant volatilia, qua-» drupedia, et serpentia[10] posita. Et dixit ad eum vox : » Surge, macta[11] et manduca. Et dixit : Absit, Domine; » nunquam manducavi quidquam commune[12] aut im-» mundum. Iterumque ad eum vox[13] : Quæ Deus, in-» quit, sanctificavit, tu commune ne dixeris (*a*). » Quid est, Calumniator? hæc non solum bona? sed sanctificata esse omnia ex[14] ore divino probavimus.

VI. Arbor igitur[15] hæc non fuit mala, sed bona, nec

(*a*) Act. x, 11, et seqq.

[1] Edit. male : *sed quia in perniciem salutis suæ amplius præsumunt, et quod Deus generi humano largitus est ipsis nocivum est.* — [2] Edit. *et quæ dicturus sum bene omnibus nota sunt.* — [3] Edit. non habent: *et morte præventos.* — [4] Edit. *cadere.* — [5] Edit. *sic et* pro *sicut,* et *facit* pro *fecit.* — [6] Edit. *nam bonum est quidquid Deus homini ad utendum tribuere dignatus est.* — [7] In Edit. deest *et.* — [8] Edit. *omnia.* — [9] Edit. *legimus.* — [10] Edit. *serpentia terræ.* — [11] Edit. *Surge, Petre, victima et manduca, et Petrus ait.* — [12] Edit. *quoniam nunquam comedi.* — [13] Edit. *cui dixit*; et post deest *inquit.* — [14] Edit. non habent *ex.* — [15] Apud eosdem desideratur vox *igitur*.

in ea aliquid reperiri potuit malum[1]; sed homo fuit a semetipso malus, qui male usus est bono, quod fecerat Deus. In hoc mala voluntas hominis agnoscitur[2], quod ei omnis paradisi plenitudo non abundavit. Et quia ad arborem interdictam manum extendit, animæ mox mortem incurrit[3]. Si unam arborem ei Divinitas esset largita[4], et omnis paradisus fuisset interdictus, sufficere debuit[5] quod ei largitus est Deus. Sed quia amplius voluit, quam quod ei largientis indulsit voluntas[6], et hoc quod habuit confusus amisit, et in prævaricationis necem nihilominus irruit præceps[7]. Peccatum Adæ, cui imputandum est? Deo, qui monuit, aut ei qui noluit audire? Medico, qui vulnerato præceptum[8] dedit, aut vulnerato, qui, contra præceptum medici, noxia poma gustando, causam transgressionis incurrit? Medicorum ars est[9], quos viderint nimia ægritudine laborantes, ab his eos prohibere escis, quæ sunt perniciosa saluti, ut aut periculum possint cavere, aut mortem. Quod si ægroti contra medici præceptum per intemperantiam contraria sumpserint, et mortem incurrerint[10], quid pertinet medico, qui prævidens causam, observationem indixit? Ita nec Deo medico animarum imputandum est, quod Adam cecidit, qui eum ante monendo, in æternum vivere voluit.

VII. Multa supersunt de istis quæstionibus, quæ dicenda sunt; sed hora præteriit[11] singula dicere, ne longi-

[1] Edit. *mali*. — [2] Edit. *cognoscitur*. — [3] Edit. *ut cui omnis paradisus subjacuit, ad arborem interdictam manum extendens mortem incurrit*. — [4] Edit. *largiretur*. — [5] Edit. *debuerat*. — [6] Cod. minus bene *potestas*. — [7] In Edit. desunt voces *confusus... prævaricationis... nihilominus... præceps*. — [8] Edit. *observandi præceptum*. — [9] In Cod. abundat hic particula *ut*. Edit. habent : *ut eis, quos viderint nimia ægritudine laborantes, ea prohibeant quæ perniciosa sunt, aut periculum procurent*. — [10] Edit. *quod si ægrotus contra medici præceptum per intemperantiam contraria sumens mortem inciderit*. — [11] Cod. minus bene *præterit*.

tudo sermonis fastidium faciat auditoribus ; debitorem me dico ; dilationem peto ; sed vereor ne debitor occurrat, et creditor absentiam procuret.

SERMO II.

De ligno dignoscentiæ boni et mali II.

Idem de hoc Sermone dicendum ac de præcedenti. Notandum est tantum hic unum solummodo occurrere codicem, nempe Cod. VI, *fol.* 352. *Hic recurrit et fortior quidem dubitatio de causa propter quam Sermo iste rejectus est a Maurinis. Asseritur enim, nec incerte, sed clare, hominem invitum non peccare, peccare voluntate, non necessitate ; Job vinci non potuisse, quia non voluit, etc. quæ quidem sententiæ non erant gratæ doctis editoribus. In dubium igitur potest revocari horumce virorum judicium, quos a recta via per conceptas prius opiniones abductos fuisse facillime credendum est. Ponatur hic Sermo post præcedentem cum numero Serm.* III.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Cur Deus sciens Adam peccaturum, non eum revocavit a peccato. III. Mors ex divini mandati contemptu. IV. An debuit Deus permittere peccatum ? V. Adam non ideo malus, quia genitor homicidæ. VI. Nec Deus, quia Adæ peccatoris creator. VII. Conclusio.

I. Debitum de quo supra [1] curo solvere sermonem ; sed pristinos meos non invenio creditores ; aliquos video, ali-

[1] Hæc verba *de quo supra* desunt in Edit.

quos requiro. O creditor piger, cum veneris ut debitum exigas, quid absentiam [1] procuras? Debitor satisfacere debito [2] cupit, et creditor desidiosus absentiam facit [3]. Novam rem video; instat debitor creditori, ut debitum restituat [4], et ille, ut recipiat, venire excusat. Sed quid interest? si [5] creditor venire noluit, reddat debitor quod promisit.

II. Adhuc calumniator ille pristinus, tot probationibus convictus, non acquiescit, sed dicit : Sciebat Deus hominem posse peccare, annon [6]? Respondeamus ei, ne videatur sibi aliquid dixisse : Sciebat plane. Si ergo sciebat eum posse peccare, quare non eum revocavit a peccato? Quare? Quia invitum non decuit coronari [7]. Quis, inquam, Fratres mei, præmium non pugnanti dabit [8]? Aut quæ corona non dimicanti? Aut quæ sine conflictu victoria? Audi Apostolum divino ore loquentem : « Nemo corona- » tur, nisi qui legitime certaverit (*a*). » Adam nec pugnavit, nec certamen cum diabolo suscepit; sed ad unam suggestionem, præmium immortalitatis amisit. Victus est, quia non pugnavit; succubuit voluntati [9], non necessitati. Vis nosse [10], o Calumniator, qui signare te nescis, et Deo calumniaris [11], quia Adam voluntate peccavit [12]? Nempe Job homo fuit similis illi. Quanta perpessus est et toleravit! Pugnavit fortiter et vicit; a Deo in potestatem diaboli datus est, et sustinuit. Et utique quem sciebat Deus superari [13] non posse, in potestatem non debuit dare : sed ideo taliter eum probare voluit, ut nobis excusationis et calumniæ articulum amputaret [14]. Expoliatus divitiis et

(*a*) 2 Tim. II, 5.

[1] Edit. *tuam absentiam.*— [2] Edit. *creditori.* — [3] Edit. *absentem se facit.* — [4] Edit. *ut debitum recipiat, et ille excusat.* — [5] In Cod. deest *si.* — [6] Ibid. desideratur *annon.* — [7] Edit. *coronare.* — [8] Edit. *dat.* — [9] Cod. male *voluptati.* — [10] In Edit. desunt verba : *vis nosse.* — [11] Edit. *vis calumniari.* — [12] Edit. *Adam non voluntate peccavit.* — [13] Edit. *penitus superari.*— [14] In Cod. desunt male *et... articulum.*

censu, vinci non potuit, quia nec voluit. Filios[1] amisit, et Dominum benedixit. Parum fuit[2] hoc; postea ulceribus[3] plenus, in stercore jacuit, et nihil mali adversus Deum loqui voluit[4]. Licet doloribus urgeretur loqui, verba tamen non fuerunt improperii. Cui etiam uxor sua non ad adjutorium, sed ad deceptionem fuerat reservata[5]; ad adjutorium quidem diaboli, sed ad deceptionem plane mariti. Subrogata[6] a diabolo, talia persuadebat dicens : « Quandiu hæc pateris? dic verbum » contra Dominum, ut indignetur tibi, et moriaris (*a*). » O affectus uxoris! o malagma conjugalis! non dixit : « Confitere Domino ut propitietur tibi et vivas, » sed « Blasphema, inquit, Deum, ut indignetur tibi et mo- » riaris[7]. » O argumenta serpentis antiqui! Per uxorem putavit[8] decipere, cujus animam vulneribus[9] ad blasphemiam non valuit incitare[10]. Deo nec sic Job quidquam ingrate aut contrarium est locutus; neque per suggestionem uxoris, diabolo, sed potius Deo, tolerans obedivit. Adam vero quid tale pertulit? Quod cum diabolo certamen habuit? Nihil tale pertulit : quare diabolo potius quam Deo obedivit?

III. Sed adhuc, Calumniator, dicis[11] : Quare Deus dixit : « Morte moriemini, » nisi quia Deus ipsam mortem fecit, qui eam non avertit? Respondetur tibi, et in hoc, Calumniator ineptissime. Si tu, cum sis corruptibilis[12] homo,

(*a*) Job. XI, 9.

[1] In Cod. deest vox *filios*. — [2] Edit. *est*. — [3] Cod. male *vulneribus*. — [4] Edit. male *potuit;* et post simplicem virgulam *licet doloribus urgebatur loqui; sed verba non fuerant improperii*. — [5] Edit. *cui jam uxor sua non adjutorium, sed deceptio fuit*. Phrasis sequens integra deest. — [6] Edit. *subornata*. — [7] In Cod. desunt hæc ex his verbis : *O affectus*, etc., quæ supplentur ex Editis. — [8] Edit. *putavit Job*. — [9] Edit. *animum vulneribus plenum*. — [10] Cod. *irritare;* et postea sine sensu legitur dimidiata phrasis : *et nec sic potuit, sed adjutorem Deo*. — [11] Codex male *dicit*. — [12] In Edit. deest *corruptibilis*.

habens sub te famulos, quibus ut se, ne in periculum mortis corruant, vitæ committis præceptum; et in his omnibus contigerit uni eorum per incuriæ negligentiam, laqueum incurrere necis[1], numquid mors ejus tibi imputanda erit, et non potius ei, qui tuam admonitionem contemnendo mortem incurrit? Sic nec Deo mors Adæ ascribenda est, qui eum ante transgressum[2], in mortem ne incurreret, monuit. Certe[3] manifestum est Deum[4] noluisse hominem perire[5], neque mortem fecisse; juxta dicentis testimonium sapientissimi Salomonis : « Deus mor- » tem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum (*a*). » Adam namque[6] præceptum Dei contempsit[7]. Non verberibus cæsus, neque gladio percussoris fuit mulctatus. Imperatoris nempe facta[8] nemo sine periculo sui sanguinis contemnit. Homines utique imperatoris suscipiunt cum tremore et veneratione vilissimam chartulam, atramento conscriptam[9], et velut divinos apices adorant. Sed Scripturæ divinæ leguntur, verba Dei tonant, ipse Dominus quodam modo præsentibus loquitur, nec veneratur[10], nec timetur, neque adoratur, nec auditur; sed, quod pejus est, velut fastidientes, discurrente per illicita visu, auditum avertentes, inanibus obnoxia cum detractione fabulis occupamur[11]. Imperator longe positus, de charta

(*a*) Sap. 1, 13.

[1] Edit. *habens filios, omnes admones, omnibus præceptum das, ut te sequantur, et imitentur in omnibus, et si unus eorum contemptor extiterit, et per malam conversationem mortem incurrerit.*— [2] Edit. *transgressionem*, et deinde *incideret*. — [3] Edit. *nam*. — [4] Edit. *monuisse Dominum atque noluisse*.— [5] Edit. *mori*, et post *nec ipsum fecisse mortem. Testificatur huic verbo sapientissimus Salomon dicens*. — [6] In Edit. deest *namque*. — [7] Edit. *neglexit, et in mortem incidit*. Phrasis sequens in iisdem integra desideratur. — [8] Edit. *revera, Fratres, imperatoris Sacram* (nempe epistolam) *sine periculo*, etc.— [9] Edit. *scriptam*.— [10] Vox passiva, id est, non recipit venerationem. — [11] Edit. *et non auditur, aut fastidiose homines audiunt, aut, quod pejus est, sedentes fabulis vacant*.

loquitur et tremitur [1], et quasi præsens in illa charta adoratur [2]; testimonium dominicum recitatur, et ab aliquibus contemnitur [3]. Ipsum Prophetæ clamant, Apostoli prædicant, Evangelia loquuntur; per se ipsum hominibus fabulatur, et non auditur. Audi præsentem Deum [4] et loquentem : « Ubi fuerint, inquit, duo vel tres congre- » gati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*a*). »

IV. Sed utique, inquiunt calumniosi [5], Deus non debuit hominem permittere ut peccaret. O stulti qui hoc dicunt, et [6] non considerant quia Deus non statuam fecit lapideam aut ligneam, sed hominem perfectum condidit, cui et liberi arbitrii potestatem dedit [7]! Debuit considerare quid boni appeteret, et quid mali contemneret; debuit timere quod minatus est Deus, et contemnere quod persuaserat diabolus; et proposito sibi immortalitatis præmio, ad hoc debuit aurem cordis parare [8], ut Creatoris sui servaret præceptum, non exterminatoris consilium [9]. Non melius hominem culpo quam Deum, qui hominem bonum fecit? cui procul dubio injuriam facio, dum contra eum defendo hominem [10]. O stulta et vana quæstio! Dicunt homines : Deus non debuit hominem permittere ut peccaret, et non dicunt quia homo male fecit, Dei præceptum transgrediendo, ut peccaret. Quia [11] utique ipse homo debuit mortem timere, et ad interdictam arborem non accedere.

V. Si quisquam hominum, nolo dicere imperatoris

(*a*) Matth. XVIII, 20.

[1] Vox passive sumpta, quanquam non sic communiter.— [2] Cod. minus bene *adhortatur*. — [3] Edit. *testamentum Domini cum recitatur ab aliquibus hominibus et contemnitur*. — [4] Edit. *Dominum*. — [5] In Edit. additur vox *homines*. — [6] In Edit. deest *et*. — [7] Edit. *ut consideraret quid boni*, etc. — [8] Edit. *habere cor paratum, et Creatoris sui servare*, etc. — [9] Edit. *audire consilium*.— [10] Edit. male : *non melius hominem culpo quam Deum? qui hominem fecit, injuriam faciat?* — [11] Cod. minus bene *qui*.

sæculi, vel certe[1] judicis præconem contempserit, non rapitur ad supplicium? Dei præcepta[2] contempsit Adam, et ab aliquibus defenditur. Quare culpas Deum cum tuo periculo[3], et non hominem sine tuo præjudicio[4]? Quare accusas[5] Artificem qui bene fabricavit, et defendis hominem qui ædificio suo adesse noluit? Qui divini præcepti immemor fuit, in vulnus[6] transgressionis incurrit. O qui Adam defendis et Deo injuriam facis, ad quod te interrogo responde mihi: Adam bonus fuit an malus? Dicturus es bonus, ut plena sit tua defensio. Si ergo bonus fuit, quare unum filium bonum, alium latronem fecit[7]? Debuit, utpote bonus[8], ambos bonos creare, aut si, ut tu[9] dicis, Deo faciente peccavit, ambos malos debuit generare. Quare unum innocentem, et alium effundentem innocentis sanguinem genuit? Unus dedicavit martyrium, et alius initiavit parricidium. Ergo Caïn quod germanum occidit, reus non est, quia genitor ejus suscepit reatum, qui filium creavit latronem[10]. Si Adam invitus peccavit[11], ergo Caïn invitus in jugulum fratris gladium fixit. Talem justitiam tenent, quia legi calumniantur[12] ut geniti sint rei, et eorum[13] genitores ipsorum[14] reatu teneantur obstricti. Ecce Adam qui genuit latronem, et ecce Caïn qui interfecit fratrem. Quis[15] ex his duobus est reus? Pater qui genuit, aut filius qui germanum morte[16] peremit? Cesset calumniator, taceat calumniator; quamvis nunquam aliquid verius dicit, qui veritati calumniam fecit[17]. Ubi es, Calum-

[1] Duæ istæ voces desunt in Edit.— [2] Edit. *præceptum.* — [3] Edit. *judicio.* — [4] Edit. *periculo.* — [5] Edit. *incusas.* — [6] Cod. male *vulnere.* Edit. male non ponunt punctum post *noluit.* — [7] Edit. *genuit.* — [8] Hæc verba *utpote bonus* non leguntur in Edit. — [9] Voces *ut tu* desunt in Cod. — [10] Vox *latronem* non est in Edit. — [11] Non reperitur in Edit. phrasis principium *Si Adam invitus peccavit.*— [12] Edit. *qui.... calumniari nituntur.*— [13] Edit. *horum.* — [14] Vox *ipsorum* deest in Editis. — [15] Edit. male *qui.* — [16] Edit. *crudeli morte.* — [17] Edit. *cessit .. tacuit... facit.*

niator? Responde mihi pro suscepto tuo, qui de te eras securus. Defende quem usque modo defendebas. Quare recessisti? quid tacuisti? Ecce pro filii reatu reus tenetur Adam qui genuit parricidam. Quare non dicis : Non est reus?

VI. Exurrexit qui tacebat. Non taceo, inquit, respondeo plane et defendo; nec filius pro patre, nec pater pro filio reus est, quia scriptum est : « Anima patris mea est, » et anima filii mea est : anima quæ peccaverit, ipsa pu- » nietur(*a*). » Quasi experrectus [1] est calumniator ille, qui dormiebat; aperuit os [2], cœpit loqui, sed modo tacebat. Dic ergo : Nec filius pro patre, nec pater pro filio reus est. Responde pro suscepto tuo, et ego pro Deo meo. Defende Adæ causam, et ego Domini mei [3] injuriam. Tu dicis non esse justum ut reus sit Adam pro filio, et ego consentio; ergo si patrem non involvit filii reatus [4], quare imputas Deo Adæ peccatum [5]? Et sicut non est judicandus [6] pro Caïn, sic nec Deo quod Adam peccaverit [7] imputemus [8].

VII. Desine, stulte Calumniator, si tamen calumniator, et non potius blasphemator dicendus es, desine talia de Deo loqui, et talia delirare. Considera te primum qui sis, qualis vel a quo factus sis, et vide utrum debeas de Factore ita loqui, qui non audes loqui de conservo tuo.

(*a*) Ezech. XVIII, 4.

[1] Cod. male *expertus*. — [2] Edit. *os suum*. — [3] Edit. *Dei mei*. — [4] Edit. *reatus ad peccatum*. — [5] Hæc desunt in Edit. — [6] Edit. *judicandum*. — [7] Edit. *peccavit*. — [8] Edit. adjiciunt; *sed sic agamus, ut ad indulgentiam Dei veniamus*. Reliqua desunt.

SERMO III.

In istud : Ne tardes converti ad Dominum (*a*).

Sermo iste a Codice XII *Cassinensi eruitur, qui totus fere S. Augustini fœtus complectitur. Nomen et stylus perfectissime concordant ; unde dubitandi locus minime relinquitur. Ponendus est in editione Maurinensi post Sermonem* XL, *ubi eadem verba explicantur.*

SYNOPSIS.

I. Bona opera cum fide necessaria sunt. II. Procrastinantes arguuntur. III. Contra desperationem et præsumptionem. IV. Procrastinatio iterum impugnatur. V. Conclusio.

I. Cum de bonis operibus frequentius admonemus aliquos ex nostris, ad justitiam, vel ad eleemosynam pigros, et ad luxuriam, vel avaritiam promptos esse cognoscimus. Pene est ut suspicemur eos, qui tales sunt, futurum judicium non timere. Et revera, Fratres, quando negligentes et tepidos Christianos nec peccata vitare, nec præmia sibi æterna videmus bonis operibus providere, quid superest, ut eos opinemur credere, quod nec bonis præmia, nec malis supplicia (sint) in Dei judicio repensanda. Et vere, Fratres, ipsum in veritate intelligimus Dei judicium timere, quem bonis operibus videmus insistere. Illi vero, qui nec bona opera conantur implere, et lectioni, et orationi vacare dissimulant, quid eis prodest, quod verbis asserant

(*a*) Eccli. v, 8.

fidem, cum probentur factis [1] destruere veritatem, Jacobo apostolo dicente : « Quid proderit, fratres mei, si » fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? » Numquid fides poterit salvare eum? si autem frater » aut soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano, » dicat autem aliquis de vobis illis : Ite in pace, cale- » facimini et saturamini, (et) non dederitis eis quæ ne- » cessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si » non habeat opera, mortua est in semetipsa (*a*). » Ait enim talibus Deus, et omnem infidelitatem illorum redarguens dicit : O homines increduli, si non creditis quod promisi, considerate quod feci cœlum et terram, « Dixi et facta sunt (*b*). » Tu cui promitto, non eras, et factus es. Non existentem facio, et jubentem [2] decipio. Attendite ergo quæ dico, et excepturos vos credite quod promisi.

II. Sed infirmata et ægrota, infelix et ignara, dissoluta hæc paralytica cogitatio, et interior, incommoda, quæ mentis obstruit claustra, ut quotidie peccata transire putentur [3]. Transivit hodie, transit et cras, et aliud cras addes ad crastinum, et alterum crastinum, et converti dissimulas, et non metuis ne tibi mors repentina subripiat. Nonne homines subito moriuntur, quia tu attendis ut differas agere pœnitentiam, et divinam dissimulas quærere misericordiam? Dicis quidem : Converti bonum est; si bonum est, cito facias; si bonum est cito accipere, malum est nunc accipere? Quare, dic mihi, et bonum confiteris, et accipere non festinas? Forte dicis mihi : Securum me Deus facit. Unde securum facit? Quid scriptum est? « Peccator et iniquus in quacumque die conversus » fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar (*c*). » Ecce

(*a*) Jac. xi, 14-17. — (*b*) Gen. i, 3 et seqq. — (*c*) Ezech. xviii, 21, 22.

[1] Codex habet *justos*, quod nullum affert sensum. Scribendo erraste amanuensem facile crediderim. — [2] Forte *existentem*. — [3] Vide serm. lxxxii, n. 14.

ubi me Deus securum facit. Habui hesterna die decem peccata, hodie quindecim, crastina forte viginti. Cum ergo verum sit quod Dominus dixit, quandocumque conversus fuero, omnia peccata præterita et omnes iniquitates meas obliviscetur. Quid me terres [1] ? Deus mihi promittit indulgentiam, et tu mihi desperationem facis? Negare hoc non possum Deum promisisse. Quare ergo hodie non converteris? Quia etsi tardius conversus fuero, sic mihi promittit plura dimittere, quomodo hodie pauciora. O securitas vana! certe faciebas me securum. Video quidem per promissionem Dei indulgentiam tibi promitti, diem vero crastinum quis tibi promisit? et ideo convertat se unusquisque ad Deum, sicut dicit; « Conver» tite vos, quærite Deum, et cum inveneritis eum, de» relinquat impius viam suam (*a*). Convertite vos, » male sperantes [2]; duo sunt enim vitia generis humani, quibus pereunt, alii sperando pereunt, alii desperando. Non est mirum; magis miraculum est perire hominem sperando.

III. Videamus itaque et breviter consideremus, qui pereant sperando, et qui desperando; utrisque quam medicinam offerat Deus. Desperando perit qui dicit : Ego scio facinora, et ego novi scelera mea. Quando fieri potest ut illa quæ feci dimittat mihi Deus? Desperando perit qui dicit : Quid prodest quod dicis? Jam faciam quidquid possum, hoc perdo quod non facio. Sic me damnaturus est Deus pro uno peccato, quomodo pro multis peccatis? et ideo si illam vitam non habiturus sum, vitam istam perdere nolo. Quare non faciam voluntates meas? quare non expleam libidines meas? Desperando perit. Alius ti-

(*a*) Isaï. LV, 6, 7, et XVIII, 21, et XXXIII, 15.

[1] Vide serm. XL, n. 4, 5. pro *promissa indulgentia*. Codex male *terris*. — [2] Vide Serm. XX, n. 3. ubi S. Doctor eadem repetit.

mens præcipitia desperationis, incipit perire sperando. Quomodo sperando? Quandocumque, inquit, fuero conversus, totum mihi Deus promittit dimittere, spero in ipsius misericordia, quia totum mihi dimittet. Et differt de die in diem ; et subito intrat illi dies extremus mortis, et perit dilatio, et restat damnatio[1]. Ad ambos itaque Scriptura loquitur. Desperando volebas perire, audi Dominum dicentem : « Nolo mortem impii, quantum ut re- » vertatur et vivat (*a*) : » mori volebas, redi et vive ; si te Deus perire velit, peccantem tolleret, quando tanta peccasti. Sed adhuc cum vivis[2], ad pœnitentiam invitaris. Et hæc tibi desperanti Deus dicit : « Nolo mortem im- » pii. » Tu vis mortem tuam ; ego nolo ; non te fecisti, et desperando periisti. Deus autem, et cum non esses, fecit te, et postea perditum quæsivit te, et per sanguinem Filii sui invenit et redemit te, et ipse tibi clamat remedia. A præcipitio[3] desperationis redi : « Quia nolo mortem im- » pii, quantum et revertatur ut vivat ».

IV. Cœpisti perire, rediisti a præcipitio desperationis, sed velut in medio sta, nolo te ire in contraria, nec de peccatis tuis desperatione diffidas, nec de vita longiore confidas. Convertere ergo. Sed dicis : Cras, inquit, me converto. Quare non hodie[4]? Et quid mali si cras? Imo quid mali si hodie? Ego scio quia longa erit vita mea. Hoc scio, quia Deus non promisit. Mathematicus-ne forte longam vitam tibi promisit, qui cum quo pereat quærit? Sed ad extremum dico : Longa erit vita tua, concedo ; si longa erit, bona sit ; si brevis, et ipsa sit bona. Nam quid te offendit vita tua, quam sola vis habere mala, ut inter omnia bona tua sis malus? Sed dic mihi, Frater,

(*a*) Ezech. XXXIII, 2.

[1] Vide serm. XX, n. 4. — [2] Codex male *cuivis*. — [3] Id. *ad præcipitium desperationis redi*. — [4] Vide serm. XL, n. 5.

numquid nosti quantum temporis victurus sis? aut ubi legis indulgentiam te accepturum, si te non correxeris? Legis aliquando longam vitam tibi esse promissam, aut forte cum morte pactum fecisti? Spero quia centum annis vives; adde et decies centum; quid proderit? Nam et ipse Adam, si adhuc hodie viveret, paucos annos vixerat, quia omnes finierat.

V. Esto ergo correctus, esto paratus, et non timebis diem ultimum « Tanquam furem, qui dormienti effodiat » parietem (*a*). » Ergo audi, qui desperando volebas perire. Audi Scripturam, quomodo (dicit)[1] desperando cum perire velis : « Nolo mortem impii, quantum ut revertatur » et vivat. » Si rediisti a desperatione, sic audi ut redeas a perversitate, et constituaris in spe bona. Audi quid tibi dicit Dominus male speranti, et quotidie differenti : « Ne » tardes, inquit, converti ad Deum, et ne differas de » die in diem (*b*). » Verba Dei sunt, non mea[2]. Non a me hæc auditis, sed ego vobiscum audio : « Ne tardes, inquit, » converti ad Dominum. » Tu vero respondes, Cras. O vox corvina! Quomodo corvus de arca demissus non est reversus, jam senuit, et dicit : Cras, cras; vox corvina est[3] : Caput album et cor nigrum. Corvus de arca demissus non rediit; columba rediit. Pereat ergo strepitus corvinus, et adsit gemitus columbinus. Clamat tibi et consolat tibi[4] : « Ne tardes converti ad Dominum, et ne dif- » feras de die in diem, subito enim venit ira ejus, et » tempore vindictæ disperdit te (*c*). » Hæc enim, Fratres charissimi, si cum grandi timore et sollicitudine cogitatis, ad pœnitentiæ remedia et eleemosynarum medicamenta

(*a*) Matth. XXIV, 43. — (*b*) Eccli. V, 8. — (*c*) Ibid. 9.

[1] Vox *dicit* deest in Cod. — [2] Vide Serm. XL, n. 5, fol. 203. — [3] Id. LXXXII, n. 14. Serm. CCXXIV, n. 4, et Enarrat. in Psal. CII, n. 16, ubi sæpius fit sermo de *voce corvina*. — [4] Forte *consonat*.

animas vestras, Deo auxiliante, convertatis, ut ante tribunal Christi non damnandi, sed coronandi feliciter veniatis. Amen.

SERMO IV.

In illud : Intrate per angustam portam (*a*).

Hic Sermo ex eodem Codice XII, *fol.* 113, *assumptus, iisdem notis authenticitatis insignitus ac præcedens, sancto Augustino referendus sine dubio videtur. Locus ejus in editione Maurinensi post Sermonem* LXI, *ubi agitur de verbis Evangelii S. Matthæi, Capite* VIII.

SYNOPSIS.

I. Duæ sunt viæ, alia mortis, alia vitæ. II. Quæ sit via lata. III. Quæ sit via angusta. IV. Conclusio.

I. Docet nos Salvator noster in sancto Evangelio, quod nunc lectum est : « Intrate per angustam portam, quia » lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, » et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta » et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui » inveniunt eam (*b*)! » Duas esse, ut videtis, Dominus vias docuit, unam angustam, et alteram latam; unam vitæ, et alteram mortis. Fugite ergo vos, Dilectissimi, viam mortis, ne in æternum pereatis; eligite viam vitæ, ut in æternitate vivatis. « Lata enim, inquit, et spatiosa via » quæ ducit ad perditionem. »

(*a*) Matth. VII, 13. — (*b*) Ibid. 13, 14.

II. Quæ est hæc via lata? quæ, nisi sæcularium voluntatum atque vitiorum? Quare lata dicitur? Quia per eam plurimi ambulant. Sicut enim terrestris via, quæcumque lata est, multas ad ambulandum turbas hominum recipit, et invitat; sic et [1] horum via ideo lata dicitur, quia multos in vitiis ambulare delectat. Ergo, Dilectissimi, fugite viam latam, hoc est, fugite viam turpem atque vitiosam. Fugite viam ebrietatis, et ipsa enim lata est, quia omnes recipit ebriosos. Fugite viam impudicitiæ, et illa enim lata est, quia omnes recipit impudicos. Fugite viam cupiditatis, quia omnes, qui aliena rapiunt, per viam cupiditatis incedunt. Fugite illam viam, quam multi sequuntur, quam multi diligunt. « Multi enim, inquit Dominus, vocati, » pauci autem electi (*a*). » Non vos societas atque exempla delectent hominum plurimorum, quia plures sunt qui peccata amant, quam qui justitia delectentur. Sed melius est cum paucis ire ad regnum cœleste atque perpetuum, quam cum multis ad mortem et supplicium sempiternum. Melius est ut vos paucos sequamini bonos, quam multos malos. Quia melius est cum paucis ire ad vitam, quam cum multis in gehennam.

III. « Quam arcta ergo, inquit Dominus, et angusta » via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt » eam. » De illa enim superius lata via dixit : « Multi sunt » qui ambulant per eam. » De hac autem angusta via : « Pauci sunt qui inveniunt eam. » Unde intelligere debemus, quod hæc angusta via, non solum laboriose ambulatur, sed etiam difficile inquiritur. Nam cum dicat : « Pauci sunt » qui inveniunt eam, » ostendit quod multi sunt qui eam quærere videntur, sed pauci sunt qui eam invenire mereantur. Quare pauci inveniunt, cum multi quærunt? Utique quia

(*a*) Matth. xx, 16.

[1] Codex male *sicut*.

multi quærunt, sed non æqualiter quærunt. Alii enim quærunt diligenter, alii negligenter, sed non inveniunt nisi qui diligenter quærunt. Ecce nunc multi sunt in Ecclesia, et omnes autem per ipsum quod ad Ecclesiam veniunt, salutem quærere videntur. Sed numquid æqualiter quærunt? Non enim quærit viam salutis qui ebriosus est, etsi Ecclesiæ limen ingrediatur; non quærit viam salutis, qui avaritiam sequitur, licet in Ecclesia esse videatur; non enim quærit viam salutis, qui homicidio [1] polluitur; non quærit, qui impudicitia sordidatur. Omnia enim hæc vitia viæ mortis sunt. Et ideo qui in viam mortis ambulant, viam vitæ penitus non requirunt. Unde est quod Salvator dicit in Evangelio paucos esse qui inveniunt angustam viam. Si pauci autem sunt, ergo vix inveniuntur. Ergo quasi abscondita est ac latet. Et verum dicit. Latet quidem, sed non in una re, neque in uno loco, sed in rebus multis et in virtutibus multis. Latet enim primum in fide et in credulitate, quia invenire viam vitæ non valet, nisi qui fideliter credit, secundum illud : « Nisi cre- » dideritis, non intelligetis (*a*). » Sicut ergo intelligere aliquis Deum non potest, nisi ante crediderit; sic pervenire ad vitam non potest, nisi, fide discente, penetraverit. Hac ergo ratione, Dilectissimi, latet via vitæ in fide. Latet autem in castitate : « Impudici enim, inquit Apostolus, « regnum Dei non possidebunt (*b*). » Ergo si impudici ad vitam non veniunt, nisi qui castus fuerit, vitam perpetuam minime videbit. Latet quoque hæc via vitæ et in eleemosynis et largitate : « Eleemosyna, inquit Scriptura, » a morte liberat homines (*c*); » ergo avaritia mittit in mortem.

V. Si ergo, Dilectissimi, unam vultis quærere et

(*a*) Forte Hebr. xi, 3. — (*b*) 1 Cor. vi, 9, 10.— (*c*) Tob. xii, 9.

[1] Codex male : *Homicidium polluitur.*

invenire bonam viam, hæc diligite, hæc tenete, quæ continent in se viam vitæ ; quia qui per viam istius ambulaverit, in lumen intrabit in æternum, et vitam possidebit perpetuam. Amen[1].

[1] Vide Sermonem III.

SANCTI AURELII
AUGUSTINI,
EPISCOPI HIPPONENSIS,
SERMONES INEDITI.

CLASSIS II.
SERMONES DE TEMPORE.

SERMO V.
De Annuntiatione.

Legitur in duobus Codicibus Montis-Cassini, nempe Cod. CX, *fol.* 27; *et* CI, *fol.* 178. *Codex* CX *terminatur ante numerum* V; *Codex* CI *prosequitur usque ad finem. Habetur insuper in bibliotheca Laurentiana, Florentiæ, Plut.* XIV, *Cod.* 1, *fol.* 89, *et quidem integer. Codex Laurentianus profert nomen sancti Leonis; duo autem Cassinenses nomen sancti Augustini repræsentant; et verius quidem, ut legenti patebit ex verborum oppositionibus S. Augustino, non autem S. Leoni familiaribus. In Editis præponendum fuisset Sermoni* CLXXXIV, *et primus locus inter sermones Classis* II *de tempore illi debetur.*

SYNOPSIS.

I. Gabriel ad Mariam salutandam missus advenit. II. Mariæ hæsitatio et locutio cum Angelo. III. Maria virgo in partu mansura. IV. Mariæ assensus. V. Generatio Christi inenarrabilis. VI. Maria virginitate et humilitate Dei Mater facta. VII. Christi dona humilibus et mansuetis.

I. Adventum Domini et Salvatoris nostri, in quo hominum genus, humano indutus corpore[1], dignatus est visitare, per totum hodie sæculum universalis frequentat Ecclesia, et anniversario reditu[2] efficitur valde jucunda. Quod enim semel pro redemptione salutis propriæ factum credens mundus accepit, colendum in æternas progenies posteris consecravit, fecitque tunc ut ex veteri vita innovatæ mentis lætitia nasceretur. Nunc ergo transacti temporis miraculum ante oculos præsentatum[3], dum ea quæ dudum gesta sunt divinæ lectiones proferunt, solemniter annuis vicibus devotissime celebratur[4]. Ecce audivimus, cum sanctum Evangelium legeretur, missum a Domino de regalibus thronis Gabrielem archangelum, promittentem Mariæ virgini filium. Ingressus namque ad eam, quæ hominibus verecundiæ secreto latebat in abdito, sermonis auspicio taliter salutavit : « Ave, Maria, inquit, ave » gratia plena, Dominus tecum (*a*). » O annuntiatio mirifica! o salutatio peregrina, plenitudinis copiam portans, et virgineum pectus illustrans! Descendit igitur Angelus flammigero volatu micans, et Mariæ domicilium simul et mentem suæ claritatis fulgore collustrans. Præveniens itaque judicem præco tam præclarus et mitis, tam festinus et pro-

(*a*) Luc. 1, 28.

[1] In codice Laurent deest *humano*. — [2] Id. male *reditum*. — [3] Cod. Laur. *præsentatur*. — [4] Cod. Laur. *celebrantur*.

peratus, ut in prætorio virginitatis, quæ secreto[1] manebat in terris, suscipi potuisset Dominus[2] majestatis. « Ave, in- » quit, Maria, ave, gratia plena, Dominus tecum; » qui te creavit, jam te prælegit; quem paritura es, jam te replevit.

II. Turbata itaque illa in introitu ejus, erat cogitans, quod sic benedixit ei; quæ modestum apud se retinens propositi sancti silentium, et incognitum habens virile colloquium[3], turbatur Angelo salutante, stupetque sibi taliter benedicente[4]; non tamen ausa est prævenire loquentem. Mirans enim apud se, diutius cum animo conferebat[5], quod sic benediceretur. Quæ cum prolixius cogitans æstuaret[6], et Angeli præsentiam furtivis visibus notat[7]; simul enim[8] fulgorem præsentiæ cum benedictione pertractans tacite hæsitavit; aspexit in eam[9] Gabriel, illustris Archangelus, Trinitatis sacro-sanctæ legatus, cœlestium[10] conscius secretorum, et ait: « Ne timeas, Maria, invenisti » enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero et » paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit » magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Do- » minus Deus sedem David patris ejus[11], et regnabit in » domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*a*). » Tunc Maria hæc angelica verba, ponderata examinatione, auscultans, et mentis statera prudentissima Virgo perpendens, ait: « Quomodo fiet istud quod dicis, quoniam » virum non cognosco (*b*)? » Habebo filium, quæ nescio virum? portabo fœtum, quæ fugio partum[12]? quemadmo-

(*a*) Luc. 1, 30-33. — (*b*) Ibid. 34.

[1] Cod. Laur. *secreta*. — [2] Cod. Laur. *Dominum*. — [3] Cod. Laur. *alloquium*. — [4] Cod. Laur. *benedicentem*. — [5] Cod. Laur. *cum amore animo conferebat*. — [6] Cod. Laur. *hæsitaret*. — [7] Cod. Laur. *fortius notat*. — [8] Cod. Laur. *etiam*. — [9] Codices Cass. *aspexitque in ea*. — [10] Cod. Cass. *cœlestiumque*. — [11] Cod. Laur. *sui*. — [12] Cod. Laur. *putabo factum, quæ maternum non habeo succum? Mamillis aridis, etc.*

dum vacuo utero generabo, quod non concipio? Mamillis aridis unde præbebo labiis infantis sugere postulantis, quando torum mei cubilis[1] nec incentivus amor possederit juvenilis[2], nec amplexus aliquando concesserit maritalis?

III. Et Angelus : Non ita, Maria, non ita, noli expavescere; noli de tuæ sanctitatis integritate sollicitudinem gerere; intacta manebis, et de prole gaudebis[3] : inexperta conjugio, gaudebis de filio : sine conjunctione mortalis viri efficeris nurus Altissimi, quia filium generatura es Dei. Joseph vero ille vir castus, et justitiæ nomine decoratus, non maritus, sed custos tuus, non accedet ad te, sed « Spiritus sanctus superveniet in te; » nec ardens carnali libidine sponsus adhærebit tibi, sed « Virtus Altissimi » obumbrabit tibi; propterea et quod nascetur ex te » sanctum, vocabitur Filius Dei (*a*). » O domicilium Deo dignum ! prius quam Angeli[5] luculentissima testificatione sibimet approbaret, quem[6] de palatii aula paterni delatum, qualem illum esse[7] propriis auribus susciperet, nullum verbum protulit ex ore pudico[8], responsionis assensum.

IV. At ubi Maria illæsæ virginitatis integritatem audivit veridica stipulatione firmatam[9], respondit continuo, in sacratissimo suo pectore[10] perornate componens affuturum cubiculare[11] secretum : « Ecce, inquit, ancilla Domini; » fiat[12] mihi secundum verbum tuum (*b*). » Tanquam diceret : « Paratum cor meum, Deus, (*c*) paratum cor meum[13], »

(*a*) Luc. I, 35. — (*b*) Ibid. 38. — (*c*) Psal. LVI, 7.

[1] Cod. Laur. *cubiculi.* — [2] Cod. Laur. *nec ingenitus amor juvenilis possederit.* — [3] Cod. Laur. *gaudebis de filio.* — [4] Cod. Laur. *nec ardebis carnis libidine, nec sponsus adhærebit, sed, etc....* Cod. Cass. male *adhæret.* — [5] Cod. Laur. *Angelus.* — [6] Cod. Laur. *quod.* — [7] Cod. Laur. *quale illud est.* — [8] Cod. Laur. *protulit ore.* — [9] Cod. Laur. *audivit integritatem veridica astipulatione firmata.* — [10] In Cod. Laur. deest *suo.* — [11] Cod. Laur. *sibi cubilare.* — [12] Cod. Laur. *contingat.* — [13] Cod. Laur. dicto semel *paratum cor meum* prosequitur *quia*, etc.

quia intactus permanet uterus meus[1]. « Contingat mihi, Gabriel archangele, secundum verbum tuum (*a*) ; » veniat ad cubiculum[2] suum, « Qui in sole posuit tabernaculum » suum (*b*). Oriatur » mihi virgini permanenti « Sol jus- » titiæ(*c*), » in cujus pennis æterna permanet sanitas, cui perpetua castitate florescens mea perduret[3] integritas. « Egrediatur sicut splendor Justus(*d*) » et Salvator « quasi » facula (*e*) » accendatur. Solis facula totum illustrat, et quæ forsitan obstare videntur radiis suis specularia[4] interius penetrat, et nihil penitus dissipat. Procedat[5] jam ad oculos hominum « Speciosus forma præ filiis hominum (*f*), » procedat velut sponsus de thalamo suo (*g*), » quia secura facta sum de proposito meo.

V. Quis istam generationem, Fratres mei, poterit sermone narrare? Quis linguæ facundia valeat explicare? Intemerata servantur virginitatis jura (et) naturæ[6], et infans intrinsecus coalescit in virgine. Dum vero impletum est tempus ut pareret, expositus est partus sacer, cujus parientem nullus cognoverat pater[7]. Hæc est ineffabilis conjunctio nuptialis, Verbi et carnis, Dei et hominis. Ita namque factum est, inter Deum et hominem[8], « Mediator Dei et ho- » minum homo Christus Jesus(*h*). » Et ideo pretiosissimus conjugii thalamus electus est Virginis uterus, ut quia ex peccatis sordentibus[9] squalidus effectus fuerat mundus, veniens Creator mundi sine opere mundi, ex mundis vis-

(*a*) Luc. I, 38. — (*b*) Psal. XVIII, 6. — (*c*) Malach. IV, 2. — (*d*) Isaï. LVI, 1. — (*e*) Eccli. XLVIII, 1. — (*f*) Psal. XLIV, 3. — (*g*) Id. XVIII, 6. — (*h*) I Tim. II, 5.

[1] Cod. Laur. *meus uterus*. — [2] Cod. Laur. *habitaculum*.— [3] Cod. Cass. ex male *perduceret*. Cod. Laur. *perdurare decrevit*. — [4] Cod. Laur. *pecularia*. — [5] Cod. Laur. *procedat Sponsus de thalamo*. — [6] Cod. Laur. *intemeritas servatur virginitatis jure naturæ*. — [7] Cod. Laur. *cujus conceptionis modum homo non cognoverat*. — [8] Cod. Cass. CXI male *inter Dominum, inter Deum et homines*. — [9] Id. male *ex se peccatis*.

ceribus effunderetur[1] in mundum, et novo miraculo natus in mundo, mundus[2] redimeret mundum. Venit namque filius hominis, sicut ait ipse Filius Dei et hominis, « Non ut » judicet mundum, sed ut salvum faciat mundum (*a*). »

VI. Dic mihi jam, quæso, Sancti sanctorum Mater, quæ materni floris odorem et niveum lilium[3] convallium sine succo[4] humanæ propaginis et sine imbre carnalis seminis in sinus Ecclesiæ seminasti[5]; dic mihi, quæso, unica Mater, quibus manibus, vel quo Divinitas[6] articulo in utero tuo formavit filium, cujus Deus solus est pater. Dic, obsecro te, per Deum[7] qui talem fecit te, ut et ipse fieret in te; dic, inquam, mihi quid boni egisti[8]? Quantum præmium[9] obtulisti? per quas potestates ambiisti[10]? quos etiam patronos adhibuisti[11]? quæ suffragia præmisisti[12]? quo sensu vel qua cogitatione ad hoc, ut acciperes, pervenisti? Ut Virtus et Sapientia Patris, « Quæ attingit a fine usque ad » finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*b*), » totus ubique manens, et sine ulla sui mutabilitate in utero tuo veniens, ita castum castellum tui ventris incoluerit, ut ingrediens non læderet, et exiens incolumem[13] custodiret. Dic ergo mihi, quomodo ad hæc pervenisti? Et ista[14]: « Quæris a me, quid[15] obtulerim muneris, ut mei mater efficerer Creatoris[16]? Oblatio mea virginitas est; promissio mea non a me mihi data[17], sed ab ipso mihi auctore om-

(*a*) Joan. XII, 47, et III, 17.— (*b*) Sap. VIII, 1.

[1] Cod. Cass. male *effusus est.* — [2] Cod. Laur. male *mundum.* — [3] Cod. Cass. male *liliorum.* — [4] Cod. Laur. *sulco.*— [5] Cod. Cass. *in sinu Ecclesiæ seminasti.* Cod. Laur. *in sinu Ecclesiæ germinasti;* uterque defectuosus. — [6] Uterque Codex habet *Divinitatis*, sed phrasis sensus exigere videtur *Divinitas.* — [7] Cod. Cass. *eum.* — [8] Cod. Laur. *gessisti.* — [9] Cod. Laur. *præmii.* — [10] Cod. Laur. *abisti.* — [11] Cod. Laur. *habuisti.*— [12] Cod. Laur. *promisisti.* — [13] Cod. Laur. male *incolomis.* — [14] In Cod. Laur. desunt duo illa verba.— [15] Cod. Laur. *quod.* — [16] Cod. Laur. *Salvatoris.* — [17] Cod. Laur. *docta.*

nis boni concessa : « Omne enim datum optimum et omne » donum perfectum desursum est descendens a Patre lu- » minum (*a*). » Ambitio mea est humilitas mea, et ideo : « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit[1] spiritus » meus in Deo salutari meo (*b*); » quia respexit non in auro clavatam tunicam meam, non pomposo cultu radiantis auri adornamentum cervicis meæ[2], aut pretiosarum lapidum, margaritarum dependentium (splendorem)[3] aspexit in auribus meis, aut genarum ruborem attendit fuco mendaci coloratum, sed « Respexit humilitatem ancillæ suæ (*c*). »

VII. Venit enim ad humilem mansuetus, sicut fuerat vaticinio Prophetæ antea promissum, et ait : « Noli timere, » filia Sion. Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus et mitis, » sedens super nubem levem (*d*)[4]. » Super quem nubem levem? Super Mariam scilicet virginem, quam sibi ipse exhibuit sine comparis pondere[5] genitricem. Venit itaque mansuetus requiescens super maternum spiritum, humilem, et « Quietum et trementem verba sua (*e*). » Venit igitur mansuetus, implens cœlos, transiens per humiles[6] ad superbos, et cœlos non dereliquit, et inflatos tumore superbiæ, apposito humilitatis emplastro, ut mitis medicus ipse curavit. O profunda humilitas ! « O excelsior altitudo di- » vitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia[7] » sunt judicia ejus et investigabiles viæ ipsius (*f*). » Angelorum panis lactatur[8] uberibus matris ; fons aquæ salientis in vitam æternam, Samaritanam[9], præformans Ecclesiam

(*a*) Jac. I, 17. — (*b*) Luc. I, 47. — (*c*) Ibid. 48. — (*d*) Isaï. LXII, 11. Zach. IX, 9. Isaï. XIX, 1. Matth. XXI, 5.— (*e*) Isaï. LXVI, 2.— (*f*) Rom. XI, 33.

[1] Cod. Cass. *exultat.* — [2] Cod. Laur. *non auro clavatam tunicam, non pompas radiantis occulto auro adornamentum ;* et post male *pretiosorum.* — [3] Verbum hoc non legitur in codicibus, sed evidenter desideratur. — [4] Cod. Laur. *sedens super nebulam, super Mariam scilicet.* — [5] Cod. Laur. *sine compari sidere.* — [6] Cod. Cass. *humilem* minus bene. — [7] Cod. Laur. *incomprehensibilia.* — [8] Cod. Laur. *lactabatur.* — [9] Cod. Laur. *Samaritanus.*

bibere postulat; convivare cum publicanis et peccatoribus non recusat[1], cui familiæ cœlestium Dignitatum cum tremore ministrant. Reguli filium Rex regum reddidit sanum, non adhibens diversis pigmentis epythemam[2], sed in lingua[3] bajulans medicinam. Extinctum febribus curat servum Centurionis, cujus laudabilis fides inventa est, quia ita Centurio de Domini virtute fieri credidit, quantum ipse suis militibus subditis imperans. Ita præsumpsit passiones paralysis[4], ut Dominus misericorditer visitando sanaret[5]. Mulieris longo tempore plagam[6] in qua hemoroysi morbi[7] sentina tabida fecerat membra, ipse Salvator tacitam sentiens fidem, et exeuntem de se virtutem, siccavit importunum[8] sanguinis fontem. Et quando cuncta percurram? narrandi deficit tempus quam[9] magnifica potestate et profunda benignitate cuncta perfecit. Qui magnus ad parvos, humilis ad superbos, plenus pietate descendit, nova fecit in sæculo, qui novus venit in sæculum[10]. In cujus mirabilem formam suas[11] Evangelistæ monstrant figuras: homo, leo, vitulus, aquila. Homo de Virgine natus est sine homine; ut leo fortis procubuit in mortem, et potestate propria est exaltatus in cruce; tanquam novellus vitulus pro peccatis populi voluntarie mactatus in passione, et sicut aquila vehemens, recepto corpore, de tumulo surgens, stricto secans aërem omnium lapsus[12] calcavit, et « Super Cherubim ascendit et volavit (*a*), qui ambulans[13] » super pennas ventorum (*b*) » ascendit in cœlum; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Psal. xvii, 11. — (*b*) Id. ciii, 3.

[1] Cod. Laur. *cum peccatoribus, cui familiæ*; cætera sensu truncato desunt. — [2] Cod. Laur. *epithimam.* — [3] Cod. Laur. *sed lingua.* — [4] Cod. Laur. *paralyticis.* — [5] Cod. Laur. *sanavit.* — [6] Cod. Cass. *plaga.* — [7] Cod. Laur. *humore morbi.* — [8] Cod. Laur. *importuni.* — [9] Cod. Cass. *qua.* — [10] Cod. Laur. *ad sæculum.* — [11] Cod. Cass. *suam.* — [12] Cod. Cass. *secans aëre*; Cod. Laur. *omnium lapsu.* — [13] Cod. Laur. *ambulat.*

SERMO VI.

De Incarnatione.

Hic Sermo legitur apud Montem-Cassinum Cod. CXVII, *fol.* 49, *et in Bibliotheca Laurentiana Plut.* XIV, *Cod.* I, §. XIX, *fol.* 21. *De ea fit mentio in catalogo pluries, et semel cum nomine Severiani. Sed codex Laurentianus, sicut et Cassinensis habet præfixum nomen sancti Augustini. Favent nostro judicio familiares Augustino verborum oppositiones. Quædam in fine deesse videntur Bandiniana sententia. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Isaïæ vaticinium. II. Christus de stirpe David. III. Christi Nativitas immaculata. IV. Christus Dei Filius. V. Arguuntur hæretici Deum Christum negantes. VI. De eodem argumento.

I. Audiat in præsenti dilectio vestra, Fratres charissimi, quemadmodum Esaïas propheta de Domino nostro Jesu Christo annuntiavit dicens : « Ecce virgo in utero » concipiet et pariet filium (*a*), et vocabis nomen ejus [1] » Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a pecca- » tis eorum (*b*). »

II. « Joseph, fili David (*c*). » Videtis, Fratres, in per-

(*a*) Isaï. VII, 14. — (*b*) Matth. I, 21. — (*c*) Ibid. 20.

[1] Manifestum est hic unam aut duas deesse lineas, ut compleantur verba Isaïæ : *Vocabis nomen ejus Emmanuël*, et incipiant verba Evangelistæ quæ his adaptantur : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum... Ipse*, etc. Erravit autem amanuensis ob repetita verba : *Vocabis nomen ejus*.

sona genus vocari; videtis in unum totam prosapiam nuncupari. Videtis in Joseph seriem Davidis stemmatis sanciri : « Joseph fili David; » vigesima octava generatione natus, quomodo filius David dicitur, nisi quia generis aperitur arcanum, fides promissionis impletur; superna conceptio cœlestis partus virginea nascitur in carne[1]. « Joseph, fili David; » tali voce ad David prolata fuerat promissio Dei Patris : « Juravit Dominus David ve- » ritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui po- » nam super sedem meam (*a*)? » Quod factum David taliter gloriatur in Cantico : « Dixit Dominus Domino meo : Sede » a dextris meis (*b*). De fructu ventris tui[2] ; » bene de fructu ventris; bene de utero; quia cœlestis hospes, et supernus habitator sic in uteri descendit hospitio, ut corporis claustra nesciret[3] ; sic de habitaculo ventris exivit, ut virginalis janua non pateret; at impleretur illud quod scriptum est[4], quod cantatur in Canticis Canticorum : « Sponsa mea » hortus clausus, fons signatus (*c*). »

III. « Joseph, fili David, noli timere. » Sponsæ causa sponsus ne timeat admonetur, et vere pius animus dum compatitur plus pavescit. « Joseph, fili David, noli timere, » ne qui[5] de conscientia securus es, de sacramenti cogitatione succumbas. « Fili David, noli timere ». Quam vides, virtus est ista, non crimen; hic non humanus lapsus, sed divinus illapsus. Hoc præmium est, non reatus. Hic incrementum cœli est, non est corporis detrimentum. Hic non est perditio personæ, sed Judicis est secretum. Hic palma genitoris est[6], non est supplicii pœna. Hic ho-

(*a*) Psal. cxxxi, 11. — (*b*) Id. cx, 1. — (*c*) Cant. iv, 14.

[1] Cod. Laur. *Virginea jam sanguinatur in carne.* — [2] Hæc *quod factum*, etc. desunt in codice Cass. — [3] Cod. Laur. male *nescirent*. — [4] Cod. Laur. non habet hæc verba : *Illud quod scriptum est.* — [5] Ab his verbis : *Sponsæ causa* totum in Cod. Cass. desideratur. — [6] Cod. Laur. *cognitoris est.*

minis scortum non est[1], thesaurus est Christi. Hic non est mortis causa, sed vitæ; et ideo « Noli timere; » quia quæ[2] talem parturit, non meretur occidi. « Joseph, fili David, « noli timere accipere Mariam conjugem tuam. » Sponsam vocari[3] conjugem, legis est hoc divinæ. Sicut ergo manente virginitate[4], mater est; ita conjux pudore dicitur permanente.

IV. « Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam » conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu » sancto est (*a*). » Veniant et audiant qui requirunt quis est quem Maria genuit : « Quod in ea natum est de Spiritu sancto » est. » Veniant et audiant, qui græco turbine latinam nubilare nisi sunt[5] puritatem, Anthropotocon[6], Christotocon, Theotocon ut tollerent blasphemantes. « Quod in ea » natum est, de Spiritu sancto est. » Et quod de Spiritu sancto natum est, spiritus est; quia « Deus spiritus est. » Quid ergo requiris, quid sit de Spiritu sancto natum[7]? Cum tibi quia Deus est, Deus ipse respondeat, cum tibi Joannes increpet : « In principio erat Verbum, et Ver- » bum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et Ver- » bum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus » gloriam ejus (*b*). » Joannes vidit gloriam, respice, Infidelis, injuriam. « Quod in ea natum est de Spiritu sancto » est. Et vidimus gloriam ejus. » Cujus? Ejus qui « Na- » tus est de Spiritu sancto; » ejus qui « Verbum caro fac- » tum est, et habitavit in nobis. Quod in ea natum » est, de Spiritu sancto est. » Virgo concepit, sed de Spiritu sancto; Virgo parturit[8], sed eum quem prædixit

(*a*) Matth. 1, 20. — (*b*) Joan. 1, 1, 14.

[1] Cod. Cass. *hominis ortus est;* non bene. — [2] Cod. Cass. male *qui*. — [3] Cod. Laur. *vocare*. — [4] Cod. Cass. *Divinitate*. — [5] Cod. Cass. prave *non sinunt*. — [6] Cod. Laur. male *antropocon*. — [7] Cod. Laur. *natus est*. Cætera usque ad *eum tibi Joannes* desunt in Cod. Cass. — [8] *Sed de Spiritu sancto, Virgo parturit*. Hæc non leguntur in Cod. Cass.

Esaïas : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vo-» cabitur nomen ejus Emmanuël, quod interpretatur : » Nobiscum Deus (*a*). » Cum illis homo; et « Maledictus » homo qui spem suam ponit in homine (*b*). »

V. Audiant qui requirunt quis est qui natus est de Maria. « Pariet Filium, inquit Angelus, et vocabunt » nomen ejus Jesum (*c*). » Quare Jesum? Apostolus dicit[1] : « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, » terrestrium, et infernorum (*d*). » Et tu quid sit Jesus, dolosus cognitor nunc requiris? « Omnis jam lingua con-» fitetur; quia Dominus Jesus[2] in gloria est Dei Patris (*e*), » et tu adhuc modo quid sit Jesus nequiter perscruteris.

VI. Audi adhuc quid sit Jesus : « Pariet[3] Filium et » vocabitur nomen ejus Jesus. Ipse enim salvum faciet » populum suum a peccatis eorum; » non alterius, « salvum faciet populum suum. » Unde? « A peccatis » eorum[4]. » Esse Deum qui peccata donat, si Christianis non credis, crede, infidelissime, vel Judæis dicentibus : « Cum sis homo, facis te ipsum[5] Deum (*f*). Ne-» mo potest dimittere peccata nisi solus Deus (*g*). » Illi ergo negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant; tu ab eo peccata dimitti credis, et Deum dubitas confiteri[6]. « Verbum caro factum est, » ut homo caro promoveretur in gloriam[7] Dei, non ut Deus in carnis verteretur injuriam, sicut dicit Apostolus : « Qui se jungit » Deo, unus spiritus est (*h*), » (et) quomodo non[8] quando se

(*a*) Isaï. VII, 14.— (*b*) Jer. XVII, 15.— (*c*) Matth. I, 21.— (*d*) Philip. II, 10. — (*e*) Ibid. 11. — (*f*) Joan. X, 33. — (*g*) Luc. V, 21. — (*h*) I Cor. VI, 17.

[1] Cod. Laur. *dicat.* — [2] Cod. Laur. *Dominus noster Jesus Christus.* — [3] Cod. Laur. *paries,* et deinde *vocabis.*— [4] Cod. Cass. *populum suum unum a peccatis eorum.* — [5] Cod. Laur. *te Deum.* — [6] Hic detractis pluribus verbis inextricabilis est Cod. Cass. sed ex Cod. Laur. corrigitur. In priori enim desunt hæc verba : *non credebant*; *tu ab eo peccata dimitti*; unde phrasis sine sensu remanet.— [7] Cod. Cass. *gloria.* — Hæc verba videntur abundare.

jungit Deus homini unus Deus est [1]. Humanæ leges [2] intra triginta annos litigiosas omnes [3] interimunt quæstiones ; et Christus circa quingentos annos nativitatis suæ causas præstat. Ortus sui lites patitur ; status sui continet quæstiones. Hæretice, desine judicare Judicem tuum ; et adora in cœlis Deum tuum [4], quem Deum Magus adoravit in terris [5].... Cui honor est et gloria, laus et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

In Natali Domini I.

Legitur hic Sermo in Cod. XI *Montis-Cassini fol.* 262, *cum nomine S. Augustini, cui sine dubio videtur tribuendus. Reperiuntur duo circiter numeri in Appendicis Maur. sermone* CCXIV, *fol.* 402 ; *sed talis similitudo non inficit hujus nostri auctoritatem, cum e contra probabiliter ostendat illum esse verum Augustini fœtum, qui in Appendice non nisi depravatus habetur, cum nihil ex iis, quibus nititur Maurinorum sententia, hic occurrat. Adde quod in Sermone nostro laudetur liber* III *Esdræ, et Scripturæ nomine designetur, quod sententiæ Augustini apprime convenit, eumdem librum, ut Scripturam, citantis in opere* DE CIVITATE DEI, *libr.* XVIII, *cap.* XXXVI, *ubi refert factum aliquod depromptum ex capit.* III. *In editione Maurinorum post sermonem* CXCVII *collocandus est, et accipit numerum in Natali Domini* XIV.

[1] Sic Cod. Laur. Cod. Cass. habet solummodo : *Qui se jungit Deus homini unus Deus est.* — [2] Cod. Cass. male *legis.* — [3] Cod. Cass. male *hominis.* — [4] *Tuum* deest in Cod. Cass. — [5] Hic plurima desiderantur.

SYNOPSIS.

I. Jussio indicit loquendi angariam. II. Angaria beata quæ ad unitatem Trinitatemque perducit. III. Divinitas una et trina. IV. Trinitas auri comparatione illustratur. V. Unus Deus, non tres Dii. VI. Christus, incarnatus ex Virgine, pastor, ovis, et aries. VII. ChristiNativitas annuntiata Pastoribus. VIII. Incarnatio dominica idoneis testibus est confirmata. IX. Deus nasci voluit, ut mori posset et morte nos ab inferis salvare. X. Deus conceptus et natus ex Virgine semper immaculata. XI. Uterus Virginis Deo non indignus. XII. Virgo concepit immaculata, et peperit per virtutem omnipotentis Dei. XIII. Deus uteri contactu fœdari non potuit, quia omnia munda mundis. XIV. Idem Eliæ et corvorum exemplo demonstratur. XV. Exemplo solis iterum confirmatur argumentum. XVI. Uterus Virginis in puritate factus. XVII. Locus ubi Deus Moysi apparuit sanctus fuit; quanto magis Mariæ uterus? XVIII. Filius Dei ut in fornacem ignis, ita in Mariæ uterum ingressus. XIX. Ex Virgine nasci potuit, qui sine semine germinare fecit virgam Aaron. XX. Virgæ germinantis factum narratur. XXI. Virgæ miraculum Virgini matri accommodatur. XXII. Immaculatæ Incarnationis modus evolvitur. XXIII. Virgo virga nucem peperit. XXIV. Adducuntur in confirmationem Isaïæ verba : « Exiet Virgo de radice Jesse, etc... » XXV. Ezechielis, necnon et rursus Isaïæ, et David testimonia. XXVI. Nasci potuit ex Virgine qui primoplasto costam sine passionis vestigio valuit subtrahere. XXVII. Christianis in miraculosa Nativitate lætandum.

I. Sanctus hic cum declinat dicendi laborem[1], imperitiæ nostræ imponit pudorem. Sed nos postponimus totum pudorem, ne in hoc tanto devotionis nostræ conventu, imo veritatis ac fidei proventu, quo exhibuistis festivitati dominicæ Nativitatis honorem, male cautum videamus palpare torporem. Jussio nobis indixit angariam ; charitas

[1] Credo hic agi de S. Paulo, cujus, ut probabile est, lecta fuerant hæc verba ex Propheta citata : *Generationem ejus quis enarrabit?* Isaï. LIII, 8. Act. VIII, 33.

elicit obsequium; dies exigit in prædicando frequentiam; sanctitas vestra provocat apparentiam.

II. Jussio, inquam, nobis indixit angariam, et videte quid Dominus dicat: « Qui te angariaverit mille passus, » vade cum eo alia duo(*a*). » Cedo imperio; dominicæ sententiæ succumbo; judicio colla submitto; hic me ducit ad unum milliarium, ego tria offero. Cursum meum in Trinitate perficio. Ille vocat ad unitatem; ego cum illo pergo usque ad Trinitatem. Una est ergo et angariati et angariantis intentio, quia necesse est ut mecum eat qui me angariat. « Qui te angariaverit, inquit, mille passus, » vade cum illo alia duo. » O angaria beata, quæ non facit injuriam, sed perducit ad gloriam! Unum et duo; tria in unum. Quadra via venitur ad patriam; quia per quatuor Evangelia Trinitatis capimus sacramenta. Ab uno ad tria pergimus, et cum per tria currimus, ad unum recurrimus. Sed in unitate quæ tria sunt non finimus. Ecce in hac via, qua pergimus, tres video manare fontes. En aures erexit hæreticus; quasi audivit quod vult; audiat ergo et quod non vult. Tres, inquam, video manare fontes, sed una vena est quæ in tribus exuberat; quia Trinitas in unitate redundat; ac sic, qui ex uno biberit, de omnibus bibit. Verumtamen nulla ratione se satiat, nisi ex omnibus bibat, ut eumdem saporis gustum in vena unitatis inveniat.

III. Dictum illud Domini evidentius est: « Ite, docete » omnes gentes, tingentes eas in nomine Patris et Filii » et Spiritus sancti(*b*). » Quod ergo est nomen Patris? Deus. Quod est nomen Filii? Deus. Quod est nomen Spiritus sancti? Deus. Deus unus, quia non dixit: « In nominibus, » sed « In nomine. » Unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, Apostolo dicente, « Quia Dominus Deus

(*a*) Matth. v, 41 — (*b*) Id. xxviii, 19.

» tuus, Deus unus est. Mediator autem unius non est, Deus » autem unus est (*a*). » Quod individuum est in nominis unitate, non discernitur in naturæ æqualitate. Ex Patre Filius; a Patre Spiritus; in Patre Filius et Spiritus; in Filio et Spiritus et Pater; totus Deus unus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Nulla est in unitate divisio, nec admittitur in Trinitate discretio [1], nec est in alio (inferior) et in altero potior, sed perfecta, et una, et integra in singulis plenitudo. Ecce pergimus tria milliaria; non est ultra quo pergat angaria.

IV. Adjiciamus tamen aliquid de comparationis exemplo in præjudicata fide, ut divinis frivola comparemus. Si quis enim dubitat pluralem numerum in Deitate non cadere, aurum mihi declinet in numero, quod pluralitatem penitus non admittit in nomine, cum varias dividatur in species, quæ vocabula diversa significent; ut puta annulus, torques, brachiale, et cætera quæ una tantum formantur ex massa auri; tamen naturam non amittit in nomine, quia non mutatur in genere. Et annulus aurum est, et torques aurum est, et brachiale aurum est. Tres pone massas auri; omnes massæ aurum, hoc aurum, unum aurum, totum aurum; aut declina pluraliter, si potes. Aurum nihil habet in generis appellatione vocabulum; et quod non debetur in nomine, non separatur in genere, licet aliud audiatur in specie. Ita ergo et in Trinitate quodcumque dixeris Deus est. Patrem dixeris, Deus est; Filium dixeris, Deus est; Spiritum sanctum dixeris, Deus est. Deus autem unus est. Non admittit ergo Deitas numerum, quia nihil habet Trinitas in natura diversum. Et sicut non admittit numerum, ita non recipit incrementum.

(*a*) Rom. III, 30; 1 Cor. VIII, 4; Galat. III, 20; 1 Tim. II, 5, etc.

[1] Codex *dissertio*, cujus sensus non apparet, et error ex verbo præcedenti *discretio* facile intelligitur

V. Possunt ergo, inquis, dii dici, si tres sunt in substantiæ unitate personæ. Absit a te, Christiane, ut quando hac consideratione ducaris. Diabolus enim in origine mundi principaliter in hac causa damnatus est, quia deos, cum homines vellet decipere, subinduxit dicens: « Et » eritis sicut dii (*a*), » cum dicere debuerit: » Sicut Deus. » Futuram enim viam sternebat idolis, qui repudio dejectus fuerat unitatis. Sive enim hoc de Patre et Filio et Spiritu sancto, sive de ipsis hominibus tanquam diis futuris dixit, utrobique mentitus est, origo mendacii. Et si deos dicimus, quid inter Christianum gentilemque intererit, qui multos deos credit; et alios majores, alios minores esse confingit; et ab uno Deo vero erratica vanitate desciscit? Si hoc in Christiano deprehenditur, quid in gentili damnatur? duos autem vel tres deos ille asserat, ille defendat, qui contra canonis auctoritatem non admittit in Patre et Filio et Spiritu sancto unitatem: et in ipsa unitate inseparabilem dividit Trinitatem; et cum separat Trinitatem, interficere nititur veritatem; et dum dicit unum esse majorem, alium vero esse minorem, per falsitatis gradus inducit in ipsa Divinitate diversitatem; quæ si viget (*sic*) tempore et merito, non æqualis natura, sed impar est. Nobis autem, ut diximus, unus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Gradum non admittit æqualitas, nec diversitatem recipit unitas, nec degenerat in nomine et natura Divinitas.

VI. Verum quid ego in altitutidine disputationis adductus, fastigia metuenda pertingo? Aliud est nobis pro festivitate diei dicendi propositum. Omittamus interim illa quæ in sacramentis arcana sunt. De his, quibus dominica est Incarnatio peracta tractemus. Hodierna enim die, Fratres mei, exultaverunt Angeli; fremuerunt cœli, resul-

(*a*) Gen. III, 5.

taverunt elementa mundi, lætati sunt inferi, quorum ergastulis tenebantur, mortis compede et ditione captivi. Lætentur ergo hodie populi christiani, quia natus est in carne Dominus mundi, et deletum est elogium hominis primitivi. Natus est Dominus in carne vera, et victa est in hac Nativitate natura, quia Virgo concepit, et peperit illibata, et facta est mater vera, quæ permansit virgo perpetua. Natus est hodie Dominus; redemptus est mundus, et elisus est diabolus. Et videte rem miram. Natus est hodie agnus, et fugatus est lupus. Natus est hodie agnus, et annuntiatus est Pastoribus pastor bonus et agnus : pastor ad custodiam, agnus ad victimam. Et quia agnus dicitur, et aries et ovis esse perhibetur. Ipse est enim aries qui tenebatur in spinis cornibus, cum immolandus Isaac beatus fuisset oblatus[1]. Ille denique subtractus est neci, hic affixus est cruci. Ille ligatus vinculis super ligna jacuit; Christus affixus clavis in cruce pependit; et portavit coronam spineam, cum iret ad victimam, qui jam habuit coronam ex pretiosis lapidibus, pretiosam manu Patris, artificio pietatis intextam. Arietis quippe omnis virtus in fronte est; et nobis fortitudo omnis in cruce qua signamur in fronte. Ac perinde quod per figuram Judæa signabat in postibus, nos habemus in frontibus, pro quibus agnus innocens docetur occisus. Aries ergo secundum constantiam, agnus juxta innocentiam. Et quamvis diversi sexus sunt in animantibus istis, tamen est natura generis in unitatis æqualitate conformis.

VII. Natus est ergo hodie in carne Deus, et « Claritas » Deo annuntiata est in excelsis, et pax in terra homini- » bus bonæ voluntatis (*a*). » Claritas Deo præstituitur ad

(*a*) Luc. II, 14.

[1] Vide comparationem Isaaci cum Christo in lib. II. contra Maximinum Arianum, n. 9; et Enarrationem III in Psal. XXX, n. 9.

triumphum, et hominibus, qui dudum cum Deo habebant divortium, pacis redditum est sacramentum, et luctum accepit diabolus sempiternum. « Fuerunt autem, inquit, » Pastores in illa regione pernoctantes et custodientes » nocturnas vigilias super gregem suum. Angelus autem » Domini astitit illis, et claritas Dei circumfulsit illos ; et » timuerunt Pastores timore magno nimis. Et dixit illis » Angelus : Ne timueritis ; ecce enim annuntio vobis gau- » dium magnum quod erit universæ terræ : quia natus est » vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in ci- » vitate David. Et hoc vobis signum : Invenietis infan- » tem pannis involutum, et positum in præsepio (*a*). » Ite, ite, Pastores, ad stabulum ; currite celeres ad præsepium ; ibi invenietis hodie agnum natum, gaudium nostrum, obtectum, ex peccatis nostris, sordidorum involucro pannorum ; qui non pro unius populi liberatione voluit mactari, sed pro cunctis debebat gentibus crucifigi. Infans in præsepio, juvenis pependit in ligno.

VIII. Nativitatis dominicæ « Sacramentum, quod juxta » Apostolum, manifestatum est in carne, justificatum est » in Spiritu, visum est Angelis, prædicatum est gentibus, » creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria (*b*);» quod Patriarchæ susceperunt, Prophetæ ante testati sunt, Angeli fundaverunt, Apostoli firmaverunt, Martyres patiendo confessi sunt, factis veritas docuit, fides nostra probavit, virtus implevit, et ad nos usque per gratiam divini sacramenti transivit. Habemus hujus fidei testes idoneos, assertores probatos, et Apostolos magistros. Quod enim videri non poterat in Deitatis majestate, innotuit evidenter in carnis humilitate ; et quod celabatur sapientibus in virtute cœlesti, revelatum est parvulis in infirmitate carnali ; et ut erigeretur infirmitas, cœlestis est hu-

(*a*) Luc. II, 8-12. — (*b*) 1 Tim. III, 16.

miliata sublimitas. Sed ita est humiliata Divinitas, ut non amitteret quod habet in natura veritatis, et tamen virtutem sumeret infirmitas ex commercio Divinitatis.

IX. Factum est ut Evangelista testatus est; virtus infirmitate emicuit. Deus carnem ita ex Virginis matris vulva suscepit, ut non præeunte seminatione carnali caro existeret, sed ex operatione cœlesti et conjunctione Verbi; et cum, nimio affectionis desiderio, vult hominem reparare, hominem reformavit in homine, et virginem carnem assumpsit ex Virgine. Amavit te Homo-Deus, et fecit se, propter te, hominem Deus. Suscepit te, et subjecit se, Apostolo dicente : « Se ipsum exinanivit, formam servi acci-» piens, in similitudine hominis constitutus, et habitu in-» ventus ut homo. Propter quod et Deus exaltavit eum et » donavit ei nomen quod est super omne nomen (*a*). » Inanivit se, et implevit te : inanivit se claritate, et implevit te. Inclinavit se, et erexit te. Inde denique per Spiritum sanctum Propheta psalmidicus cantavit : « Domine, in-» clina cœlos, et descende (*b*). » Descendit ad te, ut tu ascenderes ad eum; et tantum inclinavit se, ut qui mori non norat ex se, moreretur pro te, sed tamen ab se, quia nisi vellet mori, mors ei non poterat dominari; et nisi hodie vellet nasci, non posset teneri conditione carnali. Voluit ergo nasci, ut vellet et mori. Quia nisi primum carnem libens subiret, in secundo, nulli se passioni subjiceret; nec mors ad eum posset accedere, nisi vellet carnem, quæ habet conditionem moriendi, suscipere. Sed neque ipsa caro mori posset, nisi voluisset, ipso dicente : « Pono » animam meam a me, et nemo auferet eam a me; sed » ego pono eam a me. Potestatem habeo ponendi ani-» mam meam; et potestatem habeo iterum sumendi » eam (*c*). » Nobis autem non prodesset, nisi mori voluis-

(*a*) Philip. II, 7 9. — (*b*) Psal. CXLIII, 5. — (*c*) Joan. X, 17, 18.

set, quia nisi mori voluisset, homo ad æternitatem pristinam non rediisset. Mortuus est ergo quia voluit; sed hominem, qui mortuus fuerat, ad immortalitatem ex sua morte transvexit. « Inclinavit ergo cœlos et descendit (*a*). » Captivavit inferos, et ascendit, Apostolo dicente : « Captivam » duxit captivitatem (*b*). » Interea non dixit, Captivatorem, sed « Captivitatem : » imo vero captivatorem, quia captivitatem. Et quam captivitatem? mortem. Occidit ipsam litteram, et perdidit magister sceleris scholam. Exarmavit armatum, eripuit illi gladium suum, et duxit captivatorem cum ipsa captivitate captivum. Hoc Scriptura testatur dicens : « Ibit mors et egredietur; et diabolus ante pedes ejus » stetit (*c*). » Qui ergo ante pedes victoris stetit victus, quomodo possit stare, nisi captivus? « Inclinavit cœlos » et descendit » ad mundum. Captivavit diabolum, et ascendit in cœlum; ut qui est per naturam regnator in cœlis, esset per carnem dominator in terris, et per mortem fieret triumphator in inferis, Apostolo dicente : « Ut » omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium et infer- » norum (*d*). Et : Ad hoc Christus mortuus est et resurrexit, » ut et mortuorum, et vivorum dominetur (*e*). »

X. Natus est Deus ex utero Virginis, ex intemerato connubio, ex puro matrimonio; sine semine viri, sed ex semine Verbi; et in forma servi, qui ante sæcula, natus est ex Deo[1] in forma Dei. Et ut servus fieret dominus, Dominus ipse factus est servus. Sed totius hujus mysterii opus suscepit virgineus uterus; formavit Spiritus sanctus. Exivit homo Deo plenus, qui tamen et homo esset et Deus, ut ait Apostolus : « Utrumque unum (*f*), » caro scilicet et Verbum, discreta natura, sed per voluntatem Dei concreta

(*a*) Psal. xvii, 10. — (*b*) Ephes. iv, 8. — (*c*) Habac. iii, 5. — (*d*) Philip. ii, 10. (*e*) Rom. iv, 9. — (*f*) Ephes. ii, 14.

[1] Codex male *ex eo*.

substantia; ut quæ erant ante duo diversa, in unionem fierent nativitatis hujus fibula sociata. Uterus tamen Virginis officina hujus sacramenti fuit. Quæ ita partum, sicuti concepit, emisit, et quæ virum in conceptu non admisit, virum æque sine ullo detrimento pudoris emisit. Nec passa est masculum virum[1]; virum scilicet in virtute divina et humana fragilitate concretum; sed Deum in virtutibus et operatione perfectum, apostolo Petro dicente: « Jesum Nazarenum virum a Deo ostensum in vobis (*a*).» Hinc Esaïas propheta : « Ecce, inquit, Virgo concipiet et » pariet filium (*b*). » Virgo est igitur quæ concepit, Virgo quæ peperit. Conceptum sine præjudicio[2] partus incorruptibilis subsecutus est; quia sequens naturæ processus, ex priori sumpsit originem. Habuit enim Deus Filius nostræ similem partitudinis exitum, sed similem non potuit habere conceptum. Humanus enim partus ex corruptione concipitur; in partu vero Filii Dei, mater intacta servatur. Mater est enim facta cum peperit, et virgo intemerata concepit. Ex semine Verbi prægnata divinitus, partum sine detrimento pudoris emisit; quia virgo concepit et peperit. Sensit Virgo partus legem, sed genitalem conceptus non pertulit passionem; et insensibilis conceptionis ingressus sensibilem exitum habuit; sed corruptionis injuriam mater intemerata non sensit. Coëunt igitur in fœdera sanctitatis virginitas et Divinitas. Virgo obtulit mentem, Verbum exhibuit incorruptionem; illa animi et corporis sanctitatem, Verbum pudoris integritatem, et perennem virginitatem. Inde est quod Angelus dixit : « Benedicta tu » inter mulieres (*c*), » quia jam benedicta fuerat inter virgines. Hanc enim sibi vindicant beatæ matres, hanc sanctæ amplectuntur et virgines. Inter matres, virgo est;

(*a*) Act. II, 22. — (*b*) Isaï. VII, 14. — (*c*) Luc. I, 42.

[1] Hic desse quædam videntur. — [2] Codex male *sine judicio*.

inter virgines, mater est; quia concepit et peperit, et virgo esse non desiit. « Benedicta tu inter mulieres; » quia cum esset futura mater, non erat sensura quod mulier.

XI. Sed indignus est, inquiunt hæretici, uterus Deo; et immortalem Deum non potuit generare mortalis; quia stultum est credere de parvis magna proferri, et de minimis ingentia procreari. Jam si tibi, quisquis es, Perfide, ex temporalibus rebus ostendero[1] plus esse quod nascitur, ab eo qui generat, et magnificentius esse quod profertur, ab eo ipso qui profert, blasphema tibi claudentur ora; et veluti offas accipiens, Impudens, oblatrandi amittes licentiam. Quæro ergo ex te quid tibi præstantius videatur, mel aut apis; musca an cera. Si comparationem facis, quæ conficit, vilis est; et plus est ipsa, quam conficit ore, confectio : et pretiosiora[2] sunt mella quam musca; et pulchrior est in opere, quæ deformis invenitur in corpore. Casta tamen mater producit examina liberorum, quæ nec concubitum pertulit nec maritum; et favum exhibet dulcedinis, quæ in corpore taxatur pretio vilitatis. Accipe adhuc aliud : aurum de terra nascitur, et plus est terra quod nascitur de terra; sericum texit aranea, et plus est sericum quam aranea; ostreæ expuunt margaritam, et plus est margarita quam ostrea; tinguntur lanæ conchiliis, et vilia sunt conchilia ipsa, cum sit purpura pretiosa. Ex visceribus montium pretiosi lapides excluduntur, in quorum comparatione totus ipse mons vilis est, quia unius gemmæ pretium meritum cujuslibet montis excedit. Ecce in visceribus petrarum gemmæ fulgor tenetur inclusus; inde idem prosatus, et non aliunde conceptus; et multo minus est qui gignit, ab illo qui gignitur. De inferioribus tamen superba nascuntur; de modi-

[1] Cod. male *extendero*. — [2] Id. *pretiosa*.

cis magna ; de sordidis pulchra ; de vilissimis pretiosa procedunt. Quid ergo indignum judicas Domino Virginis uterum? aut non putas potuisse ex homine nasci Hominem-Deum, cum in rebus, quarum mentionem fecimus, plus esse videas nascentium privilegium meritorum. Quoties autem contigit ut ex plebeio imperator, ex laïco nasceretur episcopus, et ille fieret dominus patris sui, hic pater genitoris sui; ille dominus mundi, hic pater populi christiani? Quin imo hæc te maxime rei magnitudo sollicitet et invitet, quia virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, et virgo semper esse non desinit. Virgo ante conceptum, virgo post partum, et virgo permanet in æternum.

XII. Frustratum est in Nativitate Domini argumentum sæculi, et sapientia terrenæ disquisitionis evanuit. Quod enim est argumentum sæculi? Si peperit, inquiunt, cum viro concubuit ; et quasi ratione non videtur abhorrere quod dicunt, siquidem et Apostolus dixerit : « Neque na» tura ipsa docet vos (*a*). » Sed vicit argumentum sæculi, exclusit naturæ legem naturæ Creator. In illo enim conjectura quæritur, in isto Omnipotentis virtus et magnitudo tractatur; et ubi virtus, nihil de exemplo præscribitur. Quare? quia Apostolus e diverso dixit : « Qui vo» cat ea, quæ non sunt, quasi sint (*b*). » Quod est argumentum Dei? Virgo peperit, et cum viro non concubuit; quia Verbum carnem factum mater perfecta generavit. Sed stultum, inquit sæculum, credere potuisse parere, quam cum viro negaveris concubuisse. Sed hoc est quod nos maxime in hac sacramenti admiratione confortat ; ut in sacramento sim sapiens, ut sæculo stultus inveniar. Scriptum est enim : « Apprehendam sapientes in astutia eorum (*c*). » Et iterum : « Dominus novit cogitationes sapientium,

(*a*) 1 Cor. II, 14. — (*b*) Rom. IV, 17. — (*c*) 1 Job. V, 13 ; et 1 Cor. III, 19.

» quoniam vanæ sunt (*a*). » Quibus concinens apostolus Paulus ait : « Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor » hujus sæculi? Nonne per stultitiam infatuavit Dominus » sapientiam hujus mundi? Etenim non cognovit mun- » dus per sapientiam Deum. Placuit enim Deo per stulti- » tiam prædicationis salvos facere credentes (*b*). Quod » ergo stultum sæculi est, hoc sapientia Dei est (*c*); ut per » sapientiam Dei reprobetur sapientia mundi (*d*). » Quæ cum sophismatum syllogismis in astutia vanitatis putat se posse proficere, non intelligit virtutem Dei per omnipotentiam, quæ vult posse perficere. Omnipotenti enim non potest de eo quod fecerit, ut diximus, in rebus naturisque præscribi; quia quod fecit, ante non fuit : sed nec de materia ulla protulit et sic fecit; sed « Dixit et facta » sunt, præcepit et creata sunt (*e*), » quæ ante non fuerant. Cui ergo subest facere quod non est, ex eo quod jam est [1], quod vult facere non potest? Ubi intercedit [2] conjunctio viri, generationis profectus ex semine est; licet hoc in sterilibus fœminis vacuetur, in quibus vacat affectus seminis, si non interveniat munus auctoris. Ubi autem opus virtutis auditur, nihil illic comparationis admittitur; quia quod divina virtus perficit, comparationem de mortalibus non admittit; quia si comparatur exemplo, non erit singulare, et caret miraculo, quod non habet novitatem.

XIII. Sed putas Deum, Incredule, ex contactu uteri potuisse fœdari? Non quidem consentio sacrilegio tuo, sed respondeo blasphemio tuo. Si enim hoc ex vase illo cordis tui inquinatissimo ructasti, non esse tibi incognita Apostoli illa sententia debuit, qua dictum est: « Quia omnia

(*a*) Psal. xciii, 11; et I Cor. iii, 20. — (*b*) Id. i, 20, 21. — (*c*) Ibid. 25. — (*d*) Ibi. 19. — (*e*) Psal. cxlviii, 5.

[1] Codex male *non est*. — [2] Id. perperam *inter*.

» munda mundis (*a*). » Et si mundis omnia munda quæ videntur in mundo, quanto magis Deo munda sunt omnia, qui mundus fecit omnia munda. Sic enim scriptum est: « Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce valde » bona (*b*).» Et si bona omnia, consequenter et munda. Sed cum nos male utimur rebus mundis a Deo factis, quæ erant munda nobis facta sunt immunda vel turpia. Sic enim alibi de animantibus dictum est: « Immunda erunt » vobis (*c*).» Hoc est dicere: «Vobis erunt immunda,» non mihi, in personam statuens, non revocans ad naturam; et ascribens vitio utentis, non instituto imputans Creatoris. Nam et vinum natura bonum est, sed ebrioso malum est; et mel bonum et dulce est, sed causario contrarium atque inimicum est; et « Lex bona est (*d*), » ut dixit Apostolus, sed si quis ea jure utatur; quia qui ea jure non utitur, non utitur, sed abutitur. Non ergo ista omnia immunda fecit natura, sed causa, quia interdicta sunt. Interdicta sunt specialiter, non maledicta generaliter, nec absoluta fuit rerum illa damnatio, sed personæ mandata temporaliter prohibitio. Sed hoc probavimus testimoniis; doceamus exemplo, et munda esse quæ dicuntur immunda monstremus. Omnibus notum quibus evectus Elias venerabilis gerit in sæculo peregrinum, ut per gradus laurigeros triumphorum, singulari de mundo transcursu, ad paradisi tetenderit commeatum, sanctitate plenus, virtute perfectus, cœli conscius, æterni nemoris inquilinus: Elias, inquam, ille venerabilis currus ignei vector illæsus, et intrepidus quadrigæ flammigerantis auriga, qui in carne mortali per ignem transivit in ignem. In paradisum enim docetur esse transvectus, et quoniam paradisus, ejecto homine, verus est ignis ambitus, vehiculum accepit ignis, ut flammas ignei possit superare custodis.

(*a*) Tit. I, 15. — (*b*) Gen. I, 31. — (*c*) Deut. XIV, 7. — (*d*) I Tim. I, 8.

« Et ascendit, inquit, Elias in commotionem quasi in cœ-
» lum(*a*), » sed quasi in cœlum, non in cœlum. « Nemo enim
» ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius
» hominis qui est in cœlo (*b*). » Sed non prætereamus hoc testimonium, ubi maxime intervenit dominicum sacramentum. « Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui
» de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo. »
Ecce in terra est, et cœlo non deest; apud Patrem est, et in cœlo est; in utero totus est, et in cœlo totus est; et apud Patrem totus est[1]. In utero interior, in sæculo exterior, apud Patrem superior. O magnum Deum ubique diffusum! Implet uterum, continet mundum, possidet cœlum.

XIV. Sed ad propositum redeamus. Dixit Dominus ad Eliam: « Vade ad torrentem, in cymarro Charath,
» qui est ad faciem Jordanis... Et corvi afferebant ei
» panes mane et carnes meridie; et de cymarro bibebat[2]
» aquam(*c*). » Est-ne hinc ulla contentio, et quod vocetur in dubium? Quî sanctum virum corvis ministrantibus pastum et officio immundi volucris adnutritum[3] inficietur impietas? At ego teneo illam Domini sententiam generalem qua cautum est: « Quia quidquid tetigerit immundus,
» immundum est(*d*). » Ecce corvus panes attulit, corvus carnes advexit, et immundum non potuit esse quod tetigit[4]; nec immundus factus est qui accepit. Probavit Apostolus qui dixit, « Quia omnia munda mundis (*e*); » et utique adhuc illis temporibus, hæc vigebant quæ de animantibus cavebantur. Nolo interim de carnibus, quales fuerint disputare, quæ etsi esse poterant licitæ, tamen ex contactu immundi alitis fiebant, præscripto legis, im-

(*a*) 4 Reg. II, 11.— (*b*) Joan. III, 13. — (*c*) 3 Reg. XVII, 3-6. — (*d*) Num. XIX, 22. — (*e*) Tit. I, 15.

[1] Vide Tract. in Joan. XII, n. 8; et Serm. CCXCIV, n. 9. — [2] Codex male *bibat*. — [3] Id. *pasto*, et postea *ad natatum*. — [4] Vide lib. XXXI. contra Faustum, cap. I-IV.

mundæ : «Quia quidquid tetigerit, dictum est, immundus, » immundum erit (*a*). » Sed immundum sancto viro nihil esse potuit, in cujus persona præscriptum generale cessavit ; ac proinde ostenditur personale esse quod cavebatur in animantibus singulis, quod per meritum utentis irritum perducitur in corvis ; nisi quia audivit corvus quod non vult audire Judæus. Ille audiendo factus est mundus, Judæus non audiendo remansit immundus. Probavit Apostolus qui dixit « Quia omnia munda mundis. » Immundum ergo esse non potuit, quod immundus corvus tetigit ; et uterum immundum esse potuit quem Christus implevit? O interea corvos ministros ubique devotos! nigros in colore, sed candidos in timore ; immundos in nomine, sed mundos in opere. Emundavit tandem corvus culpam suam, et reversus est ad obedientiam ; tunc enim exiens de arca, non rediit ; nunc pastus necessarios servo Dei opportunus obsonator exhibuit.

XV. Sed putas immundum fuisse uterum Virginis, ut ad rem, de qua loquimur, redeamus ; accipe ergo rationem de simili exemplo, qui dubitas, qui indignum Deo putas uterum, aut ex utero Deum ullum contagium contrahere potuisse. Sol mundum uniformi claritate collustrat ; et diversus in singulis effectus invenitur. Ceram solvit, indurat lutum, stercora discoquit, cœnulenta desiccat ; et ita radios suos per diversa jaculatur, ut ex his, quæ vi sui ardoris exsuccat, penitus nesciat inquinari. Deus ergo inquinari posset ex utero, cum sol non inquinetur ex cœno? aut Christus contaminaretur ex vulva, cum sol non inficiatur ex cloaca? Verumtamen etiam immundus ex origine sua possit credi ille uterus, sed ingressu Dei factus est mundus. Ubi enim totam Virginem virtus Altissimi obumbraverat, ubi Verbum se incorruptibiliter corporabat,

(*a*) Num. XIX, 22.

ubi Spiritus sanctus membra plasmabat, immundum esse quid poterat, cum ex conversatione Verbi quidquid immundum credi potuit, sine dubio posset repente mundari? Et si immundam secundum legem in profluvio sanguinis mulierem tactu fimbriæ ipsius emundavit, eodem Deo uterum ingresso, etiamsi uterus naturaliter esset immundus, mundari non potuit?

XVI. Huc accedit quia uterus Virginis fuit sanctus, mundus, purus, illæsus, illibatus, sicut ab artifice Deo factus, ita artificis ipsius majestate repletus; in quo agnovit integrum opus suum Deus; de quo exivit Deus, quasi novus maritus de thalamo suo. Novus enim maritus carnis exivit de puro thalamo ventris, et parvæ sanctitatis putatur hic uterus, ut Deus[1] quem ferre non poterat totus mundus, in visceribus ejus teneretur inclusus?

XVII. Apparuit[2] Dominus sancto Moysi in monte Choreb, cum rubus igni arderet et non arderet; et flamma spinas lamberet et non cremaret. Væ vobis, peccatores, qui hæc prætereuntes auditis! ardet flamma, et non comburitur spina. Arsura sunt corpora in gehenna et non finitur in ardente substantia, sicut non finitur et pœna. Et vox ad eum talis emissa est: « Moyses, Moyses, solve » calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, » terra sancta est(*a*). » Si ergo terra illa sanctificata est quia ibi Moysi majestas apparuit, quanto magis sanctificatus est uterus in quo ipsa majestas intravit? Ecce intrat in tenebris lucerna, et splendore suo lucere facit totam domum. Intravit lumen verum, id est Deus, in uterum, et fecit uterum sanctum. Sanctus ergo ille uterus fuit, in quem Sanctus intravit, sanctificavit, et sanctus sicut

(*a*) Exod. III, 5.

[1] Cod. male *Deum*. — [2] Vide Serm. VI et VII.

intravit, exivit, Angelo dicente : « Propter quod et qui » ex te nascetur Sanctus, vocabitur Filius Dei (*a*). »

XVIII. Absit ergo, absit ut dedignaretur intrare in uterum Virginis, qui non dedignatus est intrare in caminum ignis ardentis, teste Nabuchodonosor, qui ait : « Nonne » tres viros misimus ligatos in medio ignis ardentis? Et » quomodo video quatuor viros solutos et deambulantes » in medio ignis, et corruptio nulla in eis? et similitudo » quarti similis est Filio Dei (*b*). » Qui ergo intravit in fornacem ignis ardentis [1], ipse intravit in uterum Virginis permanentis. Quis est qui intravit in fornacem ignis? Filius Dei. Quis intravit in uterum Virginis? Filius Dei. Illinc excussit flammam, hinc exclusit naturam. Sicut ergo arsit in fornace ignis et non combussit, ita exivit ex vulva Virginis et nihil corrupit. In fornace ignis, pro tribus pueris eruendis intravit; pro toto mundo redimendo in uterum Virginis intrare non debuit?

XIX. Sed contra naturam, inquiunt Judæi, Virgo parere non potuit [2]. O impudentia singularis! semper cadit, et nunquam cedit. Et si ille non cedit qui semper cadit, multo magis veritas non cedit, quæ nunquam cadit, et semper vincit, Scriptura dicente : « Veritas vincit, et in- » valescit, et vivit, et obtinet in sæcula (*c*). » Contra naturam, inquit, parere Virgo non potuit. Putaverunt sane ex parte aliqua nobis rapuisse [3] victoriam. Ecce igitur provocamur ad pugnam; sed nihil metuam, nihil verebor; jam enim sauciatus est iste qui provocat. Contra naturam, inquiunt, parere Virgo non potuit; ergo contra naturam

(*a*) Luc. I, 35. — (*b*) Dan. III, 91, 92. — (*c*) 3 Esdr. IV, 38.

[1] Vide Quæst. in Vetus Testamentum tom. III, Appendicis Maurinensis fol. 146, littera D. — [2] Vide Sermonem CCXLV, tom. V Appendicis fol. 401, n. 3. — [3] Codex *parasse*; non est sensus; erravit sane amanuensis ponendo *parasse*, loco verbi *rapuisse*.

in tabernaculo Testimonii, sacerdotis Aaron virga floribus tunc absque naturali adjutorio germinavit. Non enim suggestus seminis inerat, non radicis, non altricis terræ genitales succi aderant. Quod etsi in natura virga habuit, abscissa stipitibus [1] retinere non potuit. Et tamen illic cum deessent universa jura naturæ, protulit virga quod nec succo, nec semine suggeri potuit, nec radice.

XX. Sed forsitan aliquibus facti hujus historia videtur ignota ; breviter dicam. Cum Chore, Dathan et Abiron adversus sanctum Moysen et Aaron, sibi sacerdotium vindicarent, et contra dispositionem Dei vellent noviter in sacrilegum schisma prorumpere, hiatu terræ descendentis absorpti, viderunt sua funera perituri, et contra rerum opinionem, ante sunt sepulti quam mortui. Aperta fauce glutivit terra sacrilegos, et insatiabilis hiatus non recepit quos servaret, sed rapuit quos [2] puniret. Merserunt ad inferos viva corpora, et ita est in miseris pœna grassata, ut quæ solent morientium esse solamina, ipsa illis pœnalis fieret sepultura; nec mortuos aggestus terræ obruit, sed vivos pœna sepelivit. Illis ergo auctoribus absorptis, et gregalibus eorum divino incendio concrematis, ita enim scriptum est : « Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et » cooperuit super synagogam Abiron, et exarsit ignis in » synagoga eorum (*a*); » jubet Dominus sancto Moysi de singulis tribubus virgas afferri. Allatæ duodecim virgæ, inter quas etiam una erat de tribu Levi, quæ Aaron fuerat sacerdotis, positæ sunt a sancto Moyse in tabernaculo Testimonii. Alia die invenitur virga Aaron produxisse flores et frondes, et peperisse nuces.

XXI. Libet igitur hoc tantisper exemplum cum perfidia comminisci, ubi maxime figura intervenit sacramenti.

(*a*) Psal. cv, 17, 18.

[1] Codex male *spiritibus*. — [2] Id. *quod*.

Virga ecce protulit quod virga non habuit[1]. Non radicata plantario, nec defossa sarculo, non animata succo, nec fœcundata seminario, non mersa exculto[2] arvo, et tamen germinavit in flore, fructificavit in fronde, et fructus dedit quos non habuit in radice. Et cum jam totum perdidisset quod habebat ex arbore, utpote quæ esset abscisa ad testimonium tamen præcipui sacerdotis, virga exhibuit quod naturalis origo non habuit: quia contra naturam nuces concepit et peperit. Virgo ergo non potuit contra naturam Dei Filium generare? Ecce ego dicam tibi quemadmodum Virgo concepit et peperit; tu mihi ostende qualiter virga omni suggestu naturæ vacua germinavit. Sed procul dubio nec conceptum poteris virgæ explicare, nec Virginis partum. Si ergo non poteris dicere quemadmodum virga peperit nuces, Virginem poteris dicere quemadmodum concepit et peperit veritatem? Accipe ergo dominicæ Incarnationis effectum, quia virgæ parentis non potes explicare mysterium.

XXII. Veni ad me, et dicam tibi quod intus audivi. Pudore hic, non ratione conturbor, et volo in sermone esse verecundiam, dummodo non sit in fide periculum. Da veniam, Christe, et parce ori meo, quia Incarnationis tuæ mysterium temerarius narrator attingo[3]; et tu quidem clausum dimisisti uterum tuum, sed nobis permisisti aperire incredulis Evangelium tuum. Dicam tandem quod in cubiculo naturæ conficitur. In vulva Virginis genitalis sanguis, et germinans humor[4] fuit. Huic sanguini vel humori Verbum se velut coagulum miscuit, et sanguinis vel humoris substantia congelata carnem fecit. Accessit Spiritus sanctus, et hæc quæ fuerant gelata, et Verbi quodam glutino commassata, formavit; formata distinxit; et formam

[1] Vide Serm. CCXLV, n. 3.— [2] Cod. *excultali.*— [3] Assolet sanctus Doctor in enucleandis quæ difficilia sunt, Deo se commendare, ut sæpius in scriptis authenticis videre est. — [4] Codex male *gemineus*.

hominis, qua Deus inclusus in lineamentis suis tenebatur, explicuit. Ecce habes quemadmodum Virgo concepit. Si quæris qualiter et peperit, dicam tibi : ita peperit sicut ante concepit ; quia qui uterum insensibiliter intravit, incorruptibiliter sicut intravit, exivit. Nam, ut agnoscas verum ordinem officii naturalis, Virgo peregit tempora pariendi, virga non habuit tempora germinandi. Illa enim, decursis novem mensibus, peperit : virga intra triduum, quod in natura non habuit, germinavit. Ecce ipse primus homo nec patrem docetur habuisse nec matrem : ex limo enim terræ factus est quæ non haberet originem. Quomodo ergo corpus factum est sine semine? quomodo caro extitit sine carne? Ex vulva tamen quodam modo exivit terræ, et nihil tamen consumptum est in matrice. Unde ne dubites quin si in rem præsentem te hujus comparationis induco, nulla tibi nascatur in hac assertione cunctatio. Solis radius specular penetrat, et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertrajicit ; et videtur intrinsecus qui extat extrinsecus[1]. Nec cum ingreditur dissipat, nec cum egreditur violat ; quia et ingressu et egressu ejus specular integrum perseverat. Specular ergo non rumpit radius solis ; integritatem Virginis ingressus aut egressus vitiare poterat veritatis ?

XXIII. Sed quid ulterius moror? Audiat Christianus quod non vult audire Judæus, ut hic proficiat redemptus, ille deficiat induratus. Vere illa Aaron virga Virgo Maria fuit, quæ verum sacerdotem concepit et peperit, de quo dictum est : « Tu es sacerdos in æternum (*a*). » Superiori versu jam dixerat « Virgam potestatis suæ emittet Dominus ex » Sion (*b*) ; » nam quod et nucem peperit, imago dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in sua unione substantiam ; corium, testam et nucleum. Per corium, caro,

(*a*) Psal. cix, 4. — (*b*) Ibid. 2.

[1] Vide Serm. CCXLV Appendicis Maurinensis, n. 3, 4 et 5.

per testam ossa, per nucleum, interior anima. Sed hic in corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis; in nucleo, interiorem dulcedinem Deitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium; in testa, lignum medium interserens crucis, quod non discrevit id quod intus et foris fuit, sed magis quæ terrena et cœlestia fuerant, mediatoris ligni interpositione sociavit, Apostolo dicente: « Quia » pacificavit per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cœlo » sunt, sive quæ in terra (*a*). » En, Judæe, virga tua Virgo est nostra.

XXIV. Si quidem ethymologiam hujus nominis retractemus, virgo quasi virga; a virga virgo[1]. Jamque intelligant ipsa sibi convenire vocabula, cum unius litteræ differentia, hoc videatur virgo sonare quod virga. Volunt autem nosse a virga Virginem designatam? Audiant quod Esaïas hic dicat : « Exiet, inquit, virga de radice Jesse (*b*). » Virga est de genere Jesse; Jesse pater David; ex genere David virga, quæ virga Maria fuit. Neque enim de homine Jesse lignum, id est virga, potuit germinare. Non ergo de Jesse exivit virga, sed Virgo Maria, quæ generi secundum carnem originique respondens, caro fuit quæ virga fuit, sed virgo fuit, quæ virgo concepit et peperit. Ac ne (non)[2] putent de David fuisse prædictum, ratione temporis excludantur. Quando enim hoc Propheta dixit, jam David mortuus erat. « Exiet, inquit, virga de radice Jesse, » in quo futurum tempus non præteritum designavit. « Exiet » enim inquit, non, «Exivit.» Denique quod sequitur auscultent : « Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice » ejus ascendet (*c*). » Flos iste caro est Domini[3], quæ

(*a*) Coloss. I, 20. — (*b*) Isaï. XI, 1. — (*c*) Ibid.

[1] Codex male *virginem*. — [2] *Non* hic videtur abundare. — [3] Vide Sermonem III de Symbolo ad Cathecumenos n. 4.

nata sine vitio humani seminis, florentem per omnia pulchritudinem retinet societatis. « Et flos, inquit, de » radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus » Domini (*a*). » Super quem? Scilicet super florem. « Spi- » ritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitu- » dinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et Spiritus timoris » Domini replevit eum. Non secundum gloriam judicabit, » neque secundum loquelam redarguet, sed judicabit » humili judicio, et redarguet gloriosos terræ. Et percu- » tiet terram verbo oris sui, et spiritu per labia interficiet » impium; eritque justitia præcinctus lumbos suos, et » veritate involutus latera (*b*). » Et paulo post : « Et erit, » inquit, in illa die radix Jesse, et qui exurget princeps » esse gentium, et in nomine ejus omnes gentes spera- » bunt (*c*). » O florem regem! O florem judicem! Sicut ergo virga illa, non virga, sed Virgo est, sic et flos ille, non flos virgæ, sed caro est. Quæ florem quidem peperit, et ex genere carnis carnem emisit : sed originem peccati illa generatio non habuit; quia non ex viri semine natus extitit, sed de Spiritu sancto conceptus exivit. Virga ergo ista, Virgo est designata. Virga ergo potuit, ut diximus, sine semine parere, Virgo non potuit sine viri semine, incorrupta generare? Sed illud, inquiunt, fecit divina potentia. Et istud similiter divina est operata prudentia : illa quæ in se contineret imaginem, hæc quæ perfectam exhiberet divini operis veritatem.

XXV. Audi aliud majus et fortius documentum quod de Ezechiele propheta monstrabo; quod præterita die dominica lectitatum est, et ideo exinde aliquid dicere prætermisi, ut huic diei sacramenti expositio servaretur. « Et converti me, inquit, secundum portam viæ » sanctorum exterioris quæ aspicit ad Orientem, et ipsa

(*a*) Isaï. xi, 2.— (*b*) Ibid. 2-5.— (*c*) Ibid. 10.

» erat clausa. Et ait ad me Dominus : Porta hæc clausa » erit et non aperietur, et nemo transit per eam [1], quia » Dominus Deus ipsius Israël ipse intrabit per eam, et » exiet, et erit clausa (*a*). » Redde mihi ergo rationem portæ hujus per quam intravit Dominus et exivit Deus, et non poterit nec introitus deprehendi, nec exitus. « Porta » enim, inquit, hæc erit clausa, et non aperietur, quia » Dominus Deus ipsius Israël ipse introibit, et exiet, et » erit clausa. » Sed porta hæc, quam allegorice posuit, forsitan simpliciter porta creditur. Porta ista, ventris est janua, pudoris est ostium. Hoc unde probamus? Dicat beatissimus Job: « Maledictus, inquit, sit dies ille in quo » natus sum, qui non clausit portam ventris matris meæ, » cum me pareret (*b*). » Porta, inquit, ventris, exitus est pudoris, id est, venter et pudor Virginis, per quam nemo alius nisi ipse qui intravit, et exivit. Intravit enim Deus, et exiit homo perfectus et non corruptus, nec clausam eam, cum intraret, aperuit, sed clausam, cum exiret, exhibuit; quia ipse est qui « Quod aperit nemo » claudit, et quod claudit, nemo aperit (*c*). » Exurge igitur, Esaïas, lætus exurge, et junge Ezechielo manus, et unitó Spiritu in gloria dominicæ Nativitatis applaudite. Illico beatus David occurrat cum cithara illa, spirituali plectro dulcisona, et in sacramento Nativitatis Christi retinniens non fidibus, sed mysteriis harmonia. Audiamus ergo quod Esaïas propheta dicat[2]: « Rorate cœli desuper, » et nubes pluant Justum; aperiatur terra et germinet » Salvatorem (*d*). » Quæ est terra? caro nostra, quæ censebatur virgo, Maria quæ appellatur. « Et terra germi- » net Salvatorem » non eget interprete. Non utique car-

(*a*) Ezech. XLIV, 1, 2. — (*b*) Job. III, 3, 10. — (*c*) Apoc. III, 7. — (*d*) Isaï. XLV, 8.

[1] Vide Sermonem CXC de Annuntiatione Domini III, tom. V, fol. 324 in Appendice Maurinensi. — [2] Vide Operis imperfecti contra Julianum lib. I, n. 140.

nali semine, sed cœlesti rore, et nubium non imbre, sed opere, quæ descendenti in carne Domino non adjutorium, sed officium præbuerunt. Quod alibi David evidentius dicit: « Descendit quasi stillicidia rorantia super terram (*a*). » Et iterum de hoc ipso : « Terra dabit fructum suum (*b*), » quod specialiter Virginis refertur ad uterum. Et vere dedit « Fructum suum, » quia semen nescivit alienum.

XXVI. Qui hoc dubitas, exemplis fidem tuam credulitatemque conforta. Ecce enim in ipso primordio ex perfecto masculi corpore costa divellitur, et locus avulsi membri nulla in parte corporis invenitur; minus fit unum, plenum sed totum est. Nullum in corpore indicium cernitur cicatricis, nec vestigium avulsionis apparet. Exit costa de latere, et corpus non caret plenitudine. Perfectum est quod exit, integrum quod amisit. Et ut amplius præsumam, absque passionis injuria, virile corpus costa ex sese quodam modo generavit; extititque corpus lucrum, quod matri suæ non intulit detrimentum. Potuit ergo e latere hominis costam divina virtus educere, et nulla corpus vexari corruptione : ex Virginis utero procedens Deus, integritatem non potuit custodire? Et utique ipsum Dei Filium hoc operatum in primoplasto, nullus tamen stultus, nisi Judæus, impudenter abjurat. Quale ergo est ut quod fecit in origine, cum formaret mulierem, non potuerit operari cum nasceretur ex Virgine? Aut quod in corpore hominis non permisit agnosci, quomodo [1] pateretur in matris suæ pudore deprehendi? sed « Replevit, inquis, in locum ejus carnem (*c*) », et non prodidit passionem. Sic ex utero procedens Verbum habuit exitum, sed non diripuit pudorem, nec signum ibi reliquit corruptionis, ubi opus intererat incomparandæ

(*a*) Psal. LXXI, 6. — (*b*) Id. XLIX, 7. — (*c*) Gen. II, 21.

[1] Codex male *quando*.

virtutis. Ostende denique mihi quemadmodum in locum costæ repleverit carnem, et ego tibi exhibebo quemadmodum exierit de utero, et non reliquerit passionem. Sed profecto illud monstrare non poteris; quia quod virtute perfectum est, investigare non sineris : ita ergo et corruptelam Virginis affirmare non poteris, quia clausum Deus esse voluit quod inquiris.

XXVII. Exurge ergo in laudes Domini, Christiane, lætus exurge. Ecclesiam Dei, templum Christi, domum Spiritus sancti sonoris imple præconiis. Intra in stabulum Creatoris, frequenta præsepium Salvatoris, et æterni pastoris deosculare pannos : cunas amplectere. Veni, compone mecum laudes ad fœtam nostram, Virginem sanctam, matrem veram, non ex partu marcidam, sed de pudoris integritate formosam. Lauda cum cœlis, lauda cum Angelis, lauda cum Virtutibus universis, lauda cum terrenis et inferis elementis; et ne desinas, ne quiescas dicere gloriam Salvatoris : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax » hominibus bonæ voluntatis (*a*). »

(*a*) Luc. II, 14.

SERMO VIII.

In Natali Domini II.

Hic sermo ex Codice Cass. XII, *n.* 2, *depromptus in quo totum aut fere totum S. Augustino tribuitur, omnes notas authenticitatis colligit. Locus ejus in editione Benedictinorum post præcedentem cum numero in Natali Domini* XV.

SYNOPSIS.

I. Investigabilis Nativitas Christi. II. Exagitatur Judæi dubitantis impietas. III. Ipse Filius Dei in fine temporum venit legislator.

I. Fratres charissimi, quantum magnitudo salutaris mysterii, et dominicæ Nativitatis expetit sacramentum, nulla humanitatis obsequia, præconia nulla sufficiunt. Quæ enim tanto muneri, tantæque gratiæ devotionis nostræ infirmitas respondebit, ubi Unigenitus altissimi Patris cum Patre æternitate perpetuus, cœlo, terris, infernisque terribilis, pro salute hominis humani corporis voluit subire consortium? aut quæ lingua enarrare poterit, quod usus investigare non prævalet? Quis vero hominum illud æstimare conabitur, in quo solus sibi est Deus et auctor et conscius? «Nemo enim novit Filium nisi Pater(*a*).» Quomodo potest ad secretum virgineæ Nativitatis corrupta peccatis hominum fragilitas pervenire? Nascitur itaque, nascitur Christus non necessitate vivendi, sed voluntate salvandi. Nascitur inter mortuos, qui vitam donat mortuis. Nec dubitemus effectum, quod futurum Prophetarum maxi-

(*a*) Matth. XI, 27.

mus Isaïas in diebus antiquis sancti Spiritus auctoritate prædicit: « Ecce, inquit, Virgo in utero accipiet et pariet » filium (*a*). » Quod fœmina parturit, veræ Incarnationis est fides ; quod virgo parit, æterna nascentis est gloria. Nascitur ab intacta fœmina Christus, quia fas non erat, ut virtus per voluptatem, castitas per luxuriam, per corruptionem incorruptio nasceretur. Nec poterat novo ordine adventare de cœlo, qui vetustum mortis destruere veniebat imperium ; neque vero poterat universitatis Dominus formam servi suscipere, qua nos redimere disponebat, nisi eum peperisset ancilla. Aut quomodo pro nobis sputamenta, palmas, et crucem Dei Filius sustineret, nisi se filium hominis præbuisset?

II. Vere infelix Judæa, quæ per adulterii calumniam, tenebrosis suspicionibus tantum sibi lumen obscurat, quæ, dum non credit Virginem concepisse, dignationem Dei sui humanum vocat in crimen, et invidiæ suæ hebetata caligine culpam clamat esse, quod virtus est. Sed crede, miserande Homo, cui sola salutis tuæ fuit causa nascendi. Perpendite, Fratres, quæ, et quanta sit cæcitas perfidorum, quæ Christum negat nasci potuisse de Virgine, et in Nativitate cœlesti, consuetudinem requirit humanam, ac Deum creaturarum legibus discutit creatura. Nihil itaque de Nativitate ejus humana retractet impietas, quem nasci pro homine pietas invitavit. Quod hominis et Dei Filius humiliavit se in carne, quod Virgo concipit, Virgo parturit, et quod permanet virgo post partum, cœlestis mysterii virtus est, non mortalis ordo naturæ.

III. Quis vero Omnipotentis esse dubitet sacramentum, ubi audit cœlorum Regem prodire de fœmina, et natum fœminæ Cœlestibus imperare? Quæ autem quantaque,

(*a*) Isaï. VII, 14.

Fratres, ob salutem gentium beneficiorum Dei augmenta succrescunt. Olim namque post transitum Maris Rubri, ut Hebræorum populo divini cultus disponeret præcepta, Moysen famulum suum vocavit in montem, quatenus per unum servulum genti exiguæ dispositionum suarum proderet voluntatem. Nunc vero ut in fine temporum, ut gentibus universis perennis vitæ sacramenta deferret, ipse de cœlestibus, de sinu Patris adveniens, ita se homini, sibique hominem inseruit, et univit, ut incomprehensibili gloria, unus idemque, et homo esset, et Deus. Sic enim potentissimus prodiit ex Maria, ut et infirma carnis subiret et Unigeniti non amitteret majestatem, ac temperamento quodam admirandi mysterii, et per hominem Deus cum hominibus loqueretur, et homo per Deum de diabolo triumpharet.

SERMO IX.

In Natali Domini III.

Eædem rationes militant in hujus Sermonis gratiam, quæ authenticitatem stabiliunt præcedentis. Ex eodem enim Codice XII, *n.* 6, *imo et ex altero Codice Laurentiano eruitur, ut videre est apud Bibliothecam Bandini tom.* I, *fol.* 430, *Cod.* XXXIII, *cum nomine sancti Augustini. Nihil aliunde apparet quod obstare possit quin admittatur. Ponatur post præcedentem cum numero de Natali Domini* XVI.

SYNOPSIS.

I. Concordantia Prophetarum et Apostolorum de Nativitate Christi. II. Mariæ intemerata in pariendo virginitas.

I. Fratres dilectissimi, non parva de Filio Dei secundum Divinitatem locuti sumus, et resistentibus in quantum potuimus adversariis non pepercimus. Nunc volo ad ejus Incarnationem accedere, quia Filium Dei non volunt dici etiam hominis filium. « Rorate cœli desuper, et nubes » pluant Justum; aperiatur terra et germinet Salvatorem, » et justitia oriatur simul; ego Dominus creavi eum (*a*).» Item dicit : « Ecce parvulus natus est nobis, et factus » est principatus super humeros ejus, et vocabitur no- » men ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pa- » ter futuri sæculi, Princeps pacis (*b*).» Item in alio loco : « Ecce Virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vo- » cabitur nomen ejus Emmanuël (*c*). » Ordo iste itaque servandus est, ut loquens de Evangelio, non sileam de Prophetis. Et quid agis de Paulo apostolo, qui in exordio Epistolæ suæ ad Romanos scripsit? «Paulus, inquit, servus » Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evan- » gelio Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in » Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex se- » mine David secundum carnem (*d*). » Audistis, quia Evangelium non exhiberetur, nisi per Prophetas ante promitteretur. Audistis quia Filius Dei secundum Divinitatem factus est filius hominis « Ex semine David secun- » dum carnem (*e*). » Quid est enim in quo Prophetæ contrarii sunt Evangelio ? Dicit Propheta : « Rorate cœli » desuper et nubes pluant Justum (*f*).» Veniat Angelus,

(*a*) Isaï. XLV, 8. — (*b*) Id. XI, 6. — (*c*) Id. VII, 14. — (*d*) Rom. I, 1. — (*e*) Ibid. 3. — (*f*) Isaï. XLV, 8.

prædicet Verbum; aperiatur terra, audiat Maria; et germinet Salvatorem, pariat Jesum. Propheta dicit : « Ecce » Virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vocabi- » tur nomen ejus Emmanuël (*a*). » Hoc etiam Evangelista cum diceret, secutus est, et exposuit dicens : « Nobis- » cum Deus (*b*). » Ecce Apostolus dicit : « De Filio suo, » qui factus est ei ex semine David secundum carnem (*c*).» Quod Prophetæ prævideruut, et prædixerunt, hoc Apostoli viderunt, et prædicaverunt. Factus est qui erat ; qui factus est, Verbum erat, caro factus est; Filius Dei erat, filius hominis factus est.

II. Deus erat, homo factus est; suscepit humanitatem, non amisit Divinitatem; factus est humilis, mansit sublimis. Natus est homo, non destitit esse Deus. Natus est parvus, latens magnus. Qui libenter amplectitur Deum natum, non horreat Virginis partum. Dicit tibi Deus, creator hominis, filius hominis : Quid est quod te permovet in mea Nativitate? non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem, ex qua nascerer, feci, ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc quam despicitis, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicuti transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic mea ibi non est majestas polluta. Si solis radius cloacarum sordes siccare novit, inquinari non novit, quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamentum occurrit, quocumque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest. Stulte, unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est passa dolorem? unde sordes in domo, ad quam nullus hospes accessit, solus ad eam Fabricator et Dominus ve-

(*a*) Isaï. VII, 14. — (*b*) Matth. I, 23. — (*c*) Rom. I, 3.

nit, vestem quam non habebat, induxit; eamque sicut invenit clausam reliquit. Sicut ille natus solus est inter mortuos liber; sic istius ex qua natus est matris pudor solus est integer. Eva inobediens meruit pœnam; Maria obediendo consecuta est gloriam. Illa, gustando prohibitum, est maledicta; hæc, credendo Angelo, est benedicta.

SERMO X.

In Natali Domini IV.

Multa de hoc Sermone dicenda. Ex eodem Codice extractus, eamdem auctoritatem sibi vindicare videtur. Objicitur autem 1° *similitudo in quibusdam cum sermone* CXXI. *Appendicis Maurinensis, n.* 4, *et* CXCIV, *prout a Lovaniensibus fuerat editus, tom.* V *Maurinorum, p.* 895. *Sed notandum est illam similitudinem non esse opponendam, cum potius faveat, quam noceat Sermonis hujus authenticitati; sermo enim Appendicis evidenter complectitur multas hinc et inde detractas ex S. Augustino et forte aliis quibusdam sententias. Quid mirum si recurrant in Sermone authentico sententiæ quæ inde fuerunt depromptæ?* 2° *Dicitur iterum quasdam voces sancti Ambrosii in eo inveniri. Sed quædam tantum verba, et illa quidem incompleta reperiuntur ex uno sermone citato a Cassiano; cum autem hic sermo sit deperditus, cum Cassianus circa nomen errare potuerit, et aliunde voces non omnino concordent, ita ut facile supponi possit eamdem dicendi formam a duobus pariter scriptoribus fuisse adhibitam, non remanet sufficiens probatio ad rejiciendum*

sermonem qui sancti Augustini præfert nomen, et nihil continet sancti Doctoris indignum. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini XVII.

SYNOPSIS.

I. Christi Nativitas; Mariæ virginitas. II. Angeli annuntiatio. III. Stella de cœlo fulgens. IV. Magorum mystica munera.

I. Diei hujus adventum si pleno possimus ore narrare, integra salutis nostræ mysteria nosceremus. At vero cum hoc in unum[1], tam admiranda conveniant, quæ sunt explicata sermonibus, quæ vox, quæ lingua cuncta complectitur, cum singula quæque miranda (videantur?[2]). Natalis est hodie Salvatoris, sed oportet ortum Christi natalem sæculi nos vocare. Natalis est Salvatoris : hoc est unde mundus vitam accepit, et lux, quæ perierat, mortalibus reparatur. Nascitur, quem Regem gentium Prophetæ testati sunt. Nascitur ex Virgine, sicut Propheta testatur dicens : « Ecce concipiet Virgo, et pariet filium, et vocabunt nomen » ejus Emmanuël, quod interpretatur Nobiscum Deus (*a*). » Probat ergo virtutum Dominum ordo nascendi[3]; concepit Virgo, virilis ignara consortii ; implétur uterus nullo libatus amplexu, et quod Spiritu sancto[4] castus venter excepit, pura membra servarunt, innocens corpus gessit. Videte miraculum Matris Domini ; virgo concepit, virgo parturit, virgo gravida, virgo post partum. Gloriosa virginitas, et præclara fœcunditas; virtus mundi nascitur et nullus est gemitus parturientis[5]. Vacuatur uterus, infans ex-

(*a*) Isaï. VII, 14.

[1] Cod. male *ait*. — [2] Cod. male *complectitur... mirantur*, sine voce *quæ*. — [3] Edit. *nativitatis*. — [4] Cod. male et *Spiritum sanctum*. Lovanienses melius. — [5] Lovan. *nullus gemitus parturientis sentitur*.

cip tur, nec tamen virginitas violatur. Necesse erat [1], ut Deo nascente meritum cresceret castitatis, nec per ejus adventum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta [2]. Natus puer ponitur in præsepe, et hæc sunt Dei prima cunabula, nec Regnator cœli has indignatur angustias, cui fuit virgineus venter idoneum habitaculum. Stat exonerata felici onere Maria, et matrem se lætam cognoscit, quæ se nescit uxorem. Sed infantis genus fœta miratur, et de Spiritu sancto [3] protulisse se gaudet; nec quia peperit innupta terretur, sed quia genuerit Deum confessa lætatur.

II. Cum enim debitus Salvatoris sæculo properaret adventus, et mundum suum meliori Dei lege construeret, et propheticus sermo declaratus fide per ora gentium volitaret, ad Mariam virginem Spiritus sanctus venit, sicut ab Angelo fuerat ante prædictum : « Spiritus sanctus veniet super » te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Propterea quod » nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Altissimi (*a*). » Ergo merito magno credimus, quia magna virtute generatur, et rite in ejus adventu cœlestia veneramur, quem de cœlo venisse cognoscimus, quem genitum Dei Patris et Spiritus sancti virtute comperimus, ut firmaretur Trinitas, in utero sanctitas. Nascitur Salvator, et solis cursus augetur. Necesse est ut ex hac die crescat splendor, qui cum magno lumine egreditur.

III. Sed videamus quis esse nuntius potest, qui de Nativitate Salvatoris testis existeret. Utique stella de cœlo; necesse est ut inde testimonium veniat, unde origo descendit. Natum enim Deum stellæ cursus ostendit; ortum Do-

(*a*) Luc. 1, 35.

[1] Lovan. *dignum enim erat.*— [2] Lovan. adjiciunt : *Nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritalis.* Vide Serm. CXXI. Appendicis Maur. ubi aliqua variant.— [3] Cod. male *Spiritum sanctum.*

mini elementa demonstrant; et inter solis radios, stellæ cursus clarius enitescit.

IV. Videamus igitur quid sibi voluerunt Magorum mystica munera inter abjecta præsepia, nisi ut intelligamus in Christum differentiam Divinitatis et carnis. Cernitur ut homo, adoratur ut Deus; jacet in pannis, fulget in stellis. Cunæ nascentem indicant, stellæ dominantem annuntiant. Caro est quæ involvitur, Divinitas quæ adoratur; Pastores exultant in terra, Angeli lætantur in cœlis. Nunc etiam videamus quæ sunt munera, quæ non ignarus Regi Magus obtulerit. Afferunt aurum, id est, potestatem Domini confitentur. Thus subjciunt; Deo sacrificium repromittunt. Myrrha præstatur, ut passuro corpori condimenta non desint. Rex auro monstratur, Deus thure cognoscitur, sepeliendum myrrha designat. Unum Deum Prophetæ annuntiant, et Apostoli dixerunt; Magi crediderunt, et thus, aurum, myrrham ad Christi cunabula detulerunt. Ergo nos, Fratres charissimi, unum Deum timeamus, ut ipse nobis, quæ bona sunt præstare dignetur, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

In Natali Domini V.

Nihil obstat quin admittatur Sermo iste. Auctoritas Codicis, et styli concordantia pariter conveniunt. Legitur enim in Codice XII, *fol.* 10. *Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Domini* XVIII.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi mundo lætitiæ causa. II. Angeli ad Mariam salutatio. III. Beatæ Virginis præconium.

I. Fratres charissimi, Nativitas Salvatoris redemptio est peccatoris. Non enim posset liberari peccator, nisi venisset in forma servi Salvator[1]. Hodie ergo Natalis est Domini, gaudete, servi; Natalis est Redemptoris, exultate, redempti; Natalis est medici, lætentur ægroti; Natalis est indulgentiæ, lætamini peccatores; Natalis est Christi, omnes plaudite Christiani. Voluit Deus in tempore habere Natalem, qui ipsorum temporum plantavit ætatem. Sic enim Apostolus dicit : « Semetipsum exinanivit, formam » servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et ha» bitu inventus ut homo (*a*).» Auditis exinanitum, sed formam Dei nunquam amisit, quam naturaliter secum semper habuit. Homo factus est[2], sed Deus esse non desivit. Homo accessit, sed Deitas non recessit. Factus est homo, forma

(*a*) Philip. II, 7.

[1] Vide Serm. CLXXXIV, n. 2, sub finem. — [2] *Est* desideratur in Codice.

susceptа humana, non amissa divina. Vestem carnis accepit, sed intrinsecus Deitas mansit. Denique utpote Deus, patrator operum, « Per quem facta sunt omnia, et sine quo fac- » tum est nihil (*a*), » templum sibi, in quo nasceretur, ipse construxit. Fecit matrem, æternus manens cum Patre. Suscepit hominem, natus ex matre, quam ipse formavit, regnans cum Patre. Sicut Propheta dicit : « Mater Sion » dicet homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit » eam Altissimus (*b*). » Jucundentur cœli et exultet terra; jucundentur cœli, quia non habent accusatorem ; exultet terra, quia germinavit Dominum salvatorem. Et quis tanti muneris possit invenire secretum? unde Apostolus dicit : « Quod fuit a sæculis absconditum (*c*). »

II. Nam ipsa Mater Domini virginitatis suæ conscia, quemadmodum fieret, ut salvo pudore genuisset, ab Angelo requisivit : « Quomodo, inquit, fiet istud, quia virum non » cognovi (*d*). » Parituram Virginem in Prophetis ex lege audivi, sed quemadmodum fiet, penitus nunquam scivi. Rogo ergo te, beatissime Gabriel, Angele Dei, secretum tanti mysterii pudicæ Virgini expone sacramentum. Exhibuisti mihi novam salutationem, redde Virgini consolationem ; virginitatem meam Deo dicavi ; in templo ejus servire delegi. Narra ergo mihi « Quomodo fiet istud, quo- » niam virum non cognosco, » quandiu vivo. Et Angelus ad eam : Non cognosces virum, agnosces mysterium : « Spiritus » sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi, ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur » Filius Dei (*e*). » Et illa : Dic ergo, inquit, mihi, Nuntie Dei, non est leve quod dicis : « Quomodo fiet istud, quo- » niam virum non cognosco, » quandiu vivo? » Vide Angelum scientem, et illam quærentem. O Maria, audi, « Quo-

(*a*) Joan. I, 3. — (*b*) Psal. LXXXVI, 5. — (*c*) Coloss. I, 26. — (*d*) Luc. I, 34. — (*e*) Ibid. 35.

» modo fiet istud; » salva erit virginitas tua; non peribit pudicitia tua; tu autem crede veritatem; salva virginitate, accipe securitatem; quoniam integra est fides tua, intacta erit et virginitas tua. Audi « quomodo fiet istud : » Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi » obumbrabit tibi; » quia spe concipis credendo, in utero habebis non concumbendo, « Ideoque et quod nascetur » ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Et quomodo non sentis ingressum ejus, sic non senties egressum ejus; neque utero tumescente laxa incedebis; non senties pondus, quia nunquam gravis est Deus. Et Maria ait : Si sic est, ut dicis, angelicis dictis læta fide accommodo sensum. Si enim non credidero, ei, qui te misit, injuriam facio, et ipsa muta remanebo, et Zachariæ similis ero. Et Angelus : O Virgo, noli esse incredula, sed fidelis : « Spiritus sanc- » tus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi; » non patieris æstus libidinis, quia nullum est opus mortalitatis, sed præsens est conceptio sanctitatis. Et illa[1] : Si ita mihi Altissimus donat fœcunditatem, ut non auferat virginitatem, « Ecce ancilla Domini, fiat » mihi secundum verbum tuum (*a*). » O beata, quæ credidit, et quæ mundus capere non potuit, sinu gestavit; aure concepit, corpore edidit; redemptionem credentibus Virginitas germinavit.

III. O beata Maria, quid est hoc quod taliter Dominum meruisti? unde hoc accepisti, ut veniat ad te, qui creavit te? unde, inquam, tibi tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovisti, et quod vovisti, ab illo accepisti, sed tamen magnus est quem genuisti. Lætare, Virginitas, lætare angelico nuntio confirmata. Ecce tibi integra perma-

(*a*) Luc. I, 38.

[1] Vide Serm. CCCIV, Appendicis Maur. ubi reperitur persimilis conceptus verborum.

nent claustra pudoris, et jam mater diceris Salvatoris. Ad partum tuum angelicus veniet exercitus, et omnis cœlestis militia. Natum Christum, Angelo indicante, vigilantes Pastores primo meruerunt audire : « Beati servi illi, quos, » cum advenerit Dominus, invenerit vigilantes (*a*). » Propterea Christus venit, ut famelicos satiet, captivos liberet, cæcos illuminet, mortuos suscitet; ex filiis iræ faciat vasa misericordiæ : ut omnes credentes in eum, habeant vitam æternam, et laudent Nativitatem Salvatoris cum Angelis novam.

SERMO XII.

In Natali Domini VI.

Eædem rationes hujus admissionem Sermonis expostulant ac præcedentis. Nulla disconvenientia styli vel doctrinæ; Codicis autem adest auctoritas; eruitur enim ex Codice XII, *fol.* 14. *Collocetur post præcedentem; numerus ejus erit in Natali Domini* XIX.

SYNOPSIS.

I. Joseph et Mariæ professio. II. Christi Nativitas.

I. Cum virgineus partus et nascentis Christi diu mysterium perscrutamur, tandem meruimus ad sacra ortus ejus pervenire cunabula, quæ nobis hodie in evangelico demonstrantur eloquio : « Factum est, inquit, in diebus illis :

(*a*) Luc. XII, 37.

» exiit edictum a Cæsare Augusto, ut profiteretur univer-» sus orbis terræ. Hæc professio prima facta est (*a*) etc.» Christo nascente, universus profitetur orbis, quia census Cæsari, professio debetur Auctori. In nummo est imago Cæsaris, in homine est imago Dei. Profitetur itaque orbis, ut similitudo Regis formetur in nummo, et imago Dei reformetur in homine; ac sic reddatur nummus Cæsari, ut homo Deo; et impleatur illud, quod a Domino dictum est[1] : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ » sunt Dei Deo (*b*). Hæc professio, inquit, prima facta » est; » prima mysterio, non tempore; merito, non ordine; non descriptione, sed fide. Nam cum longe ante orbis terræ romanis censibus subjaceret, quomodo nunc primum profiteri orbis dicitur universus, nisi quia mystice divina prænuntiantur humanis. « Ascendit itaque et Jo-» seph, ut profiteretur cum Maria uxore sibi desponsata (*c*). » Bene ascendit; quia semper ad divina sublimis habetur ascensus. Ascendit ut profiteretur se sponsum esse, non conjugem; custodem, non maritum; datum ad obsequium germinis, non ad copulam genitricis; divinam esse in utero sobolem, non humanam. Ascendit et Maria, ut profiteretur se plus famulam quam parentem; habere se conceptus indicia, conscientiam tamen non habere; portare divinum munus, non pondus humanum; quia quando genitricis virginitas permanet, germen percreditur et probatur Auctoris.

II. « Et cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret (*d*); » hoc est, impleti sunt dies magis sæcularium temporum, quam dierum. Audi Apostolum : « Postquam venit ple-» nitudo temporum, misit Deus Filium suum (*e*), » ut

(*a*) Luc. II, 1, 2. — (*b*) Matth. XXII, 21. — (*c*) Luc. II, 4. — (*d*) Ibid. 6. — (*e*) Gal. IV, 4.

[1] Vide epist. CXXVII, n. 6. Tract. in Joan. XL, n. 9. In Psal. XCIV, n. 3, et alibi.

infantiam mundi caperet. Hinc est, quod primus homo mandati pondere gravatus occumbit. Hinc est quod Noë posteritas, dum cœli alta petit, corruit, et fragmentis est contrita linguarum. Hinc est quod judaïcus populus, dum legis sarcinam ferre non sufficit, pronum se dedit ad terram, et maluit « Jumentis insipientibus com- » parari (*a*), » quam cum legis inscitia coæquari. Merito ergo Auctor temporum mundi tempus expectat, et erudiri sæculum longa ætate permittit, ut maturior mundus Restauratorem suum vel sero reciperet, qui ante rudis suum capere non valuit Creatorem. « Impleti sunt dies ut » pareret, et peperit filium, et pannis eum involvit, et posuit » in præsepio (*b*). » Qui claudit orbem, utero clauditur [1]; naturæ Auctor nascitur; fit hominum primogenitus, hominum Creator et temporum; Thesaurus cœli tegitur paupertate pannorum; Vibrator fulminum infantiæ dat vagitum; jacet in præsepio, cui omnis subjacet creatura. Homo-ne sentis quis te persequitur, ut te revocet Christus? intrat uterum, ut utero te reformet; nascitur, ut ad immortalitatem faciat te renasci; fit primogenitus, ut te divini generis præstet esse consortem. Hinc est quod Christus in præsepio ponitur, et ante ipsa ora exponitur jumentorum, ut Creatorem suum, velut odorem sentirent. In præsepio denique ponitur, ut quod Propheta dixit, confirmaretur : « Agnovit bos possessorem suum, et asi- » nus præsepe domini sui (*c*). » Et idem Psalmigraphus : « Homines, et jumenta salvos facies, Domine (*d*). » Vocantur enim homines jumenta, quibus dicit Christus[2]: « Tollite » jugum meum super vos, quia suave est, et onus meum, » quia leve est (*e*). »

(*a*) Psal. XLVIII, 13. — (*b*) Luc. II, 6, 7. — (*c*) Isaï. I, 3. — (*d*) Psal. XXXV, 7. — (*e*) Matth. XI, 28, 29.

[1] Vide Serm. CLXXXIV, n. 3. — [2] Id. CLXXXIX, n. 4; et CXC, n. 3.

SERMO XIII.

In Natali Domini VII.

Hic Sermo ex eodem Codice XII, *fol.* 19, *extractus in multis cum sermone* CXXI *Appendicis concordat; nec mirum videri debet, cum sermo iste multis sententiis Augustini et aliorum sit concinnatus. Unde spurius vere Maurinorum, hic autem verus sancti Augustini fœtus habendus est. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini* XX.

SYNOPSIS.

I. Cum Christo bonis operibus nasci debemus. II. Multiplex Christi apparitio. III. Christi Nativitas ex Virgine. IV. Christi nascentis humilitas et gloria. V. Conclusio.

I. Si Nativitatem Christi Domini consideremus, quæ per carnem virginem hodie mundo illuxit, quid aliud quam mox finem nostris piaculis damus, et abnegantes malorum actuum consuetudines pravas, novæ nos vitæ jungentes, cum Christo nascente renascimur. Et sicut hodie Christus ex utero processit Mariæ, salvaturus mundum, sic genus humanum ex utero Mariæ, id est Ecclesiæ secretis, creatum mysticis et spiritualibus sacramentis, novum ad lucem cum Christo hodie procedit salvaturum animam suam. Hoc ideo dixi, Fratres, quia in commune cuncti festivitatem Nativitatis Domini celebramus. Cum tamen paucissimi reperiantur, qui ipsam Nativitatem cur vel a quo facta sit considerent vel cognoscant, (quem si animo considerarent, penitus nunquam peccarent,) et tamen omnes dicunt: Natalis Domini est; bonis operibus plaudamus, sanctis actibus læti in Domino simus, et malitiam nostram ve-

niente Christo mutantes, boni in omnibus appareamus. Nihil enim aliud quam carni et sanguini cibum et potum indulgentes, nefandis actibus sua gaudia sociant : et contrario animæ suæ, pro qua quidquid potest boni agendum est, nullam spiritalem escam contribuunt, foventes carnem, cui pro sua anima aliquantulum subtrahere debuerunt. Qui dum taliter Natalem sui Domini celebrare inveniuntur, non est mirum si irrationabilibus animalibus comparentur, qui ventre saturo libidini indulgentes, semper gaudere consueverunt. Cæterum si quique fideles et Christiani sumus, animo revolvamus, quis et quantus hodie nasci dignatus est, mox mutabimus vitam nostram, quia Dominum Christum in hac Nativitate cognovimus, qui est vera et perpetua vita nostra. Et abnegantes nosmetipsos nobis, illi vivere incipiamus, qui pro nobis non solum nasci, sed etiam mori dignatus est. Cujus considerantes celsitudinem, apprehendite mansuetudinem, ut ejus mereamini apprehendere magnitudinem. Paruit igitur pro nobis hodie libertatis arbiter, æquitatis auctor, justitiæ demonstrator, exclusor superbiæ, humilitatis auctor, fugator discordiæ, redditor pacis, perditionis victor, recuperationis inventor.

II. Sed apparitio ejus multifaria est monstrata virtute. Et hodie quidem ab Angelis Pastoribus ostensus in terris, secundo ab stella Magis est monstratus in cœlis; tertio a sancto Spiritu in aquis ostensus; quarto ipse se manifestavit in vino. Sed idcirco virtutum indiciis manifestatur, ut vilitatem, quam susceperat, hominem induendo, Deum simul homines crederent, tanta mirabilia videndo; et incredulis, qui solum hominem credebant Christum, cæcam noctem incuteret, et lumen vultus sui solis credentibus demonstraret. Sic cum[1] et filii Israël, dum crederent per

[1] Probabiliter pro *sicut*.

aquam salvari, lumine sunt cœlestis columnæ lustrati, quæ nubiferum sui signum per diem populis exhibebat, et igneo ad vincendam noctis caliginem fulgebat aspectu; tantum vero lumen credentibus dabat, quantum Ægyptiis non credentibus denegabat. Ipse ergo, qui semper paruit, ut credentibus subveniret, ipse se hodie humano generi nascendo monstravit, ne omnino in æternum periret. Ipse qui Abel puero sacrificanti, et Noë arcam apparuit fabricanti; qui Abraham credenti, Isaac benedicenti, et Jacob visus est fugienti; qui Moseo pascenti oves apparuit; qui Jesum Nave fecit terram repromissionis intrare, ut de terra lac et melle fluente escam copiosius manducaret; qui regnum David bene constituit; qui tribuit Salomoni sapientiam, sacerdotibus honorificentiam condonavit; ipse hodie dignatus est formam servi suscipere, ut omnes servos suos, qui eum diligunt, ingenuos faceret, et Patri suo omnipotenti eos omnes filios adoptaret. Natus ante tempora ex Patre sine matre[1], fecit mundum : natus ex tempore de matre sine homine patre, purificavit mundum immundum. Natus ex ore Patris, fecit quæ non erant; natus ex matre Virgine, quæ facta semel perierant, reparavit.

III. Nec otiosum transire sollicitus debes, o Lector, cum audieris ex Virgine natum, qui perditum sæculum repararet. Ex virgine enim terra factus es, quia vita sæculum præcipitavit in mortem. Et idcirco necesse fuit, ut partu virgineo editus, de mortis præcipitio sæculum revocaret ad vitam, et mortis principem, qui factum hominem ex terra virgine vicerat, natus homo ex Virgine superaret. Homo enim victus est, et perdidit hominibus vitam; homo vicit, et hominibus vitam perditam revocavit. Factus est Adam primus caput omnium morientium : et factus est Adam novis-

[1] Vide Serm. CLXXXIV, n. 3.

simus caput omnium qui transeunt de morte ad vitam. Peperit Virgo filium, qui Deo filios faceret, qui ignominiam mortis tolleret, et morituro sæculo vitam perpetuam condonaret. Generat filium in forma servi Virgo mater in terris, et Deus Pater suscepit imperatorem in cœlis. Generat mater filium a filio nutrienda, et mortali utero Deum hospitem portat, cui totum parum est cœlum. Denique in eximio partu coruscabant magis viscera, quam dolebant; cœlestis propago germinabat in ventre, et in humanis gressibus vectura deifica portabatur. Portabat in cubiculo pudoris inclusum, quem cœli non capiunt, et parit eum, non qui nascendo pollueret parientem, sed qui a pollutione omne sæculum nascendo lavaret. Sancta credidit, sancta concepit, sed sanctior est effecta post partum. Extitit enim Virginis ipse filius, qui erat sponsus, ipse genitus, qui erat genitor. Illic fuit paranympha credulitas; paranymphus Archangelus[1]. Facta mater et virgo sponsa, et, ipsum quem peperit, Christus sponsus. Siquidem ipse est Sermo ore Patris prolatus, et ita est a Virgine immaculata susceptus, et ipse sibi in ejus utero hominem, in quo digne permaneret, aptavit, dicente sancto Spiritu per Sapientiam Salomonis : Quia ipsa « sibi Sapientia ædificaverit do» mum (*a*).» Quæ enim Sapientia, nisi Filius Dei ante tempora ex Patre genitus? Et quæ domus ejus, nisi homo Christus Jesus, quem sibi ipse construxit, quem gloriosa Virgo suscepit, quem Spiritus sanctus copulavit, quem Gabriel archangelus nuntiavit, quem Angelorum chorus decantavit, et stella fulgida demonstravit? Fecit gravidam Virginem ipse, qui erat ex Virgine nasciturus; non tamen gravidam, quia lux non habet pondus. Erat itaque Virgo gravida, et exultabat, quia quod portabat, non ignora-

(*a*) Prov. IX, 1.

[1] Vide Serm. CXXI Appendicis Maurinensis, n. 3.

bat. Peperit filium mater, cui carnalis non erat pater. O felix Virgo, quæ meruit in utero suo Deum portare post cœlum! Sanctus Spiritus per Angelum loquebatur, et Virgo auribus impregnabatur.

IV. Spelunca suscepit regem, cui totus mundus denegavit hospitium. Exhibuit ei pro lecto præsepium, pro plumis cilicium. Cœlum parturit, et Virgo parit; stellæ in cœlo fulgescunt, et reges in terra contremiscunt. Angeli jucundantur, Pastores ovium admirantur; Magi Jerosolymis alloquuntur; et Judæorum principes confunduntur. Prophetæ gratulantur, cum in Christo, quæ prædixerunt, complebantur. « Abraham vidit istum diem vidit » et gavisus est (*a*). » Hodie enim in ejus semine omnes gentes ad hæreditatem æternæ promissionis accedunt. Implesti, Domine, quod promisisti in præteritis, ut justa ratione, credaris omnia, quæ facturum te promisisti, implere. Fidelis enim es, Domine, in verbis tuis, et sicut omnia quæ tunc pollicitus es Abrahæ, in Domini nostri Jesu Christi Nativitate complesti; ita quidquid nunc promittis Ecclesiæ tuæ in secundo ejus adventu restitues. Veniet enim remunerator bonorum cum sanctis suis regnaturus in cœlis, qui hodie apparuit sæculi liberator in terris. Ipse enim hodie manifestatus est Archangelorum magister, Angelorum instructor, arbiter sæculorum, liberator omnium ad se confugientium, decus integritatis, corona virginitatis, auxilium castitatis, portus credulitatis, nutritor innocentiæ, vitiorum interfector, superstes sæculorum, amicus fidelium, remunerator piorum, amator convertentium, ablator sordium, salvator vulnerum, ostensor vitæ, adjutor in bono opere laborantium, dux sanctorum, Prophetarum vox, cantilena psalterii, modulatio puritatis, intellectus vaticinantium, virtus perseverantium, itineris

(*a*) Joan. VIII, 56.

boni ostensor : tranquillitas fluctuantium, refrigerium æstuantium; indultor peccatorum, præceptor Apostolorum, institutor sæculi, diaboli persecutor[1]. Ipsum loquitur omnis sapientia Prophetarum, ipsum voces prædicant universæ sanctorum; ipsi se Apostolorum turba prosternit, ipsi omnis sanctitas psallit; ipse est fides vera credentium clausura discutientium; ipse est reserator paradisi, et vitæ perpetuæ condonator.

V. Audiat omnis ætas, omnisque conditio : Virgo in partu suo nupsit; sanctitatem, dum edit, augmentavit; integritatem, dum pareret, duplicavit; virginitatem coronavit. Viduis auxilium natus exhibuit, orphanis præsidium attulit, egentibus subsidium præbuit, cæcis visum restituit, claudis reddidit gressum, esurientibus pocula ministravit. Puer inter homines, juvenis inter fortes, pulcher inter Angelos, Margarita cœlestis, coruscus pacis, oliva Ecclesiæ, vitis martyrum, refectio omnium sæculorum. Ipse nobis est hodie manifestatus in carne, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

In Natali Domini VIII.

Idem codex fol. 22*; eædem admittendi sermonem hunc ac præcedentem rationes. Post præcedentem ponatur cum numero in Natali Domini* XX.

SYNOPSIS.

I. Angelus missus ad Mariam. II. Christi Nativitas ex Virgine.

I. Magnus nobis hodie dies illuxit quo omnipotens Deus de cœlo descendit, et inter homines sacra Nativi-

[1] Vide Serm. CXXI Appendicis Maurinensis, n. 4.

tas luculentius rutilavit. Descendit princeps Angelorum; audivit gemitus miserorum, et venit eripere hominem suum de obscuritatibus peccatorum. Totus jam in inferno mundus jacebat; putrefactus fuit infirmitatibus suis, nisi Christus velociter descendisset in terris. Contulit nobis Maria Virgo præcipuum grandeque remedium, ut homines, qui jacebant in profundum, ascendere meruerint in cœlum. Licet mulier rudi adhuc mundo letalem propinaverat mortem, tamen Maria nostra, dum Christum genuit, egregiam meruit libertatem. Mittitur itaque nuntius sanctus Gabriel Angelus. Salutat cœlum in terra : « Ave, inquit, » Maria, gratia plena; Dominus tecum (*a*).» Sic enim condecet, ut ego Domini mei Matrem salutem. Ego sum electus missus ad te, non ad Abraham, non ad Isaac, non ad Jacob. Non enim poterant me videre, qui adepti sunt conjugium. Virgo venit ad Virginem, Angelus ad dominicam Genitricem. Aperi aurium tuarum curvos anfractus, ut intrare dignetur Spiritus sanctus : « Benedicta tu inter » mulieres (*b*),» quia expavescunt omnes nationes, et ipsæ angelicæ Potestates. Dum audierint gentiles, quia Virgo concepit, et, dum parit, Virgo permansit, convertentur ad fidem, quia nunquam penitus [1] audierit partum, et natum vidit inter homines Deum. Judæi livoris insania invidebunt, sed nobis Dominum Christum auferre non valebunt, ipsi increduli ut volunt perderent (*sic*)[2]... Nobis plurimum mirabilibus suis munera divina resplendent.

II. In iis virtutum indiciis, quibus virgineo partu, ut coruscus cœlestis effusus est Christus, Verbum Dei per aurem Virginis intus ingressum viscera integritatis imple-

(*a*) Luc. 1, 28. — (*b*) Ibid.

[1] Erronea videtur vox *pœnitus*. Crederem ultimam syllabam fuisse *talem*, duæ autem priores *mundus* : id est *quia nunquam mundus talem vidit partum*. Non difficilis fuit error indocto forsitan amanuensi. — [2] Hæc phrasis truncа videtur et incompleta.

vit. Et qui hominem ex terra virgine in paradiso fecerat, in utero Virginis iterum hominem fecit, id est sicut primus Adam, qui in animam viventem extiterat, bona multa sæculum perdere fecerat, ita novissimus Adam in Spiritu vivificante omnia redderet, quæ perierant, et in meliorem statum homini repararet [1]. Quid, Incredule, dubitas Virginem concipere potuisse vel parere, cum etiam apes videas semper virgines matres, quæ sine conscientia maritali, ore osculis concipiunt florum, et sic rore cœli generant, sicuti et ipsæ nascuntur [2]; exeunt ut filiæ virgines, et tamen, cum virgines redeant, virgines et matres cognoscunt. Sic et sancta Maria virum nescit, et peperit; maritum non accepit de terris, et filium de cœlis accepit. Majori præconio omnipotentia panditur, quando partu virgineo iste qui nascitur, Dei esse Filius declaratur. Canentibus Angelis, Pastoribus admirantibus, Magis nuntiantibus, stella fulgente, Herode persequente, Simeone cognoscente, Joanne ostendente, cœlis est patentibus declaratus, voce Patris Filius unicus appellatus. Sanctus Spiritus illum in columbæ specie de cœlo veniens demonstravit, et claritas divina splendore cœlesti exeruit [3], ut Deum inter homines cœli ostenderent, et salutem humani generis Dei Filium edocerent, qui regnat cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Desideratur evidenter cunjunctio *ut* ante *sicut primus*, quam amanuensis supplevit duobus istis verbis *id est;* in fine autem phrasis legendum videtur *hominem*, loco *homini*. — [2] Vide lib. III, de Trinit. n. 13. — [3] Cod. male *exercuit*.

SERMO XV.

In Natali Domini IX.

Ex eodem Codice Cass. XII *eruitur, fol.* 17; *unde idem dicendum de isto ac de præcedentibus. Notandum est autem hunc multum concordare cum sermone* CXCII, *qui Lovaniensibus dubius visus est, et Verlino spurius, Verdingo autem et Maurinis legitimus. Illud autem minime obstat quin hic noster admittatur, cum facile credi possit B. Doctorem de eodem argumento sæpius loquentem aliquando ad easdem rediisse sententias. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXII.

SYNOPSIS.

I. Christi Nativitas a Prophetis prænuntiata. II. Christo nascenti gratiæ agendæ. III. Christi venientis in terram misericordia. IV. Christo nascenti adhærendum. V. Exhortatio ad sanctam vitam. VI. In Christi Nativitate omnes exultent.

I. Hodie, Fratres charissimi[1], Natalem Christi Domini celebramus; hodie, Fratres, « Veritas de terra orta est, » et justitia de cœlo prospexit (*a*); » hodie Christus Dominus ex carne nasci dignatus est; hodie, lux mundi, redempturus pereuntem mundum, exortus est; hodie sempiterna lux, imo omni luce clarior justitiæ Sol, de virgineo processit utero. Hodie nostra redemptio, hodie nostra salus, hodie « Via, veritas, et vita (*b*); » hodie hæreditas nostra, hodie regnum, hodie paradisus de terra, id est, de beata Maria, Deus Christus editus est. Hodie invisibilis Deitas per carnis susceptionem hominibus se visibilem præbuit; hodie

(*a*) Psal. LXXXIV, 12. — (*b*) Joan. XIV, 6.

[1] Vide Serm. CXCII, n. 1.

Deus, hominem vestitus, homo apparuit. « Omnes gentes, » plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis (*a*), » quoniam, « Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis, » cujus potestas super humeros ejus, et vocabitur nomen » ejus magni consilii Angelus, Deus fortis, Princeps » pacis, Pater futuri sæculi (*b*). » Hodie, Fratres, Esaïæ prophetæ completa est Scriptura, dicens : « Ecce Virgo » in utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen » ejus Emmanuël, quod est interpretatum : Nobiscum » Deus (*c*). » Hodie Habacuc sanctissimi oracula olim prædicta completa sunt, qui ante Christi adventum prophetans dicebat : « Domine, audivi auditionem tuam et » timui, consideravi opera tua, et expavi (*d*). » Et quasi aliquis eum exquireret, quam Domini operam pertractans expavesceret, adjungens, cum sequentia ait : « In medio » duorum animalium innotesceris (*e*), » id est, in præsepio, ubi bos et asinus vescunt fœnum et paleam, Herodem fugiens occultaberis.

II. Ecce, Fratres, ad quam lætitiam nos hodierni diei festivitas perduxit; ecce ad quale gaudium nos Christi misericordia provocavit, ut qui prius « Sedebamus[1] in » tenebris peccatorum et in umbra mortis (*f*), » lumen Christi hodie oriretur nobis, ut merito ex hoc « filii » Dei nuncupemur, et simus (*g*). » Ecce quod nobis præstitit « In principio Verbum, » et quod « Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum, » ut ille « Per » quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (*h*), » hodie se nascendo humiliaret, et nos perditos exaltaret; hodie se in terris manifestaret, et nobis cœlestem viam demonstraret. O quanta exultatio præsentis diei? quanta

(*a*) Psal. XLVI, 2.— (*b*) Isaï. IX, 6.— (*c*) Id. VII, 14.— (*d*) Habac. III, 2.— (*e*) Ibid. juxta LXX.— (*f*) Isaï. IX, 2. — (*g*) 1 Joan. III, 1. — (*h*) Id. I, 1-3.

[1] Cod. male *fœdebamus*.

humano ore narrari non possit; et quoniam ineffabile est, quod nobis hodie gratuita sua Nativitate præstitit Christus, etsi ad plenum tanto muneri laudando Deum vicissitudinem reddere non valemus, tamen in quantum possumus, in quantum vires nostræ suppetunt infirmitatis, gratiam in commune Christo Domino referamus, « Præoccupando faciem ejus in confessione, et in psalmis » jubilando (*a*); » et[1] dicat ei cor nostrum, dicant et labia nostra; prorsus ab hac laude nullus sileat, nullus tacendo ingratus existat: Gratias tibi, Christe, Salvator noster, Redemptor et adjutor noster, mundi gubernator et rector, qui cum esses cum Patre et sancto Spiritu, omnibus in cœlis Imperator, pro nobis formam servi suscepisti.

III. Unde, Fratres, quantum nobis beneficium hodie sit præstitum, ipso Christo juvante, vestræ charitati, brevi licet sermone, ostendimus, pro quibus donis sempiternum jam regnum ab hodie cogitate; æterna dona spe firmissima concupiscite; Angelorum consortium, Sanctorumque societatem, Christo veniente, requirite. Propter nos enim temporalis effectus est temporum Effector; propter nos apparuit in carne mundi Conditor; propter nos creatus est omnium Creator et Factor. Numquid, Fratres, indiguit Christus, ut hodie nasci per Virginem dignaretur? nostra potius hoc indiguit infelix miseria. Nisi enim se hodie pro nostra miseriâ humiliaret, non nos ab ipsa miseria liberaret. Vidit enim quod omnis homo cum « Sit cinis et pulvis (*b*), » palea et stipula, sanguis et flegma, per miseriam interiret, et superbienti diabolo obediret, et Dei mandata negligens præteriret, et regnum cœlorum penitus non introiret. Descendit in carne Verbum, et efficitur homo, ut nos exemplo suo efficeret deos. Didicit

(*a*) Psal. xciv, 2. — (*b*) Gen. xviii, 27.

[1] Forte et melius *hæc*.

enim a nobis ipsam quodam modo Nativitatem suam, et invitat nos ad suam humilitatem: « Venite ad me omnes, » qui laboratis et onerati estis, » quorum cervices grave premit diaboli jugum, id est, superbia, malitia, iniquitas et peccata. Grave est quod habetis, sed « Venite ad me, » hoc est, humiliamini, ut me videtis, « Et ego reficiam » vos (*a*), » quia nisi prius humiles fueritis, sublimes esse non potestis [1]. Projicite ex vestris cervicibus peccatorum sarcinam, quam vobis nunc usque diabolus per suum imponebat imperium, et « Tollite meum suave jugum, et » sarcinam levem (*b*), » ut meam in omnibus humilitatem sectemini, quam ne tu, cum sis homo et meum figmentum, suscipere dedignareris, prius eam ego carnem induendo suscepi, qui sum Deus, et factor tui figmenti, et per omnia pro vestra salute Patris compleo voluntatem. « Suf- » ficiat jam discipulo, ut sit sicut magister ejus, et » servo sicut dominus ejus (*c*). » Si magister sum vester, ubi est honor meus? Si dominus sum vester, ubi est timor meus? Si magistrum amatis, opera charitatis ostendite; si dominum timetis, facta timoris monstrate. « Ut » quid enim mihi dicitis: Domine, Domine, et non fa- » citis quod dico (*d*)? »

IV. Itaque, Fratres, omnes ex hoc unanimes atque concordes natum hodie Christum de Maria Virgine amplectamur; timeamus, laudemus, honoremus, « Diliga- » mus eum, quoniam prior dilexit nos (*e*). » Si enim gratis nos non dilexisset, hodie ex carne natus non fuisset, et tantam nobis lætitiam suo Natali non exhibuisset. Suscipientes jam Dominum nostrum mente pura, charitate fir-

(*a*) Matth. xi, 28. — (*b*) Ibid. 29. — (*c*) Id. x, 24, 25. — (*d*) Luc vi, 46. — (*e*) Joan. iv, 19.

[1] Vide Serm. clxiv, n. 4, et seqq.; xxx, n. 8, 9; xli, n. 6; cxvii, n. 17; cxliii, n. 7, et seqq.

ma, fide immobili, castitate sancta, teneamus eum, ne, peccatis facientibus, a nobis repellemus eum, et ille derelinquat nos, et inopes ac pupilli, discedente Domino, remaneamus; habeat castum cubile nostrum; mundum simus habitaculum; corpus non simus delectabile; templum ejus sumus, quoniam de nobis scriptum est, id est de Christianis fidelibus : « Vos estis templum Dei, et Spi- » ritus Dei habitat in vobis (*a*). » Si Spiritus habitaverit in nobis, necesse est, ut et Pater simul habitet cum suo Spiritu, quia Spiritus sanctus Patris et Filii consubstantialis est, et ubi Pater et Spiritus sanctus habitaverit, simul cum eis Filium necesse est habitare, quia nec Filius sine Patre aliquando fuit, nec Pater sine Filio fuit, nec Spiritus sanctus sine Patre et Filio aliquando fuit, quoniam Trinitas hæc omnimodo inseparabiliter sibi cohæret, et hæc Trinitas unus Deus est. In nullo jam prorsus Christiano inveniantur actus diaboli.

V. Fratres mei, Filii mei, mutavimus patrem; justum est ut mutemus hæreditatem. Pater noster usque nunc diabolus fuit; jam modo Christus Deus sit, et liberati a peccato, servianus Deo. Quid adhuc rebus mortalibus oblectamur? Quia fugitivam vitam, si fieri possit, tenere conamur. Spes clarior refulsit in terris, id est, Christus Dominus nasci dignatus est in fine mundi, ut terrenis vita promitteretur in cœlis; cujus inflammati charitate, quidquid in præsenti habere videmur, omnia propter Christum « Velut stercora computemus (*b*), » et pereunte mundo, ea omnia simul perire cognoscamus. Ne aliquid nobiscum exinde portare certissime sciamus, nisi solummodo opera; quæ hic modo sive mala, sive bona gerimus, nobiscum comitantia in die judicii ante Christi tribunal adportabimus. Unde prompto consilio de rebus transeunti-

(*a*) 1 Cor. III, 16. — (*b*) Philip. III, 8.

bus atque prætereuntibus æterna nobis præmia comparemus : « Faciamusque nobis amicos de mammona (*a*), » id est, de pecunia, quam possidemus, « Qui nos reficiant in » æterna tabernacula (*b*); » hoc est, pauperes, et inopes, debiles, claudos, cæcos, atque omni paupertate circumdatos, nobis amicos faciemus, ut ipsorum adjuti orationibus in regno Christi cum ipsis intromitti mereamur, per Christum, cujus hodie Natalem celebramus, qui sic mirabiliter de Virgine nasci voluit, ut in utero non seminato germen prolis exoriretur, et a complexu carnis viscera immunia Filium hominis proferrent. Quod et in Virgine esset integritas, et in conceptu clausa, et in partu incorrupta Virgo permaneret[1], mira est ista potentia, sed plus est miranda misericordia, quod ille qui sic nasci potuit, nasci voluit. Erat enim unicus Patri, qui unicus hodie natus est matri, et ipse natus est per matrem, qui ante fecit ipsam matrem. Sempiternus ex Patre, hodiernus ex matre, sine quo Pater nunquam fuit, sine quo mater nunquam fuisset.

VI. Exultate, Virgines Christi; consors vestra est Mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Qui non ex nobis natus est, vobis natus est. Tamen si verbis ejus meministis, sicut meminisse debetis, estis etiam vos matres ejus, quæ voluntatem Patris ejus facitis. Ipse enim dixit : « Qui- » cumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, » soror, et mater est (*c*). » Exultate, et Viduæ Christi, quia qui fœcundam fecit virginitatem, illi vovistis continentiæ castitatem[2]. Exultet etiam castitas nuptialis, omnes fideliter viventes cum conjugibus vestris, et quod

(*a*) Luc. XVI, 9. — (*b*) Luc. XVI, 9. — (*c*) Matth. XII, 50.

[1] Quæ sequuntur usque ad finem paucis discrepantibus editum est in Serm. CXCII. — [2] Edit. melius *sanctitatem*.

amisistis in corpore, in corde servate. Ubi non potest esse a concubitu caro integra, sit in corde virgo conscientia. Proinde quia charitas et pax et justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite, ut quod egit uterus Mariæ in fide Christi, agat cor vestrum in lege Christi, ut mereamini percipere promissa Christi, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

In Natali Domini X.

Sequens Sermo extractus ex Codice Cass. XII, *fol.* 13, *ab initio usque ad verba :* Si ergo Verbum Deus, et homo caro : *differt ab illo edito a Monachis sancti Mauri, tom.* V, *part.* 1, *fol.* 884, *Serm.* CLXXXVI ; *cætera vero respondent usque ad finem, exceptis verbis :* Ille natus est, ut nos redimeret, id est, Jesus Christus, cui gloria cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. *Quæ tamen subjici debent in editione post verba :* Congruebat temporalis. *Hic ergo hæc sola exemplata sunt, quæ variant in editione.*

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi omnibus affert lætitiam. II. Christus ad erigendum genus humanum venit.

I. Ecce Dominus noster hodie natus est[1], et omnis creatura ad gaudium invitatur, dicente Propheta : « Læ- » tentur cœli et exultet terra ; moveatur mare, et pleni- » tudo ejus (*a*). » Cœlos hodie Angelorum choros intellige,

(*a*) Psal. XCVII, 7.

[1] Vide Serm. CXCIII, n. 1.

qui cœlestium obtinent sedes, qui hodierna die, Pastoribus audientibus, hymnum clamant, dicentes : « Gloria in excel- » sis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*a*). » Terram naturam humanam esse cognosce ; mare vero omnem mundum, et quæ in eo sunt in commune, Scriptura significat, quibus hodierna die Nativitas Christi immensam lætitiam generavit. Natus est Christus ex Virgine, ut nos nasceremur ex Spiritu sancto. Qui ante omnia sæcula est generatus ex Patre, hodierna die natus est ex Virgine matre. Factus enim ex Matre, permansit in Patre. Nam qui semper est, factus est quod non erat, nec desiit esse quod erat. Factus est namque homo quod non erat, ut ait Apostolus : « Factus ex muliere, factus sub » lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (*b*); » permansit autem Deus esse quod fuerat. Nativitas siquidem, quæ secundum carnem est, et nobis profuit, et illi non obfuit, quia nobis adoptionem filiorum contulit, et ipse in Deitate propria cum Patre permansit.

II. Inclinavit enim se, cum sublimis esset, ut nos, qui incurvati eramus, erigeret. Incurvata siquidem erat humana natura ante adventum Domini, peccatorum onere depressa. Et quidem se in peccati vitium spontanea voluntate curvaverat, sed sponte se erigere non valebat. Denique incurvationis hujus miserias, quas homo tolerando gemebat, sanctus Propheta deflens exclamat in Psalmis, et dicit : « Miser » factus sum, et curvatus usque in finem, tota die contris- » tatus ingrediebar (*c*). Tota die, » totum tempus ante adventum Christi significat [1], quo humanum genus quasi incurvatum ambulans contristabatur, quia non inveniebatur qui curvum erigeret, qui lapso [2] in peccati foveam manum

(*a*) Luc. II, 14. — (*b*) Galat. IV, 4, 5. — (*c*) Psal. XXXVII, 7.

[1] Vide Serm. CCCXCII, et Enarrat. in Psal. XXXVII, n. 10. — [2] Codex male *lapsum*.

porrigeret. Propterea Dominus noster advenit, et mulierem illam incurvatam inveniens, quam « Annis decem et octo » Satanas alligaverat, ita ut se non posset erigere (*a*), » potestate Divinitatis absolvit. Hæc autem mulier formam incurvationis totius humani generis præferebat. In hac muliere hodie natus Dominus noster, vinculis Satanæ alligatos absolvit, et licentiam nobis tribuit ad superna conspicere, ut qui olim constituti in miseriis tristes ambulabamus, hodie venientem ad nos medicum suscipientes, nimium gaudeamus.

III. Si ergo Verbum Deus et homo caro, etc., (ut in sermone laudato n. 2. circa medium).

SERMO XVII.

In Natali Domini XI.

Hunc ex duobus Montis-Cassini Codicibus extraximus, nempe ex Cod. XI, *fol.* 239, *et ex Cod.* CVI, *fol.* 5. *Uterque habet nomen sancti Augustini; unus inscribitur in Nativitate Domini, alter autem de Assumptione sanctæ Mariæ; nec inde dubitandi locus; inscriptio enim amanuensi, non auctori tribuenda. Sermo est de Natali, quem legendum in Assumptione quidam monachi rescripserunt. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXIII.

(*a*) Luc. XIII, 11, 16.

SYNOPSIS.

I. Christus ad salvandum nos de cœlo venit. II. Maria mater et virgo. III. Probatur contra Manichæos Mariæ virginitas.

I. Sancta atque gloriosa solemnitas[1] hodie clara refulsit, et omni generi humano per suum adventum salutem[2] præsentavit. Vidit Dominus omne sæculum multis peccatis oppressum, et inimici pallentis astutia nimis demersum, et dignatus est ei succurrere per Dominum nostrum Jesum Christum. Non fecit quemadmodum antea faciebat, mittendo Prophetas hominibus prædicare, ut caverent diaboli artes. Vidit Paterfamilias, quia contemnitur per servorum nuntium[3]; dixit: « Quid faciam, nisi ut unicum ad » eos mittam Filium meum charissimum; forsitan vel eum » reverebuntur (*a*). » Omnis enim homo, etsi sit justus, habet in se immixtionis[4] aliquid plumbi, id est, peccati, quibus solet genus humanum implicari, et ideo nemo nobis potuit misereri, « Quia omnes quæ sua sunt quæ- » runt, non quæ Jesu Christi (*b*). » Mittitur primus Prophetarum Moyses, deinde Aaron, Esaïas, Hieremias, Elias, et omnes omnino Prophetæ, et nemo ex eis nobis infirmis conferre potuit sanitatem, nisi videremus Dominum redemptorem. Hic[5] doluit, ipse ad nos descendit, non habens in se dolum, non peccatum, non plumbi quid commixtum[6]; sed totus justus, totus innocens, totus sanctus, totus fulgens, ut « Argentum igne probatum ter- » ræ, purgatum septuplum (*c*); » qui[7] nullum in se habebat peccatum, sed per suum adventum damnavit eum, qui

(*a*) Matth. xxi, 37. — (*b*) Philip. ii, 21. — (*c*) Psal. xi, 7.

[1] Cod. cvi, *nativitas*. — [2] In eodem deest *salutem*. — [3] Id. *nuntios*. — [4] Id. *immixtionem*. — [5] Id. male *hoc*. — [6] Male idem *plumbiciatur*. — [7] Id. *quia*.

« Fecit peccatum (*a*) et habebat mortis imperium (*b*). »

II. Tunc impletum est quod dictum est, et jampridem annuntiaverat Esaïas propheta dicens : « Ecce Dominus » venit in nubem levem (*c*) ; » et quam dicimus esse nubem levem, nisi sanctam Mariam, quæ nullis est facibus peccatorum gravantium ponderata? Ipsa potuit Dominum ferre post cœlum, quæ virgo meruit inveniri post partum. Inclusit se in suo figmento Dominus Angelorum, et veluti gemma emicuit et speciosa apparuit inter filios hominum. Qualis et quanta fuit virgo[1] sancta Maria, quæ potuit portare Dominum, quem non potuit portare terra nec cœlum ; bajulavit Dominum in suo corpore[2], et non sensit omnino onus. Quare non sensit omnino onus? quia lux non habet pondus. Gestabat sancta virgo Maria, quia ita in ea sedit[3] Dominus, « Sicut descendit pluvia in vel- » lus (*d*). » Purgat pretiosam margaritam, et ejus virginitas non sensit aliquam jacturam.

III. Et sunt multi hæretici, multo magis Manichæi, qui dicunt Dominum non potuisse per fœminam nasci. Et Manichæus dicit : Nec Moysen accipio, nec Prophetam. Et quid agis[4], Manichæe, de Paulo apostolo, qui in exordio Epistolæ quam ad Romanos scripsit : « Paulus, inquit[5], » servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in » Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas » suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei » ex semine David secundum carnem (*e*). » Frustra, Manichæe, conaris adversus Prophetam ; ecce Apostolus dicit : « De Filio ejus qui factus est ei ex semine David secun-

(*a*) 1 Joan. III, 8. — (*b*) Hebr. II, 14. — (*c*) Isaï. XIX, 1. — (*d*) Psal. LXXI, 6. — (*e*) Rom. I, 1-3.

[1] In Cod. XI abest *virgo*. — [2] Cod. CVI, male *suum corpus*. — [3] Id. *insedit*. — [4] Id. *dicis*. — [5] In Cod. XI desideratur vox *inquit*. Reliqua jam superius leguntur Serm. IX.

» dum carnem. » Quod Prophetæ præviderunt et dixerunt, hoc Apostoli viderunt et prædicaverunt. Quid erat, et quid factum est[1]? Verbum erat, et caro factum est; Filius Dei, filius hominis factus est. Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit Divinitatem: factus est humilis, sed mansit sublimis: factus est homo, non destitit esse Deus. Dicit tibi Deus, Creator hominum, Filius hominis : Quid est quod te movet in mea[2] Nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate; ego matrem de qua nascerer feci: ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc, quam despicis, Manichæe, mater est mea; manu fabricata est mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicut in transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic mea ibi non est maculata majestas. Solis radius cloacarum sordes siccare solet, inquinari non novit; quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti occurrit, quocumque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest[3]. Stulte unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem? unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in domicilio ad quod nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus venit; vestem quam non habebat induit[4]; quam sicut invenit clausam, ita et reliquit. Sicut ille natus est solus « Inter mortuos liber (*a*), » sic istius ex qua natus est matris pudor, solus est integer; quia Virgo virginem genuit, et sic virgo permansit: virgo ante partum, virgo post partum. Concepit, et virgo est; mater generat, et virgo perseverat. Eva inobediens meruit pœnam; Maria

(*a*) Psal. LXXXVII, 6.

[1] Ambo Codices male *quod*. Cod. XI habet solummodo *quid ergo factum est?* — [2] Cod. CVI *ea*. — [3] Ultima verba desunt in Cod. XI. — [4] Cod. CVI male *induxit*.

obediens consecuta est gratiam, quia genuit omnium credentium Salvatorem; qui vivit cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

In Natali Domini XII.

Extrahitur ex Cod. Cass. CX, *fol.* 64, *cum nomine sancti Augustini; et ex Biblioth. Laurent. Cod.* I, *Plut.* XIV, *fol.* 23. (*Vid. Bandini, pag.* 71, § 22), *ubi pariter beato Doctori tribuitur. Excepto exordio, quod in duplici Codice concordat, sed quod in Editis non legitur, similis est in omnibus sermoni* II *Appendicis sancti Leonis in Editione fratrum Ballerini, jam antea apud Quesnellum pariter in Appendice stampato ex Codice sancti Petri Corbeïensis, ubi sancto Leoni tribuitur. His verbis incipit in Editis :* Salvator noster, Dilectissimi, *etc.. Ex annotatione vero doctorum horumce criticorum ad Leonem minime pertinet. Pertinet autem ex auctoritate nostrorum Codicum ad sanctum Augustinum, cujus nomen in utroque præfigitur. Ejus locus post præcedentem cum numero in Natali Domini* XXIV.

SYNOPSIS.

I. In Nativitate Christi gaudendum. II. Christus Deus et homo natus ex Virgine. III. Christus in Nativitate purus, servata Dei forma, servi formam accepit. IV. Se Deum et hominem operibus demonstravit.

I. Gratias ago Domino Deo nostro, Fratres dilectissimi [1], quod quæ [2] sit diei hujus festivitas docere vos non [3] necesse est, qui prævenistis devotione doctrinam. Accesserunt huc hodie etiam prophetiæ atque evangelicæ lectiones eamdem rem docentes quam fides vestra docuit vos [4]. Donet ergo Dominus Deus noster, ut concordantibus, sicut hodie, ita omni tempore cum lectione divina actibus vestris, quidquid habuerit sacra auctoritas in præceptis, hoc vos habeatis in moribus. Salvator ergo noster, Dilectissimi, hodie nascitur [5], gaudeamus : neque enim locum oportet esse tristitiæ, ubi natalis est gaudiorum. Ad omnes itaque gaudium istud pertinet, quia Christus omnibus venit. Nullus ergo se lætitiæ diei hujus arbitretur alienum. Si sanctus est quis, gaudeat, quia accipiet remunerationem ; si peccator est, gaudeat, quia invitatur ad veniam ; si gentilis est, gaudeat, quia admittitur ad salutem. Carnem humani generis pro nobis Deus assumpsit. Si ipsi nos alienos a Christo non faciamus, jam in Christo sumus. Agnoscamus ergo redemptionem nostram ; agnoscamus salutem nostram. Ipse se alienum a consortio Christi efficit, qui se esse in corpore Christi denegaverit. Sed illud, Dilectissimi, quod secundum Scripturas, quæ lectæ sunt, hodie Dominum natum esse cognoscimus, videamus ; quomodo in fine sæculi na-

[1] Hæc verba desunt in Cod. Laurent. — [2] Cod. Cass. male *quodque*. — [3] Deest vox *non* in Cod. Cass. male ; in Cod. Laurent. *docerí*.— [4] Hæc verba desunt in Cod. Cass. — [5] Edit. et Cod. Laur. *natus est*.

tus sit, qui creator est sæculorum : « Ipse enim dixit, et » facta sunt; ipse mandavit et creata sunt (*a*). »

II. Christus ergo salvator noster, Dilectissimi, homo et Deus creditur; Deus ex patre, homo de matre; Deus ex Deitate, corporeus ex carne; et ideo Deus ante sæcula, homo post sæcula; Deus ante initia, homo inter extrema. Qui in principio creavit per majestatem, hodie venit salvare per carnem. Creatio hominum, prima potentia fuit; salvatio, secunda pietas. Benignitatis motus affectu Dominus, voluit ut nobis redderet misericordia quidquid abstulerat offensa. Descendit ergo iste, ut nos ascenderemus; cœlestia summisit, ut terrestria sublevaret; fecit se hominis participem, ut hominem faceret Dei esse consortem; « Factus, sicut per Apostolum audistis, ex muliere, factus sub » lege (*b*). » Sed nemo, cum mulierem audit Matrem Domini, de nominis offensione moveatur. Virgo concepit ex Spiritu sancto, sed mulier nominatur ex sexu. Et ideo Evangelista, qui lectus est, virginem, Apostolus autem mulierem nuncupavit, ut omnes in partu virginis omnipotentiam agnoscerent Divinitatis; in appellatione autem mulieris, nomen conditionis audirent.

III. Natus est ergo Dominus noster ex carne quidem, sed non ex corruptione carnali : natus ut homo, sed non genitus ut homo. Ita suscepit carnem, ut servaret majestatis honorem. Et sic segregando puritatem Nativitatis suæ a concretione colluvionis humanæ, peregit quidem in ortu suo plenam hominis dispensationem, sed Dei tamen non deseruit dignitatem. Ideoque in mundo isto talis qualis nativitate, puritatem ortus sui etiam in vitæ sinceritate servavit. Solus enim ille est « In cujus ore, sicut scriptum » est, dolus non fuit (*c*) : » utique ut qui colluvionem humanam in creatione nescierat, etiam in conversatione nesciret.

(*a*) Psal. CXLVIII, 6. — (*b*) Galat. IV, 4. — (*c*) 1 Petr. II, 26.

« Cum enim, inquit Apostolus, in forma Dei esset, formam » servi accepit (*a*) etc. ». Omnes homines, Dilectissimi, servi peccatorum fuerant, et ideo bene ait Apostolus formam tantummodo servi assumpsisse ; quia homo quidem verus, sed humanis vitiis non coinquinatus, formam tantum habuit servi, non conscientiam ; quia licet habuerit speciem hominis, non tamen habuerat conscientiam peccatoris ; quia sicut Apostolus dicit : « Cum in forma Dei esset, » formam servi accepit, et habitu inventus est ut homo. » Habitu homo, sed potentia Deus ; quasi servus in forma, sed Dominus in natura : foris ostendens matris infirmitatem, intus possidens Patris majestatem ; foris humilis corpore, intus pollens Divinitate.

IV. Denique et ipsa inter homines conversatio simul utrumque monstravit, in passionibus hominem, in virtutibus Deum. Esurivit enim, sed esurientes multiplicatis per benedictionem panibus pavit. Quod esuriit, carnis fuit ; quod pavit, Dei[1]. Flevit, et flentibus opem tribuit[2]. Ex homine fuit quod lacrymavit ; ex Divinitate quod præstitit. Oravit, et ipse præstitit quod oravit[3]. Hominem indicavit, quod precem fudit ; majestatem quod in precibus ipse sibi respondit[4]. Omnibus ergo rebus duplicem in se naturam monstravit ; et ideo substantiæ utriusque mediator est : quia dum summisit cœlestia, exaltavit humana : fecit summam ex diversitate concordiam, ut in eo una utraque fieret, qui in se utrumque retinet Dominus noster Jesus Christus, qui hodierna die ex Virgine natus, æternaliter[5] vivit et regnat cum Deo Patre et sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Philip. II, 6.

[1] Edit. *caro... Deus*. — [2] Hæc phrasis deest in Edit. — [3] Hæc iterum in Edit. desiderantur. Cod. CVI *oravit et exauditus est*. — [4] Ultima pars sententiæ non habetur in Edit. — [5] Hæc rursus in Edit. non extant.

SERMO XIX.

De Epiphania Domini.

Tribuitur S. Augustino tum a duobus Codicibus Montis-Cassini, nempe Cod. XCIX, *fol.* 170, *et Cod.* CVI; *tum a Codice* I, *Plut.* XIV, *p.* 65 *Bibliothecæ Laurentianæ, ex quibus extractus est; hinc tribus, et quidem antiquissimis testimoniis ejus authenticitas obfirmatur. Ponatur post Sermonem* CCIV, *cum numero de Epiphania* VII.

SYNOPSIS.

I. Christus Judæis et Gentibus revelatus. II. Utrisque bona ferens. III. Magi adorantes; Herodes occidens. IV. Innocentium trucidatio. V. Conclusio.

I. Celebravimus ante hos dies[1], sicut meminit sanctitas vestra, diem quo natus est Dies. Celebremus hodie quo clarus effulsit, et primitias Gentium suo illustravit[2] aspectu ipse qui tunc natus est Dies. Hodie namque, sicut evangelica pandit historia, Magi ab Oriente venerunt, Regem Judæorum, qui natus fuerat, inquirentes, atque dicentes : « Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et ve- » nimus adorare eum (*a*). » Ad annuntiandum Judæis Pastoribus Christum, Angelos legimus descendisse de cœlo; ad perducendos ex Orientis finibus Magos, cum luce stellam[3] radiasse de cœlo. Sive ergo[4] Judæis per nuntios

(*a*) Matth. II, 2.

[1] Vide Serm. CXCIX, n. 1. — [2] Cod. Laur. *illuminavit.* — [3] Idem male *stella.* — [4] Vide Serm. CCI, n. 1.

Angelos, sive Gentibus per fulgidum sidus[1], « Cœli enar- » raverunt gloriam Dei (*a*); » ex quibus principiis credentium in Christi Nativitate populorum « Lapis ille noster » angularis (*b*) » apparuit. Crediderunt enim, et mox Christum prædicaverunt. Admoniti Angelorum vocibus Pastores crediderunt, Magi adoraverunt, et ipsi per tot terrarum spatia venientes : Christus autem, qui venerat « Annuntiare pacem his, qui longe erant, et his qui » prope (*c*), » utrosque populos in pace suscepit; « Ipse » enim est pax nostra qui fecit utraque unum (*d*) » ex ipsis populis, postquam est in cœlum, Apostolis mirantibus, elevatus, quorum primitias acceperat natus.

II. Hunc nimirum præviderat Esaïas[2], quando dicebat: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe do- » mini sui (*e*); » per bovem significans Israëlitas jugo legis astrictos; per asinum vero Gentes significans, quod animal dicitur immundum, ab Israëlitis[3] unum Deum colentibus immunditia idololatriæ separatas[4], sed tamen ad præsepe venturas, ubi mundatis per fidem Christi communis est cibus corporis Christi. Sic et Dominus ex populo utroque alloquebatur Ecclesiam collectam, quando dicebat : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati » estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super » vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, » et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim » meum suave est et onus meum leve (*f*). » Tanquam bovi diceret : « Jugum meum suave est; » asino autem : « Onus meum leve; » Judæis scilicet a jugo duro legis[5]

(*a*) Psal. xviii, 2. — (*b*) Ephes. ii, 20. — (*c*) Ibid. 17. — (*d*) Ibid. 14. — (*e*) Isaï. i, 3. — (*f*) Matth. xi, 28-30.

[1] Vide Serm. CCCLXXV, n. 1. — [2] Vide eumdem Serm. ibid. — [3] Cod. Cass. *Israëliticis*. — [4] Iidem *separantes*. — [5] In Cod. Cass. deest *jugo*, quod legitur in Cod. Laur. Isté rursus male habet *scilicet* pro *diceret*; in utrisque videtur iterum deesse *liberatis*, nempe *Judæis scilicet a jugo duro legis liberatis diceret*.

diceret, quia « Jugum meum suave est; » Gentibus autem luxuriantibus naturaliter, et onus præceptorum salubre renuentibus[1] dicens : Quid adhuc insueti estis? sarcinæ dorsa subtrahitis? « Onus meum leve est. »

III. Magis ergo venientibus et sciscitantibus ubi Christus nasceretur, Judæi ostenderunt, et ipsi qui ostenderunt remanserunt. Sicut modo, Charissimi, ab ipsis Judæis Christus, et ejus Ecclesia ab omnibus Prophetarum voluminibus recitatur, nec tamen ab ipsis, sed a Gentibus adoratur. Herodes autem rex[2] impius, audito hoc a Magis, quoniam natus est Rex Judæorum, expavit continuo successorem, et putans adversus[3] « Magni consilii Ange-» lum (*a*) » humano se prævalere consilio, duobus ad eum modis instituit pervenire; prius mentiendo, postea sæviendo. Prius enim mentitus est Magis, dicens eis : « Euntes inquirite diligenter de puero, et cum inveneritis, » renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum (*b*); » fingens se adorare velle, quem cupiebat occidere. Quod quia non potuit, per totam Judæam interfici jussit infantes in ejus (ætatis) confinio constitutos, qua non excederet[4] Nativitas Christi. Sed etiam hic affectus nefariam crudelitatem admisit, quia innocentem[5] frustra sanguinem fudit.

IV. Ecce, charissimi Fratres, Dominus noster adhuc manibus[6] portatur, et res jam mirabiles operatur. Parvus superat magnum, et inermis vincit armatum; pannis involutus despicit purpuratum; in præsepe jacens, tribunal regis eludens; tacens habet prædicatores, latens invenit testes[7]. Sævis quidem, o Herodes, et inter persecutores

(*a*) Isaï. IX, 6. — (*b*) Matth. II, 8.

[1] Cod. Laur. *recusantibus*. — [2] Deest *rex* in Cod. Cass. — [3] Vide Serm. CXXV, n. 3, ubi sic citatur hic textus, qui non sic in Vulgata legitur. — [4] Cod. Laur. *excederit*. In tribus Cod. deest vox *ætatis*. — [5] Id. *innocentum*. — [6] Cod. Cass. male *manibus nostris*. — [7] Vide Serm. CC LXXIII, n. 3.

Christi habes et tu locum tuum. Sed qui « Potestatem ha- » bet ponendi animam suam (*a*) » non timet iram tuam. Potes quidem stimulis formidinis agitari, vel facibus furoris accendi; sed Christus adhuc non[1] disponit occidi. Verumtamen ne usquequaque sit tua cruenta crudelitas, fac martyres Christi. Rape ab amplexu nutricum, quos non eripies ab amplexibus Angelorum. Dimittant ubera, ut calcent sidera; relinquant lacrymas matrum, ut sumant gloriam Martyrum; portantium deserant ulnas, ut perveniant ad coronas; sint[2] testes qui non possunt loqui; dicant testimonium, qui non habent verbum; et qui non possunt per suam ætatem fateri Christum, jam incipiant per ejus gratiam confiteri. Nescis, Herodes, divini consilii ordinem, et inde turbaris. Non ad auferendum tibi regnum, sed ad contumelias perferendas Christus venit in mundum : non ut populorum sacrificiis honoratus apice regio[3] sublimetur, sed ut Judæorum vocibus condemnatus in cruce levetur[4] : non ut hic fulgido diadematis decoretur ornatu, sed ut spinis coronetur illusus.

V. Nos itaque, Dilectissimi, propter quos omnia facta sunt, propter quos excelsus se humiliavit[5], propter quos Deus factus est homo, propter quos Creator noster creatus est, propter quos esurire dignatus est panis noster[6], et, ut prætermissis[7] omnibus unum illud et maximum dicamus, propter quos mortem vita nostra perpessa est, sic vivamus, ut vel ex parte aliqua tantæ gratiæ congruamus, et tenentes humilitatis Christi pignora temporalia, præmia ab eo accipiamus æterna[8].

(*a*) Joan. x, 18.

[1] Deest *non* in Cod. Cass., vox quidem ad sensum necessaria. — [2] Cod. Cass. male *sunt*. — [3] Id. *Asiæ regio*. — [4] Vide Serm. CCXVIII, Appendicis Maur. n. 3. — [5] Id. CCCLXXIII, n. 5. — [6] Cod. Cass. male *panem nostrum*. — [7] Cod. Laur. male *prætermisit*. — [8] Cod. Cass. *mansuetudinis præmia ab eo capiamus æterna*.

SERMO XX.

Ante Pascha, de jejunio, misericordia, et baptismate.

Ex codice XII, *fol.* 97. *Nomen et omnia ita concordant, ut nihil discrepare videatur. Locus ejus post Sermonem* CCXI *Maurinorum.*

SYNOPSIS.

I. Tria exiguntur sub Pascha, jejunium, misericordia et baptisma. II. Contra eos, qui baptisma differunt. III. Contra eos, qui jejunare negligunt. IV. Conclusio.

I. TRIA sunt quæ sub Pascha, vel maxime Dominus de populo exigit, jejunia, misericordiæ opus, et sancti baptismatis fidem. Non sunt dura quæ dico, sed ita Domino grata sunt, ut exigat ista propitius, exigat et iratus. Dicit enim sacerdotibus Deus : « Sanctificate jejunia, prædicate » curationem, congregate majores natu, et omnes habi- » tantes in terra in domum Domini Dei vestri, et excla- » mate ad Dominum et exaudiet vos (*a*). » Misericordiam vero Dominum præcipere Evangelista sic probat; » Date et dabitur vobis (*b*). » Similiter et de fide baptismatis dixit : « In novissimo magno die festi, stabat Jesus » et clamabat voce magna dicens : Qui sitit veniat et bi- » bat (*c*). » Et iterum : « Qui biberit aquam meam, non sitiet » in æternum (*d*). » Sed video, præter paucos, baptismum nemo sitit, nisi, magnis febribus scatens, torridum patiatur ardorem. Merito exigit Deus per totum annum jejunia,

(*a*) Joël. I, 14. — (*b*) Luc. VI, 38. — (*c*) Joan. VII, 37. — (*d*) Id. IV, 13.

misericordiam, et simul fidem, de his qui modo non credunt. Merito dat vel ægris, qui tamen digni sunt, baptismum, quod læti, salvi ac vegeti per Pascha sumere noluerunt, apostolo Paulo dicente: « Inde est quod multi » infirmi et ægri sunt inter vos, et dormiunt plurimi. » Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicare- » mur; dum autem judicamus a Domino corripimur, ne » cum hoc mundo damnemur (*a*). » Nihil est ægritudine gravius, nihil morbo crudelius, nihil dulcius sanitate, nihil autem est jejuniis utilius ad salutem. Dura sunt cum præcipiuntur; nam medicus cum ægritudini contraria jusserit, salutaria judicantur. O perdura mortalitas! quia vel sic probas saluti prodesse jejunia. Redde Deo jejunia quæ indicit per episcopos, ne per medicos exigantur, Salomone dicente: « Noli esse sapiens apud te; » time autem Deum, et declina ab omni malo. Tunc » sanitas erit corpori tuo, et cura ossibus tuis (*b*). » Jejuna, inquit, Deo, quia sanus es, qui non vis febribus jejunare.

II. De baptismo[1] primitus disputemus. « Clamat, in- » quit, Jesus voce magna dicens; Qui sitit veniat et bi- » bat (*c*). » Clamat Filius Dei, contemnitur, fastiditur: ultro[2] populos petit ad gratiam, et spernitur. Emendat singulos, ut petatur. Parat nunc purissimum fontem, ipsamque sacri baptismatis fidem sacramento suæ passionis adjungit. Vocat cunctos ad fidem, sed amore peccati refugiunt miseri gratiam quæ illis offertur. Cum ergo cœperint corrigi, cœperint emendari, tunc velle coguntur accipere quod antea renuerunt. Ipsi jam clamoribus petunt, quod Christo clamante sumere neglexerunt. Tunc proximi vel propinqui uniuscujusque languentis ad nos

(*a*) 1 Cor. xi, 30-32. — (*b*) Prov. iii, 7, 8. — (*c*) Joan. vii, 37.

[1] Vide Serm. ccx. — [2] Codex male punctum habet post *ultro*.

cum hac voce discurrunt : Servi Dei, currite, subvenite; morituri liberentur. Turbamur omnes, excurrimus; major nobis quam illis est metus; qui non accipit ut viveret[1], accipit ne moriatur. Apostolus Paulus ista dicit : « Quid faciunt ii qui baptizantur pro mortuis suis, » si mortui non resurgunt? ut quid ergo et baptizantur » ex eis? Ut quid nos periclitamur omni hora quotidie » morientes? ita gloria vestra fruar quam habeo in Do- » mino. Si secundum homines ad bestias pugnavi Ephesi, » quid mihi prodest si mortui non resurgunt? manduce- » mus et bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci : » Corrumpunt mores bonos colloquia mala (*a*). »

III. Esaïas autem vehementer hoc dixit, deridens atque increpans homines qui negligunt jejunare : « Dicitis, in- » quit : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. » Non remittetur vobis peccatum hoc, quoadusque mo- » riamini (*b*). » Si victurum te desperas, servi Deo dum vivis, crastino moriturus. Arctaris temporis fine, et quo magis in fide Dei constringeris, eo magis quotidie contra fidem in vita recrudescis. Si immortalis esses, Homo, quid faceres, qui Dei præcepta contemnis cum mortem timeas imminentem? exple omnibus cibis, dapibus onera corpus et dormi, et crapulam exhala; insulta Deo muneribus suis, quibus te pascit ac vestit. Qui, populo jejunante, nunc prandis, prandente populo, jejunabis. Est Propheta[2] hæc dicens : « Unus esurit, alius ebrius est (*c*). » Damnat stomachi vestri causas, querelas et vitia cruditatibus[3] facta, quibus sani quotidie laboratis; ita inexcusabiles facit, ut qui vesci carnibus assolet pro Deo vel sto-

(*a*) 1 Cor. xv, 19-33. — (*b*) Isaï. xxii, 13, 14. — (*c*) Cor. xi, 21.

[1] Cod. evidenter male *biberet*.— [2] Cod. habet *est Propheta*, vel *os Prophetæ*; dubium legitur. Prophetam Apostolum nominat.— [3] Cod. *crudelitatibus* male.

macho, debeat vel oleribus pasci[1]. « Qui infirmus est, » inquit, olera manducet (*a*); » et iterum : « Esca nos » non commendat Deo (*b*). »

IV. Exigit, exigit quidquid sacerdos indicit. Exigit profecto jejunia morbis arguentibus, aut negotiis. Reddet ea tempore incongruo, qui tempore competenti non facit. Exigit misericordiæ partem pauperibus denegatam. Exigit impia lucra per damna, dum eripit aliquis improbus, quod pauper debilis non accepit. Exigit quotidie baptizandos[2] tanquam numerum debitum annorum; et quod una die non redditur, toto anno reddetur. Frustra igitur vos indevoti abducitis; de vobis Deo toto anno reddetur. Necessitas exigit, quod voluntas insipiens denegavit.

SERMO XXI.

De Pascha I.

Eruitur ex Cod. CIV, *fol.* 27. *In Cod. Cassin. nomen non habet; nomine autem sancti Augustini insignitus legitur in Bibliotheca Laurent., tom.* I, *p.* 402. *Unde sancto Doctori adjudicandum non minime dubium est. Ponendus est in editione Maurinorum post Serm.* CCXXIII, *cum numero de Pascha* VI.

(*a*) Rom. XIV, 2. — (*b*) 1 Cor. VIII, 8.

[1] Sententia paulisper intricata, sed cujus sensus potest apprehendi; id est quod, qui *vescitur solum pro Deo et stomacho*, debet, judice Apostolo, oleribus esse contentus. — [2] *Baptizandos* pro *a baptizandis*.

SYNOPSIS.

I. Lætandum in die Paschæ, ubi omnia nova. II. Gratia Christi morientis, resurgentis, et ascendentis. III. Dies lætitiæ et gratiarum actionis. IV. Epilogus.

I. Lux hodie clara refulsit, quia Latro paradisum, dulcis cum Rege comes, intravit. Mortuorum turba surrexit, et vivorum conscientia triumphavit. Si attendas Ecclesiam, vide turbam cœlorum, legiones Angelorum, exercitus baptizatorum circumdantes altare Domini pretiosum. Turbæ lætantur, quia resurrexit Dominus Angelorum. De gehenna producti sunt mortui; facti sunt vivi, ut de fonte ascenderent mundati homines, novi jam facti, Deique pietas mortuos suscitandos, et veteres homines reparandos curaret, sicut scriptum est: « Vetera transierunt, et ecce facta » sunt nova (*a*); » propterea omnes dicamus: « Hic est dies » quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo (*b*). » Quomodo jucundati sunt mortui, dum sepulcra desererent? Quomodo gavisi sunt renati, dum ripam fontis ascenderent? At illi dixerunt nova cantica de nova vita, et isti cantaverunt Alleluia, percipientes gratiam pretiosam. Dicamus omnes: Istè dies est lucis, dies est panis, ut et fame et tenebris careamus, et pane gratiæ suaviter satiemur, et non satiemur obscuritate gentium barbararum, quia nobiscum hodie gaudet exercitus Angelorum. Nemo esuriat cibos panis, quia hodie surrexit « Vivus panis, qui de cœlo » descendit (*c*): » Hodie catenæ ruptæ sunt inferorum; rumpantur et vincula omnium delictorum.

II. Unde omnibus filiis mater Ecclesia reparetur plenitudine gaudiorum. Veni, Domine, dic nobis: « Pax » vobis; nolite timere (*d*), » et magnam habebimus secu-

(*a*) 2 Cor. v, 17. — (*b*) Psal. cxvii, 24. — (*c*) Joan. vi, 51. — (*d*) Luc. iv, 36.

ritatem, ut celebrantes legem, possideamus in omnibus perpetuam claritatem, et dicamus : « Si ambulavero in medio » umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum » es, Domine(*a*). » Esto ergo nobiscum, Domine, ut umbras non timeamus mortis, ut gaudeamus semper in nomine patientis, resurgentis et ascendentis Domini Salvatoris. Per ipsum ascendamus, et ad Dominum convertamur. Natus est Dominus, et renatus est mundus ; passus est, et homo salvatus est ; resurrexit, et gemuit infernus ; ascendit, et paternus lætatus est thronus. Cum pateretur, mortui resurgebant, et vivi gaudebant : quando resurrexit, captivi solvebantur, et Angeli lætabantur : quando ascendit ad cœlos, lætati sunt Angeli, tristati Apostoli, sed « Tristitia in gaudium versa (*b*) » mutavit noctem erroris. Sic nobis post noctem laboris, successit lætitia lucis de splendore Domini Salvatoris, sicut scriptum est : « Con- » vertisti planctum meum in gaudium mihi (*c*). »

III. Passio Domini velum templi dividebat, corda dura scindebat, umbræ tegumentum tollebat, et nostras facies revelabat, ut « Revelata facie gloriam Domini specule- » mur (*d*). » Quod legis antiquæ mystico nobis velamine velabat, velum abscidit. « Nox præcessit, dies appropinqua- » vit (*e*) ; » quia iste est « Dies quem fecit Dominus, exul- » temus et lætemur in eo (*f*). » Omnes dies fecit imperio suo, sed istum diem fecit sanguine suo. Lætitia fuit mortuis suscitatis, sic et nobis gaudio præsentis gloriæ decoratis. Illi ibant in sanctam civitatem, nos ibimus ad sanctam Ecclesiam ; illi in convivio sanctorum, nos in mensa secretorum Dei. Nobiscum lætitiæ societate convivatur exercitus Angelorum. Tollamus munera nostra ; afferamus corda nostra, et instantes cantemus cum cithara : « Introibo ad

(*a*) Psal. xxii, 4. — (*b*) Joan. xvi, 20. — (*c*) Psal. xxix, 12. — (*d*) 2 Cor. iii, 18. — (*e*) Rom. xiii, 12. — (*f*) Psal. cxvii, 24.

» altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam (*a*). » Dimissa iniquitate nostra, soluta catena nostra, quia ipse est qui lætificat animam nostram, iterum dicamus : « Iste » est dies, quem fecit Dominus, exultemus et lætemur » in eo (*b*). »

IV. Nemo tristetur, si hortatur, antequam perdet tempora quam dignitatem (*sic*) : et si parva forte utitur veste, lucidam exhibeat mentem, et majori lucebit honore, dum exultat non in vestitu suo, sed in die sancto suo ; quia non dixit : Exultemus in vestimento nostro, sed dixit : « Jucundemur in eo. » Dies iste tenebras nescit, quia ipse primus tenebras effugavit : nescit caliginem, quia delevit omnem obscuritatem : nescit noxiam dependentem calumniam, quia in cruce dirupit omnia merita [1] nostra : paravit pro nobis lectum innocens Redemptor ; fugit calumniator, et linguam perdidit fœnerator. Dies indulgentiæ, dies remissionis, et dies liberationis. Apud vivos est gaudium ; ad defunctos pervenit refrigerium. Dies iste lætus et latus, liber et lucidus, « Tanquam mille anni in conspectu Dei (*c*), » quia vere iste est « Dies quem fecit Dominus. » Vitam si velit non mutare in plenitudine millium annorum (*sic*), merebitur gaudere sine fine in illo die, in quo vera voce cantabunt sancti in jucunditate, exultantes in claritate, in cubilibus suis lætantes cum Salvatore, dicentes atque respondentes : « Iste est » dies, quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo. »

(*a*) Psal. XLII, 4. — (*b*) Id. CXVII, 24. — (*c*) Id. LXXXIX, 4.

[1] *Merita*, id est, maledictionem meritis peccatorum debitam.

SERMO XXII.

De Pascha II.

In Manuscripto Cass. habetur, nempe in Cod. CXXXIV, *alias* CCCIV, *fol.* 198, *cum nomine sancti Augustini. Collocetur post præcedentem cum numero de Pascha* VII.

SYNOPSIS.

I. Impletis tristitia Discipulis, et Judæis frustra custodientibus, Christus resurgit. II. E sepulcro signato exit, sicut ex Virgine signata natus est. III. Mulieribus Angelum videntibus et cunctis fit gaudium, exceptis Judæis. IV. Gentes illuminantur, victis dæmonibus et Judæis. V. Nos cum Christo victores efficimur.

I. In ista die sancta, Fratres charissimi, in ista die inclyta atque egregia, in ista die de qua sacratissimus personat Psalmus : « Hic est dies, quem fecit Dominus (*a*); » in hac die ablata est tristitia de cordibus Discipulorum, et data est confusio in oculis Judæorum. Ista die Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi impleti tristitia Discipuli; ibat unusquisque ubi poterat, et non erat qui eos congregaret, quia jam impletum erat, quod scriptum erat : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (*b*). » Sepulcrum tamen signatum erat signo Judæorum, custodia militum confirmatum; intus lumen erat, quod omnino ligare non poterant. Quidquid signamus, totum ligare possumus; lumen ligare non possumus. Ideoque æterna lux, quæ in principio mun-

(*a*) Psal. CXVII, 24. — (*b*) Matth. XXVI, 31.

dum illuminavit, et coæternus fuit, et est eritque semper cum Patre in unitate Spiritus sancti; unus in Trinitate, et Trinitas in unitate; ipse quidem Deus et homo per mirabilem lucem dignatus est clave[1] veritatis suæ corda tangere, ut quod erat obscurum illuminaret, et quod erat clausum aperiret; ille Deus qui ab Angelo impregnabatur verbo, ipse ab Angelo hodie resuscitabatur de sepulcro, quasi possit ei aliquid obesse signatura, cui nulla fuit impostura. Dantur custodes, qui custodiebant. Nonne jam scierant illum miracula facere, dæmones ejicere, leprosos mundare, mortuos suscitare? An qui poterat aliorum corpora suscitare, se ipsum non poterat de tumulo exhibere?

II. Sed jam corda cæca, Judæorum turba, qui legem habebant et non intelligebant, Psalmum tertium cantabant, sed unum in Trinitate Deum non agnoscebant. Psalmus enim tertius habet[1]: « Ego dormivi et somnum » cepi, et resurrexi, quoniam Deus suscepit me(*a*). » Dum sunt intenti, parati ad confusionem Discipulorum, meruerunt invenire confusionem animarum suarum. Dicunt enim Pilato : « Signemus sepulcrum, quia seductor ille » dixit eo quod tertia die resurgeret. Ponantur, inquiunt, » milites, ne veniant Discipuli ejus et furentur eum (*b*). » Si clausus erat tumulus Discipulis, numquid claudi potuit sanctis Angelis? An forte non poterat de signato sepulcro resurgere, qui potuit de Virgine signata procedere? Signata fuit Virgo vestra, signata est et sepultura vestra. Generavit sine viro Virgo vestra, et in vano facta est in sepulcro signatura vestra. Dum enim adsunt isti custodes, non jam custodes, sed testes. Illi poterant custodire, sed Deus miserat Angelum, Filium suum resuscitare. Ange-

(*a*) Psal. III, 6. — (*b*) Matth. XXVII, 63, 64.

[1] Cod. male *dare*. — [2] Vide Sermonem CCCV, n. 3, Tract. XLVII, in Joan. et præsertim de Civitate Dei, lib. XVII, cap. 18.

lus enim Domini descenderat de cœlo; videntes custodes territique expavescunt; non potuerunt videre illum sublimem (manibus[1]) Angelorum, quia pleni erant falsitate Judæorum.

III. Permittuntur videre mulieres Angelum quia venerant flentes ad monumentum, quibus dixit gaudium magnum. « Scio quod Jesum quæritis crucifixum, non est hic, » sed surrexit, sicut dixit; venite et videte locum, ubi » positus erat Dominus (*a*). » O gaudium non solum illis mulieribus, sed omnium fidelium atque credentium renatorum. Surrexit, inquit, sed, ut breviter dicam quod olim fuerat prophetatum, David ille rex plenus Spiritu sancto veraciter cecinit in Psalmo : « Surrexit tanquam dormiens » Dominus (*b*). » Quid plurimum dicam per longum? sufficiat jam fides, quod explicare non prævalet sermo. Quis noctis præteritæ gratum laborem, quis diei hujus comprehendere potest splendorem? Dies iste omnibus Christianis immensa gaudia propinavit, dum eum nobis Christus cæteris diebus meliorem facit. « Exultemus ergo, Charissimi, et læ- » temur in eo, quia hic est dies, quem fecit Dominus (*c*). » Puto enim, Fratres, quod iste dies solus magnus dicendus est dies. Iste enim dies lucet in tenebris, et « Tenebræ » eum non comprehenderunt (*d*). » Tenebras dico Judæos, qui dum diem Christum negaverunt, dum (enim)[2] clamant : « Crucifige, crucifige (*e*), » facti sunt tenebræ medio die. Ergo quia Judæi Christum per noctem comprehendere voluerunt, inde in tenebris remanserunt.

IV. Gentes autem et incolæ nationes, quia de tenebris idolorum discesserunt, dies effici meruerunt, dicente Apos-

(*a*) Matth. xxviii, 5, 6. — (*b*) Psal. lxxvii, 65. — (*c*) Id. cxvii, 24. — (*d*) Joan. i, 5. — (*e*) Id. xix, 6.

[1] Deest in Cod. vox *manibus*. — [2] Vox *enim* videtur abundare. — [3] Vide Serm. ccxxv, ubi de die, et ccxxx.

tolo : « Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit » in regnum majestatis suæ (*a*). » Unde et in alio loco dicit : « Filii lucis, inquit, sumus, et filii diei, non sumus noctis, » nec tenebrarum (*b*) ; sicut in die honeste ambulemus (*c*). » Exultemus » ergo, Charissimi, omnes cum omnibus, quia « Hic est dies quem fecit Dominus. » Quid profuit, inquit, tibi, Serpens, iniquitas tua? aut quid valuit de crudelitate tua persecutio tua? Ecce surrexit de sepulcro quem vos, Judæi, confixistis in ligno. Hodie visus est vivus, qui putabatur occisus. Muni diligenter, Judæe crudelis, sepulcrum ; adjice custodias militum, ad vigilias nocturnorum secretorum, ut probes mortuum, quem noluisti cognoscere vivum. Dedisti Judæ discipulo argenti pretium, ut occisum Christum poneret in sepulcrum ; da tantumdem custodibus argentum, ut falsum audias a Discipulis furatum. Erogate, erogate, Judæi, argentum in facinus vestrum ; in vanum duntaxat vigilatis ad sepulcrum nostrum. Jam surrexit, jam cœlos ascendit, jam glorificatus propter nos, qui se humiliaverat propter nos. Quid estis acturi, facti ex amicis acerrimi inimici? Quem enim zelo fixistis in ligno, ipse sedet ad dexteram Patris in cœlo ; ipse est qui « Venit in nomine Domini (*d*). »

V. « Deus Dominus et illuxit nobis (*e*) ; » nobis illuxit, et vos « Sub pedibus nostris subjecit (*f*). » Plus enim nobis complevit, quam suo Filio promisit. Quid enim nobis complevit, et quid Filio promisit? Psalmus dicit[1] : « Dixit, » inquit, Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, do- » nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*g*). » Ecce enim Christus ad dexteram Patris sedet in cœlis, et hos Judæos nostris pedibus subjecit in terris. Cur, Judæe

(*a*) Coloss. I, 13. — (*b*) Thess. V, 5. — (*c*) Rom. XIII, 13. — (*d*) Matth. XXI, 9. — (*e*) Psal. CXVII, 27. — (*f*) Ibid. 7. — (*g*) Id. CIX, 1.

[1] Vide Explan. in Psal. CIX, n. 7.

ferox, quem occideres comparasti? Si servares tibi, quod emeras, non perderes quod habebas. Ecce argentum perdidisti, et quem comparasti, non possedisti.

SERMO XXIII.

De Pascha III.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 179, *sine nomine; sed præcedentes S. Augustini nomen præferunt; sequens autem titulum habet S. Augustini de Alleluia Paschæ. S. Doctori igitur recte ascribitur, cum totus Codex* XII. *ex S. Augustini operibus sit conflatus. Mutilus est et in multis defectuosus, sed non ideo abjiciendus, præsertim cum pateat, ex Serm.* CCLIII, *S. Augustinum abnegationem Petri in festis paschalibus evolvisse. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* VIII.

SYNOPSIS.

I. Christus carnaliter in sepulcrum, spiritualiter ad inferos descendit. II. Christi Resurrectio. III. Petri confessio ad renuntiationem reparandam facta.

I. « Deus rex noster ante sæcula operatus est salutem » in medio terræ (*a*). » Homo igitur extendebatur, Divinitas operabatur [1]. Homo enim pati potuit dolorem vulneris; nam quis potest lædere potentiam Deitatis? Caro

(*a*) Psal. LXXIII, 12.

[1] Codex male *comparabatur*.

fuit, sanguis beati anima vita corporis crucifixi (*sic*)[1]; et quia anima mori non potuit, sola carne jacuit in sepulcro. Ipsa autem prædas agebat, et cum Deo inferos expoliabat[2]. Neque enim Deus occidi potuit, quando nec ipsa anima valuit quam suscepit. Nullus quippe eam delicti nævus infecit, et quamvis passam, tamen Dominus gloriæ crucifixus, sed in homine tendicula, in Divinitate captiva (*sic*). Ecce Dominus Christus in carne mortuus, nunquam in Divinitate correptus, manubria mortis egit, et cœlum tropæis victoriæ pharetratus ascendit. De hoc cœlestium Virtutum officio mortis principes prævio sermone compellunt dicentes[3] : « Tollite portas, Principes, » vestras, et elevamini, Portæ æternales, et introibit Rex » gloriæ (*a*). » Dominus Jesus sedentibus in tenebris et umbra mortis lumen veritatis ostendit, qua ad eorum carceres relaxandos advenit. Cumque deprædatorem suum, claro splendoris radio refulgentem, mortis auctores respicerent adventantem, pavido sermone requirunt : « Quis » est iste Rex gloriæ? » Et audiunt : « Dominus fortis et » potens, Dominus potens in bello (*b*). » O bellum tandem aliquando finitum ! Bellum in sæculo, bellum in inferno ! Sed et sæculum vicit innocuus, et mortem debellavit occisus.

II. « Ecce vicit leo de tribu Juda (*c*), » et eripuit potentes, quos diabolus captivaverat, atque rediens ab inferis secum prædam quam ceperat de morte ferebat. Hic est ille, qui « Non habens speciem neque decorem (*d*) » ostendit in Resurrectione non solum pulchritudinem, sed

(*a*) Psal. XXIII, 6. — (*b*) Ibid. 8. — (*c*) Apoc. V, 5. — (*d*) Isaï. LIII, 2.

[1] Textus evidenter mendosus, quem corrigere non ausi sumus, quanquam credi possit amanuensem posuisse verbum *beati* in locum vocis *et*, id est *caro fuit, sanguis et anima vita corporis crucifixi*. — [2] Vide Serm. CCXIII, n. 3, et CCXIV, n. 7. — [3] Sensus arduus et difficilis ; forte adest mendosum aliquid ; interpretationem inveniat qui potuerit.

fortitudinem [1]; infirmus in laqueo, fortis in spolio; foedus in corpusculo, potens in prælio; vilissimus in morte, pulcher in Resurrectione; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fuscus in opprobrio, clarus in cœlo. Glorificemus ergo, Fratres, Dominum, « Qui sic dilexit » mundum (*a*), » ut pro eo funderet sanguinem mundum. Resurrexit; eamdem resurrectionem quotidie sancti Evangelistæ, suis testificationibus, nostris auribus insonant. Resurrexit de cavea sepulcri, et « Ecce nobiscum » est omnibus diebus usque in consummatione sæculi (*b*). »

III. Ipse, sicut nunc audistis, beatissimo Petro suas oviculas, ut eas pasceret, commendavit: Pasce eas cum disciplina. Tertio interrogatur de amore, qui tertio negaverat a timore. Ut ergo solveret culpam, jam profuderat lacrymam, quando eum Dominus in sua passione respexit; et « Flevit amare (*c*). » Sed ut restauraret confessionem, edidit lingua dilectionem, quam perdiderat præ timore [2]. Ecce, Fratres charissimi, beatissimus Petrus confessus est in aperto, quem ancillæ interroganti timuit confiteri [3], et passus pro Christo in cruce percepit coronam, qui ante mulierem, propriam negaverat vitam. Communicet igitur Petro, qui vult partem habere cum Christo, qui nos benedicat.

(*a*) Joan. III, 16. — (*b*) Matth. XXVIII, 20. — (*c*) Luc. XXII, 62.

[1] Deest in Codice *sed fortitudinem*, quod sensus evidenter requirit. — [2] Vide Serm. CCXCVI, n. 3; Serm. CCCXI, n. 1; Serm. CCCXII, n. 5, necnon et Enarrat. in Psal. XXXVII, n. 17. — [3] Cod. male *quam ancillæ interroganti, et timuit confiteri.*

SERMO XXIV.

De Pascha IV.

Legitur in Cod. Cass. XI, *fol.* 273, *cum nomine S. Augustini. Stylus et sententiæ concordant. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* IX.

SYNOPSIS.

I. Christus ex Virgine natus est, eodem modo quo intravit januis clausis. II. Christum vere resurrexisse curis ipsorummet hostium probatur. III. Probatur iterum Resurrectio testimonio Angeli. IV. Mariæ Magdalene Jesus se videndum præbet.

I. « Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*a*). » Verbum caro factum est, » et quomodo factum est? ignoramus. A Deo rationem habeo, scientiam non habeo. Scio quia « Verbum caro factum est, » et quomodo factum sit, nescio. Miraris quia ego nesciam? Omnis creatura ignorat. « Mysterium enim, quod absconditum fuit in omni- » bus sæculis, in nostro sæculo revelatum est (*b*). » Dicat aliquis : Si revelatum est, quomodo te nescire dicis? Revelatum est quod factum est, cæterum celatur quomodo factum sit. Denique dicit Esaïas : « Generationem ejus » quis enarrabit (*c*)? » Et quomodo ipse dixerat : « Ecce » Virgo in utero concipiet, et pariet (*d*); » dicit quod factum sit; quando autem dicit : « Generationem ejus quis » enarrabit? » hoc nobis ostendit quoniam natus qui-

(*a*) Joan. I, 14. — (*b*) Coloss. I, 19 — (*c*) Isaï. LIII, 8. — (*d*) Id. VII, 14.

dem sit, sed quomodo natus sit ignoramus. Sancta Maria, beata Maria mater et virgo ; virgo ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror quomodo de virgine virgo natus sit ; et post sationem[1] virginis, mater virgo sit. Vultis scire quomodo de Virgine natus sit, et post nativitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, et ingressus est Jesus. Nulli dubium est quin clausa sint ostia ; qui intravit per ostia clausa non erat phantasma, non erat spiritus, vere corpus erat ; quid enim dicit? « Respicite et » videte quia spiritus carnem et ossa non habet, quæ me » habentem videtis (*a*). » Habebat carnes, habebat ossa, et clausa erant ostia[2]. Quomodo, clausis ostiis, intraverunt ossa et caro? Clausa sunt ostia et intrat ; quem intrantem videmus, unde intravit? Omnia clausa sunt ; locus non est per quem intret, et tamen intus est qui intravit, et non paret. Quomodo intravit nescis, et quomodo factum sit, et das hoc potentiæ Dei. Da potentiæ Dei quia de Virgine natus sit, et tamen ipsa Virgo fuerit virgo post partum. Legimus in Ezechiel, in templi ædificatione : « Porta, inquit, hæc orientalis, quæ respicit ad » Orientem, semper clausa erit ; et nemo intrat per » ipsam (*b*), » nisi solus pontifex. Clausa est porta, et nemo intrat per ipsam portam nisi solus pontifex.

II. Sepulcrum Salvatoris in petra durissima fuerat excisum ; in petra durissima, quæ nullam habet mollitiem ; et scriptum est quoniam in isto ipso sepulcro nullus ante sit positus, sed novum sepulcrum erat. Manifestum est quidem secundum litteram, quod factum est, et propterea in petra excisum est ; (debemus enim primum secundum litteram dicere ;) et in durissimo lapide fuerat excisum ; et in novo sepulcro positus est ; et grandis lapis positus est

(*a*) Luc. XXIV, 39. — (*b*) Ezech. XLIV, 2, 3.

[1] Codex male *nationem*. — [2] Vide Serm. CXCI, n. 2.

ad ostium, et custodia ponitur militum in circuitu, ut quantum fortius servatur, ne furari possit, tanto magis virtus Dei appareat cum resurrexit. Si enim sepulcrum fuisset, dicere poterant: Suffoderunt terram, et furati sunt eum. Si fuisset lapis parvulus positus, dicere poterant: Parvulus lapis fuit, et dormientibus nobis, tulerunt eum. Denique in Evangelio quid scriptum est[1]? « Venerunt, inquit, alia die Scribæ et Pharisæi et Sa-» cerdotes ad Pilatum, et dixerunt ei : Domine, magus » ille dicebat quoniam resurrecturus est, ne ergo ve-» niant Discipuli ejus et furentur eum, et dicant : Re-» surrexit, et pejor error fiat quam factus est, da nobis » qui eum custodiant, ne eum furentur. Et dixit Pi-» latus : Habetis custodiam; ite, facite quomodo vul-» tis (*a*). » Diligentia Scribarum et hostium prodest fidei nostræ. Servate, Pharisæi, servate; Deus includi non potest; Deus in sepulcro teneri non potest, qui fecit cœlum et terram, cujus in pugillo terra est et cœlum, qui appendet mundum in tribus digitis ; qui ergo appendet mundum, uno sepulcro non potest contineri.

III. Denique mulieres, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, pia quidem voluntate, sed errantes, Dominum quærebant in sepulcro. Recepit quidem voluntatem, sed errorem arguit. Angelus ille, qui revolvebat lapidem, sedebat super lapidem. Et quid ostendebat? Lapis iste, cui ego supersedeo, non potest includere Dominum meum, cum prematur a servo suo; lapis ergo ille non potuit includere Jesum. Et dicit ad mulieres, quæ venerant ad quærendum eum : « Jesum » quæritis, non est hic (*b*). » Ubi est? In cœlo? Ultra cœlos est. In terra? Ultra terram est. Ubicumque volueris,

(*a*) Matth. XXVII, 62-65. — (*b*) Id. XXVIII, 6.

[1] Vide Serm. XLIV, n. 7.

est; ubicumque es, totus est, ubicumque es et ubicumque fueris, tu ipse, qui illum quæris, in ipso es quem quæris. Audi ergo quid dicit Angelus ad mulieres : « Quid » quæritis viventem cum mortuis? Quid quæritis Domi- » num in sepulcro (*a*)? » Jesum quæritis, Dominum quæritis, quia si tantum Jesum quæritis, certum sciretis illum esse viventem; audiretis : « Medius inter vos est quem igno- » ratis (*b*). Regnum Dei intra vos est (*c*). »Angelus (est) [1], qui dicit mulieribus : Jesum quæritis in sepulcro, credite eum resurrexisse, et putetis in vobis quem quæritis.

IV. Maria Magdalene cum vidisset Dominum, putabat illum quod esset hortulanus [2]; errabat quidem in visu, sed ipse error habebat typum suum. Vere enim hortulanus erat Jesus paradisi sui, arborum paradisi. « Putabat, » inquit, quod hortulanus esset (*d*), » et voluit inquirere pedes ejus. Et quid ei dixit Dominus? « Noli me tangere, » nondum enim ascendi ad Patrem meum (*e*). Noli me » tangere, « non mereris me tangere, quem in sepulcro quæris. « Noli me tangere, » quem tantum hominem [3] putas et non credis resurrexisse. « Noli me tangere, tibi » enim necdum ascendi ad Patrem meum; » cum tibi ascendero ad Patrem, tunc mereberis me tangere [4].

(*a*) Luc. XXIV, 5. — (*b*) Joan. I, 26. — (*c*) Luc. XVII, 21. — (*d*) Id. XX, 15. — (*e*) Ibid. 17.

[1] *Est* in Cod. non legitur. — [2] Cod. male : *et putasset quod hortulanus sit; putabat illum quod esset hortulanus.* — [3] In Cod. desideratur vox *hominem.* — [4] Vide Serm. CCXLVI, et alios Sermones, præsertim Serm. CCXLIV, n. 3, circa finem.

SERMO XXV.

De Pascha V.

S. Augustino hic Sermo tribuendus est ob similitudinem sententiarum et styli, imo et ob titulum qui ejus nomen præfert. Eruitur e Codice Cass. XII, *fol.* 189. *Locus ejus post præcedentem cum numero de Pascha* X.

SYNOPSIS.

I. Mariæ Magdalenæ fides cum Petri fide confertur. II. Maria Magdalene Ecclesiæ comparata. III. Mariæ Magdalenæ fides iterum comparatur fidei Apostolorum. IV. Mariæ Magdalenæ fides visione Christi gaudere meretur.

I. « UNA sabbati, ait Evangelista, venit Maria Mag- » dalene, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, » et vidit lapidem sublatum a monumento, et cucurrit, » et venit ad Simonem Petrum et ad alium Discipulum » quem diligebat Jesus (*a*). » Videte, Fratres, videte ardorem mulieris ad sepulcrum Domini festinantis. Non horam attendit, non tempus inquirit [1], sed temporum Conditorem videre concupiscit. Cucurrit prius et prævenit mulier viros [2]. O beate Petre apostole, ubi est quod Domino promittebas dicens : « Etsi oportuerit me mori » tecum, tamen non te negabo (*b*). » Certe si mori non poteras pro Domino, tamen quia de te multum præsumpseras, ad sepulcrum ejus primus festinare debebas ; id quod promiseras implere non potuisti ; ibi te ut negares

(*a*) Joan. XX, 1, 2. — (*b*) Matth. XXVI, 35.

[1] Codex male *acquirit*. — [2] Vide Serm. CXLVII.

una ancilla turbavit; modo te ad sepulcrum Domini Maria Magdalene prævenit. Da mihi veniam, beate Petre, si aliquid acrius dixero. Dum fide plena crederes, super aquas ambulasti, sed postquam dubitare cœpisti, paulatim in profundum demergebaris. Surge vel nunc, quia jam te ad sepulcrum Domini mulier antecessit.

II. Quæ autem sit mulier ista Maria Magdalene, Fratres, omnes nostis, qui intento corde sacras lectiones audistis; sed quia possunt et aliquanti nescire, hæc mulier ipsa est Magdalene, de qua ipse Dominus septem dæmones expulit, et quia plus ei donaverit, ideo plus diligebat. Currat ergo Ecclesia, jam currat ad Petram : « Petra autem erat » Christus (*a*). » Audi plane Mariam Ecclesiæ comparare[1], quæ ab immundis spiritibus liberata, prima debet ad sepulcrum Domini festinare.

III. « Nuntiavit ergo Petro et alio Discipulo quem dili- » gebat Jesus et dicit eis : Tulerunt Dominum de monu- » mento, et nescimus ubi posuerunt eum. Cucurrerunt » Apostoli, et ingressi monumentum, linteamina relicta » viderunt (*b*); » et Angelos videre non potuerunt[2], quia adhuc timor caliginosus Judæorum lumen in eis fidei comprimebat. Inspexerunt et reversi sunt; mulier vero non recedebat, sed foris stans ad monumentum plorabat, et quia nunquam quærentibus aliquid denegat Deus : « Inclinavit se, dum fleret, ad monumentum, et vidit duos » Angelos in albis sedentes, unum ad caput et alium ad » pedes, ubi corpus Jesu positum erat. Dicunt ei Angeli, » Mulier, quid ploras? aut quem quæris (*c*)? et illa dixit :

(*a*) 1 Cor. x, 4. — (*b*) Joan. xx, 2-5. — (*c*) Ibid. 11-13.

[1] Pro Ecclesia præfigurata in persona Mariæ Magdalene, Augustinus in Sermone v, n. 7, loquens de his verbis : *Noli me tangere*, ait : *Illa mulier Ecclesia erat.* Et alio Sermone CCXCV, n. 4 : *Noli ergo*, inquit, *modo tangere, quia nondum vides qui sum. Ecclesia ergo, cujus figuram Maria gerebat*, etc. Vide insuper Serm. CCXLVI. — [2] Id. CCXCVI.

Dominum meum quæro, Salvatorem meum ; multum mihi donavit, qui me a septem spiritibus immundis liberavit. Captiva ducebar quo nolebam, et ipso adveniente, disruptis catenis delictorum meorum, sequi merui quem non merebar. « Nunc tulerunt Dominum meum, et nescio » ubi posuerunt eum (*a*). » O mulier, Apostoli Angelos videre non potuerunt, quia dubitaverunt ; tu autem vidisti, quia credidisti. Sed tu iterum modo dubitare cœpisti. Quis enim Dominum tollere poterat, nisi ipse vellet, sicut promiserat, tertio die resurgere.

IV. « Conversa vidit Dominum stantem (*b*). » Ecce, Fratres, quantum amor Dei et fides exigat ; illum lacrymæ aut humilitas superant [1]. Nisi flens inclinaretur, Angelos non videret ; et nisi converteretur, Christum Dominum videre non meruisset. « Dicit ei Jesus : Maria, quid plo- » ras ? quem quæris (*c*) ? » Et illa, apertis oculis, cum cognovisset, exclamavit : « Domine, tu es ipse rex meus et » Deus meus. Noli me tangere, dicit ei Jesus, necdum » enim ascendi ad Patrem. Et illa inquit : Deus meus et » Dominus meus (*d*). » Ostendis te [2] mihi, jam sufficit mihi.

(*a*) Joan. xx, 13. — (*b*) Ibid. 14. — (*c*) Ibid. 15. — (*d*) Ibid.

[1] Codex sine sensu : *Vel lacrymæ aut humilitas superius.* — [2] Id. male *ostendisti.*

SERMO XXVI.

De Pascha VI.

Hic Sermo admiratione dignissimus, ob oppositiones verborum, S. Augustino negari non potest, maxime cum ejus nomen præferat in Cod. Cass. XII, *fol.* 17, *unde assumitur. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* XI.

SYNOPSIS.

I. Fides unguento fragranti comparatur. II. Christus verum unguentum ab Ecclesia susceptum. III. Unguentum hoc nihil habet quod displiceat, utpote unguentum pietatis. IV. Est etiam unguentum charitatis. V. Unguentum est etiam virtutis, obedientiæ et spei. VI. Novus Adam crimen Adami prioris reparavit. VII. Christus inferorum triumphator. VIII. Christus redemptor et medicus animarum. IX. Deleto mortis chirographo, Christo nobis fideliter serviendum. X. Cum Christo resurgente, resurgendum.

I. Resurrectionis dominicæ die resurgere quodam modo et renovari fidelium gaudia oportet; ut per festivitatem diei mentium alacritate renovata, regnum Dei, ad quod cum Christo et per Christum excitamur, jam intra nosmetipsos fidei collocemus affectu. Hæc enim sunt gaudia quæ non exolescunt usu, sed quibus usu virtus accedit. Quanto enim magis de Christo exultamus! Merito ergo comparandam unguentis suave fragrantibus fidem judico. Hoc enim unguentum est, quo Propheta perfusus, exultat et dicit: « Impinguasti in oleo caput meum (*a*). » Hoc est

(*a*) Psal. XXII, 5.

illud de quo fidelibus piis dicitur : « Ungite capita ves- » tra (*a*). » Hoc est illud quod sapientes Virgines secum ad vegetandas lampades ferunt. Hoc est illud de quo scriptum est : « Unguentum a capite quod descendit in » barbam (*b*), » quæ perfectam viri signat ætatem ; quo splendor ac deliberatio fidei in perfectionem transire videtur[1]. Comparemus, ut dixi, unguentis suave fragrantibus fidem. Moris est quippe unguenta quæque pretiosa summa sollicitudinis cautione servare. Jacet ergo et quasi consopitur per quietem custodiæ pretiosa fragrantia. At cum ad jucunditatem diei aut convivii decorem proferendum est, motu recepit quod statu perdidit ; et pretium, quod quies occultaverat, prodit agitatio. Ita ergo est et in unoquoque fidelium unguentum fidei, firmis pectorum vasculis plena credulitate susceptum, sed perditurum[2] perdit pretium, nisi disputationis succedat agitatio.

II. Hæc nostri causa sermonis. Video in vestris mentibus, tanquam in pretiosissimis receptaculis illatum, in hac Dei aula munus[3] unguenti. Nimia in me agitandi desidia est, nisi totum suavis fragrantia impleverit ; et quidquid[4] adhuc in his, quæ media fide vivunt, dubitatione mentium fœtet. Quid est ergo hoc unguentum ? « Christus mortuus est et resurrexit (*c*), » et hoc mundi totius pretium ac redemptio est. Explora nunc, si libet, unguenti odorem, cujus tantum pretium, cujus tam nobile nomen audisti. Hoc est illud quod de cœlo Deus detulit. Quis illud accepit ? Videamus, ne forte illa cujus figuram prætulit mulier quæ unguentum in sepulturam Christi, ut

(*a*) Matth. VI, 17. — (*b*) Psal. CXXXII, 2. — (*c*) Rom. XIV, 9.

[1] Vide Enarrat in Psal. CXXXII, n. 7 et 11. — [2] Hoc mendosum evidenter apparet ; forte *custoditum*, aut aliud hujusmodi verbum. — [3] Codex male *manus*. — [4] Sic habet Codex ; vix aliquis sensus potest deprehendi ; forte, *adest*. — [5] Vide Enarrat. in Psal. XXI, n. 2.

ipse ait, supra caput ejus effudit. Ecclesia, Dilectissimi, Ecclesia sacramenti istius suscepit unguentum[1], quæ quidquid a Christo trahit, in Christum refundit. Verumtamen unguentum hoc non omnes capit, nec omnes æqualiter afficit. Dicit enim Apostolus de ipsa Christi cruce : « Quod » sit quibusdam quidem odor vitæ ad vitam, aliis vero » odor mortis ad mortem (*a*) ; » id est, « Pereuntibus » quidem scandalum ; his autem, qui salvi fiunt, virtus » Dei (*b*). »

III. Attamen quibusdam hic odor displicet ; dicant velim, quid eis in mortem Christi non vitam oleat? quid non resurrectionem spiret, cui locum præbuit Christus? « Mortuus est et resurrexit. » Hoc ergo illis displicet. Est ullus qui non aviditate summa in tam ambroseos odores irruat? Quærat hic sophista sæculi, unguentorum talium diligens explorator, quæ ei species in hujus unguenti confectione displiceat ; videamus ipsas species quibus nardum inspiratum est. Et quod tandem pretium? habet quidem quod conferre pietati venditor aut possit, aut debeat. An sit in Christi morte pietas, vel quanta æstimanda sit, Apostolus dicat : « Et manifeste, inquit, magnum est pietatis » sacramentum, quod manifestatum est in carne, » videlicet quam Christus assumpsit ; « Justificatum est in Spi» ritu, » dum peccatum carnis in carne superatur ; « Apparuit Angelis (*c*), » vel tunc cum multitudo exercitus cœlestis exultavit, et dixit : « Gloria in excelsis Deo, et » in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*d*), » vel cum nos ipsi mysterii hujus profundum contemplantes et evangelizantes, Angelorum officia sortimur ; « Prædicatum » est gentibus, » ut in orbe toto christiani nominis una gens fieret ; « Creditum est in mundo, assumptum est in

(*a*) 2 Cor. II, 16. — (*b*) Ibid. 15. — (*c*) 1 Tim. III, 16. — (*d*) Luc. II, 14.

[1] Vide Tract. L, in Joan. cap. XII, n. 7, Serm. CCLXXIII.

» gloria(*a*). » Quid aliud creditum est in mundo quam ab incorporeo corpus acceptum, quod postmodum in gloria resurrectionis assumptum est? Sciens ergo illud pietatis pretium Apostolus, ipsam præcipue, præcipuo voluit commendatam esse Discipulo. Charissimum enim Timotheum filium suum admonens : « Exerce, inquit, te ipsum » ad pietatem ; pietas enim, inquit, ad omnia utilis est, » promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ (*b*). » Refert ergo pretiosissimum hunc odorem pietatis, sacramentum carnis assumptæ ; magni pretii species est.

IV. Videamus alia ; adjungitur huic charitas ; magna siquidem in cruce Salvatoris Dei dilectio erga humanum genus fragrat : « Sic enim, inquit, dilexit Deus hunc mun- » dum, ut Filium suum unigenitum mitteret (*c*), » pro hujus mundi vita. Et quid charitas ista proficit? Ut scilicet charitatem quam exhibuerat commendaret. Quid tandem pretii charitas habet[1]? « Plenitudo legis, inquit Apos- » tolus, charitas est (*d*). » Et iterum : « Finis præcepti, » charitas est (*e*). » Magnum ergo et præcipuum bonum charitas est, quod in se omnia mandata consummat. Etiam hæc autem species in morte et resurrectione Domini continetur.

V. Longum est singulas unguenti istius species tam prolixa verborum iteratione proferre. Nominatim nobis enumerandæ reliquæ species sunt, magis quam suffragiis suis prosequendæ. Est ergo etiam in hac confectione virtus, cum admixta sit fortitudo patientiæ. Est etiam obedientia : « Factus est enim Christus obediens Patri us- » que ad mortem, mortem autem crucis (*f*). » Est autem

(*a*) Tim. III, 16. — (*b*) Id. IV, 7, 8. — (*c*) Joan. III, 16. — (*d*) Rom. XIII, 10. — (*e*) I Tim. I, 5. — (*f*) Philip. II, 8.

[1] Vide Serm. CXXV, n. 10 ; Tract. in Epist. Joan. n. 4 et 5 ; et Serm. CCCL, n. 1.

etiam spei non parva fragrantia, quæ ultra mortem vires suas porrigit; et resurrectionem non solum spiritus, sed etiam corporis per resurrectionem carnis dominicæ usurpat. Hæc omnia mihi redolent in hoc uno quod dixi : « Christus mortuus est et resurrexit. » Idoneæ species sunt ex quibus odor vitæ fragret ad vitam; nimis fœtidi sunt quibus de tanta fragrantia est odor mortis ad mortem. Nos autem dicamus : « Unguentum effusum nomen » tuum, Domine (*a*); » et illud : « Post te in odorem un- » guentorum tuorum curremus (*b*), » optantes perfundi ipso odore quem sequimur, ut illum pietatis, charitatis, patientiæ, obedientiæ, spei odorem afferamus, qui nobis in Christi morte fragravit.

VI. Ponamus itaque, Dilectissimi, ante oculos nostros, tantam, si possumus, utilitatem dominicæ crucis, et gaudia resurrectionis; et intueamur quid Christus in terris susceptæ mortis mysterio utilitatis attulerit : subjecta omnia regno suo, quæ mors per peccati licentiam detinebat; addictum legibus suis hominem, quem ab illa primi parentis transgressione possidebat : « Regnabat » enim mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos » qui peccato abstinebant in similitudine prævaricationis » Adæ (*c*), » et humanum genus salutis desperatio in errorum tenebras passim sine fidei luce mergebat. Quod Adam primus vinxerat, opus erat ut Adam secundus absolveret. Opus erat ut nativitas secunda repararet quod sub pœna offendentis Adam procreatio prima generaverat. Non mundaverat agni immolatio, paschæ veteris lege celebrata; offerendus erat Agnus ille, qui tolleret peccatum mundi. In dubium gentibus venerat, an esset anima victura post mortem; ecce post crucem, in carne Christi resurrecturum probatur et corpus; quo inobedientia Adæ

(*a*) Cant. I, 3. — (*b*) Ibid. 4. — (*c*) Rom. V, 14.

mortem attulerat, necessarium erat ut obedientia Christi vitam referret. « Sicut enim, inquit, in Adam omnes » moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (*a*). » Suscepit ergo Salvator noster interitum, qui vitam omnium pararet; velut si hominibus diceret magna miseratione permotus : Non recuso mortis vestræ consortium, ut vobis offeram resurrectionis meæ participium. Mortem quidem ea, quæ in me est, Divinitatis natura non recipit; suscipiam tamen, nascendo ex vobis, quod offeram moriendo pro vobis. Suscipiam omne quod vestrum est, daturus omne quod meum est. Olim siquidem per Prophetam morte hac sua, morti nostræ mortem minabatur : « Ero, inquit, per Oseam prophetam, ero mors tua, o » Mors, ero morsus tuus, Inferne (*b*). » Subibo mortis jura, sed destruam : ingrediar quandoque illum carcerem tuum, non ut ipse claudar, sed ut tua claustra confringam. Confiteatur ergo Domino misericordia ejus, quia « Contrivit portas æreas et vectes ferreos confregit (*c*), » ita mortis claustra reserans, ut patefaceret[1] simul etiam portas paradisi, quæ post Christi crucem, Latronem a supplicio iniquitatis, ad illam justis debitam sedem, merito brevissimæ confessionis, admisit; cum ante crucem Christi, etiamnum[2] Abraham, licet diversa ab impiis sede distinctum, inferni claustra retinerent.

VII. « Exivit ergo Christus, ut scriptum est, in salu- » tem populi sui, ad liberandos electos suos (*d*); » tantum descensurus pietate[3], quantum humanum genus prævaricatione cecidisset : velut si quis rex, tyranni arce destructa, libertatem ubique restituat, nec contentus jubere solvi quos pravæ dominationis iniquitas alligarat, ipse

(*a*) 1 Cor. xv, 22. — (*b*) Osee. xiii, 14. — (*c*) Isaï. xlv, 2. — (*d*) Habac. iii, 13.

[1] Codex male *patefieret*. — [2] Id. *etiam cum*. — [3] Id. *pietatem*.

illum quo sui tenentur, carcerem petat, et libertatem simul cum conspectu suo afferat; parumque habeat educere in lucem vinctos suos, nisi ipsum locum obscuritatis quo tenentur accedat, suisque ipse manibus, ea quibus tenentur vincla deducat. Quid pro his omnibus restitui tam pie Domino potest? Quid nisi ut ipsi serviat per ipsum restaurata libertas? « Vulneratus ergo est, sicut scriptum » est, propter peccata nostra, et infirmatus est propter » iniquitates nostras; livore ejus nos sanati sumus (*a*). » Majorem hac dilectione nemo habet quam ut animam » suam ponat quis pro amicis suis (*b*). » Et iterum: « Pas- » tor, inquit, bonus animam suam ponit pro ovibus » suis (*c*). Nisi granum, inquit, tritici cadens in terram » mortuum fuerit, solum manet (*d*). » In terræ-motu crucis « Petræ scissæ sunt, et monumenta patefacta sunt, » et multa corpora sanctorum dormientium resurrexe- » runt; et exeuntes de monumentis post Resurrectionem » ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt » multis (*e*). » Ecce unum granum in morte cadens qua multa statim grana secum reportavit ad vitam.

VIII. Cogitemus itaque, Dilectissimi, grande illud salutis nostræ pretium. Vita nostra Christi morte reparata est. Satis pretiosus servus est, cui se Dominus impendit. Nemo se ab hoc debito redemptionis excipiat. Redemit ille omnes, etiam hi qui captivitatem suam amantes, redire in libertatem, quam pius mercator obtulit, noluerunt. Nec quæras quæ pro pecuniæ summa numerata sit. Nihil profudit de sæculo suo; effudit sanguinem suum. Quæ unquam digne huic pietati talenta pensentur? Nihil suum pro te, sed se ipsum obtulit. Neque enim aliquid tuum, sed te ipsum requirebat. Momentaneam pro te mortem su-

(*a*) Isaï. LIII, 5. — (*b*) Joan. XV, 13. — (*c*) Id. X, 14. — (*d*) Id. XII, 24. — (*e*) Matth. XXVII, 51-53.

biit, ut te eriperet æternæ; suscepit vitam tuam, ut te ad suam intromitteret. Inferna ingressus est, ut tu egredi possis. Suis vulneribus vulnera nostra sanavit; suis plagis, damnationis nostræ plagam removit. Dico autem, Fratres, pius est medicus qui ægrum suo servitio, suis curat impendiis; qui cruorem ac saniem alienorum ulcerum, non amore pecuniæ, sed salutis, rejecto potest ferre fastidio[1]. Verum enim vero omnibus majus est, excipere quempiam vulnera, ut in te possit conferre medicinam; sua in remedium tuum præbere latera; se secandum dare, ut tuorum ulcerum virus, quod saluti tuæ obstat, effundat. Hoc facit Christus, hoc noster nobis Salvator impendit : piissimus et communis omnium medicus, non eorum quos curabat, sed suo, in salute omnium, cruore respersus est. Redempti sumus tanto magis, quanto minus captivitatem nostram videbamus : curati tanto magis, quanto minus ægritudinem nostram sentiebamus.

IX. Hæc itaque dominicæ crucis causa est. Quodam modo enim per Adam, humanum genus transgressione præcepti, pacti genus cum morte conscripserat; sed donavit nobis omnia delicta, « Delens quod adversus nos » erat chyrographum decreti quod erat contrarium no- » bis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, spo- » lians Principatus et Potestates, traduxit palam, trium- » phans illos in semetipso (*a*). » Deleto ergo per crucem mortis chyrographo, vita reparata est. Mors enim in Christo quid aliud quam resurrectioni locum præbuit? Resurrectio autem in Christo, omnem hominem de propria resurrectione confirmat. Superest ut secum unusquisque decernat, ut sicut morti publicæ finis impositus est, ita, in vita sua, finis ponatur et crimini. Excutienda

(*a*) Coloss. II, 14, 15.

[1] Vide Serm. LXXXVII, n. 13, et LXXX, n. 4.

est mentis somnolentia, morte discussa, ne quis cum « Ve-
» tera transierunt, et facta sunt omnia nova (*a*), » ipse in conversatione vetustatis permaneat. Fiat ergo id quod Apostolus ait, propterea mortuum esse Jesum Christum, « Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis » mortuus est et resurrexit (*b*). »

X. « Hic est igitur dies quem fecit Dominus (*c*), » quem sanctorum gloriæ reparavit; in quo, dum primogenitus ex mortuis Jesus Christus exurgit, sperare Ecclesiam sui corporis jubet, quod in capite suo confitetur impletum. Audi Apostolum, qui in se Christum loqui dicit : « In mo-
» mento, inquit, in ictu oculi, in novissima tuba, canet » enim tuba[1], et mortui resurgent incorrupti; et nos im-
» mutabimur (*d*). » Verumtamen totam diei illius magnificentiam, diei hujus crepuscula, resurgente Christo illustrata, pepererunt. In illo nostræ resurrectionis actus, in isto causa consistit. Hic semina istorum fructuum continentur. De hujus diei matutina gloria sub persona Christi Propheta cantavit : « Ego dormivi et somnum cepi, et » exurrexi, quia Dominus suscepit me (*e*). Ego dormivi, » inquit, ut dispositionem propriæ, non vim alienæ voluntatis ostendisse videatur. Hoc est quod in Evangelio verbis ipsius Domini continetur : « Potestatem habeo po-
» nendi animam meam, et potestatem habeo iterum su-
» mendi eam (*f*). » De hujus quoque matutina lætitia, alibi scriptum est : « Lux orta est justis, et rectis corde » lætitia (*g*). Lætamini, Justi, in Domino (*h*). » Et iterum : « Exaltabo mane mirabilia tua, quia tu, Deus, » susceptor meus es (*i*). » Et alibi : « Vivificabis post bi-

(*a*) 2 Cor. v, 17. — (*b*) Ibid. 15. — (*c*) Psal. cxvii, 24. — (*d*) 1 Cor. xv, 52. — (*e*) Psal. iii, 6. — (*f*) Joan. x, 18. — (*g*) Psal. xcvi, 11. — (*h*) Id. xxxi, 11. — (*i*) Id. lviii, 17.

[1] In Codice desideratur vox *tuba*.

» duum, in die tertio (*a*); » et alibi, vespertinam lucem et matutinam Resurrectionis lætitiam uno versiculo comprehendens : « Ad vesperum, inquit, demorabitur fletus, » et ad matutinum lætitia (*b*). » Itaque, sicut Apostolus ait: « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjicia- » mus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lu- » cis (*c*), » quibus adversarium salutis nostræ, qui jam a Christo destructus est, destruamus. Si tantum est gaudium in spe, quænam putamus in re ipsa erit? Si tantum exultant membra de capite, quantum exultabunt membra cum capite, illic ubi jam qui meruerit inter speciosi corporis membra numerari, nunquam deinceps timebit abscidi? Superest ut qui desiderat Christo et conresurgere et conregnare, concrufigi ipsi et commori, mortificatis voluntatibus, non moretur, per Jesum Christum Dominum nostrum, etc.

SERMO XXVII.

De Pascha VII.

Sermo pulcher et S. Augustino dignus; notandum est solum dici mulieres cognitas fuisse ab Angelis, a quo non dissentit S. Doctor, ut videre est de Civitate Dei lib. XV., *cap.* XXIII. *S. Augustino tribuitur, ut cæteri, in Cod.* XII, *fol.* 177. *Locus ejus post præcedentem cum numero de Pascha* XII.

(*a*) Osee. VI, 3. — (*b*) Psal. XXIX, 6. — (*c*) Rom. XIII, 12.

SYNOPSIS.

I. Christus resurgens nos illuminat. II. Et nos certe resurrecturi sumus. III. Quid contra carnem et pro carne militet? IV. Carnis encomium. V. Caro resurget cum anima.

I. Dies, quem memorat[1], Christus est, qui et natus est et occidit, et post mortis occasum renovatus illuxit. Sed ne hoc meis verbis affirmem, ipse Dominus Christus professus est dicens: « Quandiu sum in sæculo, lux sum » sæculi (*a*). » Resurrexit ergo Christus in carne, idem autem ut dies esse ipse, qui fuerat, crederetur; nec de nostro corpore rursus eruit; sed ut nos in carne resurgere ostenderet, in eadem resurrexit; alias[2] enim caro resurgere non posse crederetur.

II. Sed quid agis, homo? pars mundi, electorum omnium particeps, consors universæ naturæ; quid te damnas tuo judicio? Quid te bestiis ac pecudibus comparas, quorum animas simul et corpora carnifex natura consumit? Illæ pariter pereunt; tu substantia divina servaris. In divina anima vivis[3], et cum caro ab anima tua recesserit, divideris, non finiris; separaris in partes, in solidum rediturus. Nam cum anima vivas et corpore moriaris, novationem utique carnis expectat anima, quæ corpori servivit. Clamat apostolus Paulus dicens: « Si mortui » non resurgunt, neque Christus surrexit; quod si Chris» tus non resurrexit, vana est fides vestra, et adhuc estis » in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, » perierunt. Si in hac vita tantum in Christo speramus,

(*a*) Joan. IX, 5.

[1] *Quem memorat;* nempe Psalmista cujus verba fuerant lecta : *Hæc dies quam fecit Dominus*, etc. — [2] Codex male *ait*. — [3] Id. corruptus habet : *Tu divinas animal vivas*.

» miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si autem » Christus resurrexit a mortuis, primitiæ sunt dormien- » tium. Nam quia per hominem mors, et per hominem » resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes » moriuntur, ita et in Christo omnes vivificantur (*a*). » An meritum animæ præferendum carnis fragilitati diffidis[1]? Rectum quidem habes justumque judicium. Nam ideo caro sola resolvitur quæ integra poterat ut animam reservaret; ut quia impar est meritum, impares sint[2] etiam exitus mortuorum. Denique cum hominem faceret Deus, de Spiritu suo ei animam contulit; carnem vero solubilem de limo terræ collegit. Si enim carnem consideres, quid est caro, nisi limus terræ deformior, concreto sanguine coloratus? Quid est caro? vitiorum natura, materies et origo mortuorum. Si vero meritum carnis advertas, quid est caro? vas animæ; quid est caro? vagina Spiritus Dei[3]? quid est caro? præ lateribus omnibus species de qua merito fieret divinæ substantiæ simulacrum. Scriptum est enim: « Fecit Deus hominem ad imaginem » et similitudinem suam (*b*). » Et iterum: « Fecit Deus » Adam de limo terræ, et sibilavit in faciem ejus spiritum » vitæ. Et factus est homo in animam viventem (*c*). Vi- » ventem » dixit, victuram et post obitum, non ut animam pecudum, cum corpore perituram. Pecudes autem, ut viles sunt, ita eas non fecit, sed jussit de terra viliter nasci; sicut scriptum est: « Et dixit Deus: Producat terra » animalia, et factum est sic (*d*). » Adverte igitur homo, cujus sis meriti. Te Dominus Deus manu sua de terra

(*a*) 1 Cor. xv, 13-22. — (*b*) Gen. 1, 26, 27. — (*c*) Id. II, 7. — (*d*) Id. 1, 24.

[1] Codex evidenter corruptus : *An meritum animam præferendæ carnis fragilitatis diffidis*? videat lector corrigendi rationem, et judicet. — [2] Id. male *sed*. — [3] Vide Serm. XLV, n. 10, et CCXXXVII, n. 2.

perfectum, flatu sui Spiritus animavit ; terra[1] autem feras et bestias halitu suo animatas effudit.

III. Alternare nunc placet carnis et animæ merita vel naturam. Sancta creditur anima, et caro peccatrix. Pro certo anima sancta est, sed nisi ejus vitio caro non peccat. Nam si bene te nosti, si te, Homo, bene consideres, sine sensibus animæ caro nihil sentit ; ut mortua nec movetur. Est ergo et particeps boni, ut et ministra est delictorum, et ut sanctam animam polluit, ita meritis animæ et sanctitate purgatur. Nam ut merita ejus et crimina ab origine repetamus, si in Adam mori præcepta est, resurrexit in Christo : si in Evam mulierem damnata est, in Maria virgine consecrata. Probo hoc sermonibus Prophetarum : « Dixit iterum Deus : Non manebit Spiritus meus in ho- » minibus istis, quia caro sunt (*a*). » Et iterum pro carne dixit : « Effundam de Spiritu meo super omnem car- » nem (*b*). » Contra carnem dixit Esaïas : « Omnis caro » fœnum (*c*). » Iterum pro carne sic dicit : « Videbit » omnis caro Salutare Dei (*d*). » Dicit Paulus apostolus contra carnem : « Voluntatem carnis ne feceritis. » Iterum pro ea sic dicit : « Stigmata Christi in carne mea « porto (*e*). » Dominus etiam Christus hæc incredulis dicens : « Spiritus est qui vivificat carnem (*f*). » Vos autem dicitis ; « Caro nihil prodest (*g*). » Quæ cum ita sint, Fratres, si caro suis criminibus premitur, cur non magis, quod verum est, Filii Dei quem germinavit[2] divinis meritis honoratur ?

IV. Ergo vituperas carnem, quam Deus induit, et depositam repetens, cœlis invexit ? Ergo-ne vituperas carnem quam flamma in tribus pueris timuit, in Daniele quin

(*a*) Gen. VI, 3. — (*b*) Isaï. XLIV, 3. — (*c*) Id. XL, 6. — (*d*) Luc. III, 6. — (*e*) Gal. V, 16. — (*f*) Id. VI, 17. — (*g*) Joan. VI, 64.

[1] Codex male terram. — [2] Id. *quam geminavit*.

etiam leonum fames expavit? Ergo-ne tu vituperas carnem, quæ fortitudinem sanctarum animarum adjuvans, innumeros Martyres fecit[1]? Vituperas perditos, vituperas luxuriosos, quorum animæ desideriis primo corruptæ, in vitiis vel libidinibus[2] corpora corrumpenda traxerunt. Vituperas et Angelos qui filias hominum adamantes, cœlestium corporum majestatem terrena proluvie polluerunt[3]. Sive igitur laudes in Martyribus carnem, sive in luxuriosis accuses, utrumque necesse est animabus ascribi. Quidquid enim anima voluit, servitus carnis implevit. Resurget igitur, caro, sive sancta, sive rea, causas vitæ præteritæ cum anima redditura. Non aliter quam si ancilla cum domina in causa castitatis audiatur; et si lenocinium famula præbuit, rea tamen est domina quæ voluit aut consensit.

V. Resurget igitur caro, sive sancta, sive rea; mortalesque iterum miseri vivere cogentur inviti. O necessitas rerum! dum purgare carnem contendimus, animas cœpimus accusare. Accusamus profecto munera Dei, quæ ut scintillæ de flamma salientes, non vivere in fomite, sed in stipulis extingui meruerunt; accusamus cœlestia terrenis oppressa. Dei tamen expectamus judicium, qui et carnis officia et merita ponderat animarum. Nec anima igitur sine carne, nec caro sine anima innocentiam patitur aut reatum. Igitur quia vita communis, quæstione communi discurritur. Homo interior exteriori, id est, caro animæ revocatur; cum anima namque purgabitur, aut anima cum carne punietur.

[1] Codex male *quæ fortitudines Sanctorum animas adjuvans, in numeros martyrum fecit?* — [2] Ed. perperam *libidinis*. — [3] Vide de Civit. Dei, lib. xv, cap. 23.

SERMO XXVIII.

De Pascha VIII.

Cum extrahatur hic Sermo ex Cod. XII, *fol.* 166, *cum ista nota* Unde supra, *et supra habeatur:* Sermo sancti Augustini, *nullus relinquitur ambigendi locus. Collocandus est post præcedentem; numerus erit de Pascha* XIII.

SYNOPSIS.

I. Objectiones impiorum contra immolationem Filii Dei. II. Christus a Christianis non occisus, sed ab eis post occisionem adoratus. III. Dei bonitas in Incarnationis mysterio. IV. Christus resurgens hostes deludit.

I. Dicit nobis sanctus apostolus Paulus : « Pascha nos-» trum immolatus est Christus (*a*). » Quæritur cui, vel quare sit immolatus? Reclamant enim fanatici blasphemantes his verbis : Certe sancta, certe pia, certe misericordia plena sunt sacra crudelia Christianorum. Certe nos sumus sacrilegi qui numinum simulacris aves et pecudes cædimus. Ecce magis Christianos esse sacrilegos constat, quorum parricidalibus sacris Patris Filius immolatur. Cum dixero : Pius Deus, quem colimus, dicent e contra : Cur ergo Deus, qui Abraham occidere filium vetuit, suum permisit occidi[1]? Cum dixero : Pro populis universis Christus occisus est; dicent contra : Certe pius est Deus quem colitis, qui[2] sanguine Filii placatus est, ne peteret[3] sanguinem

(*a*) 1 Cor. v, 7.

[1] Vide Homil. VIII Origenis, tom. II, fol. 83. — [2] Cod. male *quæ*. — [3] Id. *peterent*.

populorum. Dicuntque postremo : Ergo vester impius Deus est, qui cum nos diis immolare hominem vetet, Filium voluit aut permisit occidi.

II. O quam rebus angustis nostra religio coarctatur! O quam tenui semita (ad) molem maximam fidei ducimur[1], cum amplam viam repleverit confusio perditorum! O quam perardua et prærupta! Laboriosam vix trahimus veritatem ; verisimilibus argumentis pene convincimur, nisi pium esse, quem[2] colimus, doceamus. Paulus ergo apostolus dicit : « Pascha nostrum immolatus est » Christus (*a*). » Dicimus quare sit immolatus, dicimus et a quibus, ut Paschæ sanctum innocensque mysterium parricidii calumnia liberetur. Non nos Christiani occidimus, sed occisum colimus Christum. Cur occisum colimus quæritur : quia et (ante) Filium Dei colimus, prius quam esset occisus. Cur occisus sit quæritis : dicant Judæi sacrilege religiosi, qui cum agnum pro Pascha Deo mactare præcepti sunt, Christum immolantes, pro agno Patri Filium mactaverunt. Hoc incusat et Paulus apostolus dicens de facinore Judæorum : « Pascha nostrum immolatus est Chris- » tus ; » hoc est a gente, cui[3] Joannes Baptista sic ostentaverat Christum : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit » peccata mundi (*b*). » Cur sibi Christus non affuit quæritis; quia sanguis ejus mundi pretio debebatur. Quid enim commiserat mundus, quod sanguine liberaretur? Legis incurrerat maledictum, et ne Deus esset inconstans, dedit Filii[4] corpus, cujus sanguis in pœna sine fine morientis, et crimine funderetur[5]. Hoc magis pium judicium Dei, et

(*a*) 1 Cor. v, 7. — (*b*) Joan. 1, 29.

[1] Codex *tenuis... ducimus ;* deest vox *ad* quam sensus exposcit. — [2] Cod. male *quod*. — [3] Codex, amanuensis evidenti errore, habet : *Edenti de quo*. — [4] Codex male : *Filium*. — [5] Id est : Funderetur ad satisfaciendum hominis sine fine morientis debito, et nihilominus ejusdem crimine funderetur, ut homo fuerit et deicida, et redemptus.

salvo pietatis affectu, sententiam suam convertit in Filium; qui eum pro populis voluit ut morte momentaria fungeretur.

III. O magnum mysterium pietatis! Mundus peccat, et Christus occiditur, ut Deus justus et pius nec sententiam suam legis infringeret (nec mundus, nec Filius[1]), nec innocentiam extingueret, sed reatum. Ipse Dominus Christus hæc cecinit, prius quam pro mundi proluvie patibulo figeretur : « Ita Deus dilexit mundum, ut Filium » suum unicum daret pro eo : ut omnis qui credit in il- » lum non pereat, sed habeat vitam æternam (*a*). » De- » clamat hinc apostolus Paulus, et dicit : « Christus nos re- » demit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus, » quia scriptum est : Maledictus omnis qui pependit in » ligno (*b*). » Et iterum : « Si Deus pro nobis, quis contra » nos (*c*)? Si Deus Filio suo[2] non pepercit, sed pro nobis » omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo » omnia nobis condonavit (*d*). » Cur Deus Filio non pepercit, quæritis; quia Deus in Filio revicturo non timuit orbitatem. Majestas enim perpetua nec occiditur, nec finitur. Sed quia Filius Dei neque senescere, neque mori naturaliter possit[3], occisus est, ut mortali corpore solveretur; ludificata crudelitas facinus perdidit; nam revixit occisus.

IV. Videte nunc Filium Dei ab inferis resurgentem; gerit vulnera triduana, quibus possit agnosci; nam si velit, mortis aboleret notitiam; qui resurgere potuit, potuit et curari. Salutat Apostolos, salutatur, convescitur, gaudet se populum redemisse, quos venerat redempturus[4]. Redempti igitur, Fratres, nobiscum petite bona, quæ cupitis; cuncta nobis prospera tribuet suo sanguine liberatis.

(*a*) Joan. III, 16. — (*b*) Gal. III, 13. — (*c*) Rom. VIII, 31. — (*d*) Ibid. 32.

[1] Hæc videntur abundare. — [2] Codex male *Filium suum*. — [3] Ita Codex, qui melius habuisset *potest*. — [4] Vide Serm. LXXXVIII, n. 2, et CCXLII, n. 1.

SERMO XXIX.

De Pascha IX.

Hic Sermo conflatur ex plurimis sententiis quæ reperiuntur tum in Tract. x *in Joan., tum in Libro de diversis Quæstionibus, n.* 56, *et ex Lib. de Trinitate* IV, *cap.* V, *n.* 9. *Sed differt in pluribus; unde cum legatur in codice authentico, nempe Cod.* XII, *fol.* 167, *non prætermittendus videtur, et quidem eo rationabilius exemplatur quod, cum eædem sententiæ repræsentantur duobus in locis a sancto Doctore, nihil obstat quin in tribus locis eas repræsentaverit. Nemo enim nescit oratorem in loquendo sæpius redire ad ea quæ sæpius in conscribendo retractavit. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* XIV.

SYNOPSIS.

I. Templum corpus Christi. II. Templum suscitatum a Patre sicut a Filio. III. Numerus quadraginta-sex annorum quatuor partes terræ indicat. IV. Numerus iste mysticus in Adam reperitur. V. Reperitur etiam in secundi Adam nativitate. VI. Conclusio.

I. In sancto Evangelio secundum Joannem scriptum legimus [1], et omnes novimus, quod in mirabilibus multis, quæ a Domino nostro Jesu Christo fiebant, invidentes Judæi dixerunt ad eum : « Quod signum ostendis nobis, » quia hæc facis (*a*)? » Respondit eis Dominus dicens : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo

(*a*) Joan. II, 18.

[1] Vide Tract. x in Joan. et Lib. de diversis Quæstionibus, n. 56.

» illud. Et illi dixerunt : » Quadraginta et sex annis » ædificatum est templum, et tu in tribus diebus susci- » tabis illud (*a*)? » Advertat charitas vestra, Fratres; Judæi carnales erant, carnaliter sapiebant. Ille loquebatur spiritualiter, illi carnaliter viventes, sapiebant carnaliter. Quis autem possit intelligere de quo templo dicebat? Numquid illi possent, qui in corde suo adversus eum iniqua consilia cogitabant? Sed non multum quærimus de hoc, quia Evangelista nobis aperuit de quo templo diceret? Nam cum eis Dominus dixisset : « Solvite templum hoc, et in tribus » diebus suscitabo illud; et illi responderunt : Quadraginta » et sex annis ædificatum est templum , et in tribus diebus » suscitabis illud (*b*)? » Secutus Evangelista exponit dicens : « Ille autem dicebat de templo corporis sui (*c*). » Ecce enim, jam quid Dominus dixerat manifestum est. Occisum Dominum a Judæis, post triduum resuscitatum, hoc omnibus nobis notum est. Et si Judæi ignorare se dicunt, quoniam foris sunt, nobis tamen apertum est, quia novimus in quem credimus. Ipsius enim templi destructionem, et reædificationem anniversaria solemnitate celebramus, quam nunc agimus. Sed forte hoc exigitur a nobis utrum habeat aliquod sacramentum, in quo ait : « Quadraginta et » sex annis ædificatum est templum. » Sunt quidem multa, quæ hinc dici possunt, sed quod breviter dici potest, et facile intelligi, hoc interim dicimus.

II. Novimus omnes, charissimi Fratres, Adam unum, et primum hominum fuisse, et ipsum esse in totum genus humanum, qui cum præceptum Dei transgrederetur, fractus est, et sparsus colligitur in nobis, et quasi conflatur in unum societate atque concordia spirituali, sed gemit pro nobis in quibus colligitur, quia per Christum Christianis innovatur. De ipso itaque Adam Christus venit, sed

(*a*) Joan. II, 19. — (*b*) Ibid. 20. — (*c*) Ibid. II, 21.

peccatum de Adam Christus non habuit. Venit Christus sine peccato, ut peccatum Adæ solveret in corpore suo, et ut redintegraret eum Christus ad imaginem et similitudinem suam, sicut eum ante formaverat. Ergo caro Christi de Adam, templum quod destruxerunt Judæi, et Dominus in triduo suscitavit illud. Resuscitavit enim Christus carnem suam, ut fortis, ut potens, ut Deus, ut Patri æqualis. Quomodo ergo dicit Apostolus : « Qui eum suscitavit » a mortuis (*a*). » De quo dicit? de Patre. Sic enim dicit Apostolus de Christo : « Factus obediens usque ad mor- » tem, mortem autem crucis, propter quod, et Deus ex- » citavit eum a mortuis, et dedit ei nomen, quod est su- » per omne nomen (*b*). » Ergo resuscitabo eum ; resuscitabit quis? Pater, cui dicit ipse Christus in Psalmo : » Resuscita me, et reddam illis (*c*). » Ergo Pater eum resuscitavit, non ipse se. Non infirmetur in hoc intellectus fidelium, Fratres. Quid autem facit Pater sine Verbo, vel quid facit sine Unico suo? « Omnia per ipsum facta sunt, » et sine ipso factum est nihil (*d*). » Audi quia et ipse Deus erat, de quo dicit Apostolus : « Deus suscitavit eum a mortuis. » Audi quia, et ipse se ipsum resuscitavit. Audi. Dicat ipse Judæus, dicat quod superius dictum est : « Solvite tem- » plum istud, et in tribus diebus » Pater resuscitat illud. Sed quomodo eum suscitat Pater, et Filius suscitat, sic cum Filius suscitat, et Pater suscitat. Quia sic dixit ipse Filius : « Ego et Pater unum sumus (*e*); » et iterum : « Quæcumque enim facit Pater, hæc eadem et Filius fa- » cit similiter (*f*). »

III. Quid sibi vult numerus ille XL et VI annorum, de quo Judæi dixerunt, « Quadraginta et sex annis ædifica- » tum est templum. » Iterum ipse Adam quia per totum

(*a*) Rom. IV, 24; I Cor. VI, 14 et seqq. — (*b*) Philip. II, 8, 9. — (*c*) Psal. XL, 11. — (*d*) Joan. I, 3. — (*e*) Id. X, 30. — (*f*) Id. V, 19.

orbem terrarum est, cum jam diceremus, audistis; et ut plenius, et planius agnoscatis, audite. In quatuor litteris græcis quatuor verborum græcorum, Adam esse in toto mundo cognoscite; cum enim ista verba quatuor, quæ dicturus sum, scripseris, id est, nomina quatuor cardinum mundi, Orientis, Occidentis, Aquilonis et Meridiani, in quibus positus est totus orbis; de quibus dicit Dominus : « A qua- » tuor ventis cœli colligam electos meos (*a*); » et de quibus David ante cecinerat dicens : « Dicant qui redempti sunt » a Domino, quos redemit de manu inimici, ab Oriente et » Occasu, et Aquilone et Austro (*b*). » Si (quis) ergo ista faciat quatuor nomina in linguam græcam, dicit : Anathole, quod est Oriens; Dytis, quod est Occidens; Arctos, quod est Aquilo; Mesembria, quod est Meridies. Audi ergo quomodo faciant Adam : Anathole *A;* Dytis *D;* Arctos *A;* Mesembria *M*. Capita ego istorum verborum attende; Adam invenies; et quoniam de carne ipsius Adam Christus carnem suscepit, quam in cruce confixit, hoc est templum de quo dixit : « In triduo suscitabo illud; et Judæi dixerunt : » XL et VI annis ædificatum est templum, et in triduo » suscitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis » sui. »

IV. Jam ergo inveniamus, et numerum istum XL et VI annorum, quomodo ipsi Adam faciant. Iste enim numerus in magno sacramento est positus, quia non tantum ipsius primi hominis nomen, quod est Adam, significat, verumetiam secundi hominis Christi, quomodo sit conceptus in utero Virginis, usque ad tempora partus manifestat. Ergo primi hominis nomen Adam; in hoc numerum quæramus. Græci secundum suam doctrinam ad litteras numerum computant, et ponunt dicentes: Alpha Α, quod est unum; cum autem in numeris scribunt Beta Β, hoc dicunt duo;

(*a*) Matth. xxiv, 31. — (*b*) Psal. cvi, 2, 3.

ubi scribunt Γ vocatur in numeris ipsorum tria ; et cum scribunt Δ, in numeris dicunt quatuor. Et sic per omnes litteras numeros habent. Ubi vero dicunt Μ quadraginta significat; dicunt Μ tessaraconta. Jam videte has litteras quem numerum habeant, et ibi invenietis Adam. Habet enim Adam A (alpha) quod est unum; ecce unum; habet et Δ (delta), quod sunt quatuor; super unum quatuor faciunt quinque; habet iterum A (alpha) quod est unum, ecce sex. Habet et Μ (mu) quod est quadraginta; ecce Adam in numero, quadraginta et VI annorum, in quo ædificatum est templum.

V. Et quoniam Dominus noster Jesus Christus de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit, templum corporis inde sumpsit, non iniquitatem quæ in illo fuit. Ipsa autem caro[1], quam traxit de Adam, Maria fuit, et Domini caro de Maria processit. Ipsam carnem Judæi crucifixerunt, et eam Dominus post triduum suscitavit. Hoc ergo est, quod illi « Solverunt templum (quod) XL et VI » annis ædificatum est, et ille in triduo suscitavit illud.» Nam et corporalis ipse confectus, qui in materno utero plasmatur, ita se habere medicinalis auctoritas docet, in XL et VI diebus impletis, formatum esse corpus in utero matris, id est VII, VIII et XII, et XVIII. Ita ut septem diebus quasi lactis habeat similitudinem ; sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem ; deinde duodecim diebus solidetur ; reliquis vero decem, et octo formetur omne corpus per diversa lineamenta membrorum ; et hinc jam reliquo tempore usque ad tempora partus magnitudine corpus[2] augetur. Hi vero quadraginta dies qui significati sunt, dum fuerint multiplicati per senarium numerum

[1] Codex male : *Ipsam autem carnem.* — [2] Id. *magnitudinem* ; manifesti deest *in*. Editus de diversis Quæstionibus, Quæst. LVI, habet *magnitudine* sine verbo *corpus*.

propter sex ætates hominum, id est, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ætatem mediam, et senectutem decrepitam[1]; (sexies ergo quadragies sexies fiunt omnes dies ducenti septuaginta et sex; hoc est novem menses et dies sex, qui computantur sic ex die octavo Kalendas aprilium, qua die conceptus est Dominus, in qua et passus est, usque ad octavum Kalendarum januariarum, in quo die natus est,) memorata summa dierum ducentorum septuaginta sex completur. Non ergo incongrue XL et VI annis dicitur fabricatum esse templum, quod ejus corpus significabat, ut quot anni fuerunt in ædificatione templi, tot dies fuerint in plasmatione corporis Domini nostri Jesu Christi.

VI. Ecce unde dictum est: « Solvite templum hoc, et » in triduo suscitabo illud. Et illi dixerunt XL et VI » annis ædificatum est templum, et tu in triduo suscita- » bis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. » Benedicimus Dominum Deum nostrum, qui sacramenta abscondita revelare dignatur servis suis. Sit ergo gaudium nostrum semper in humilitate cordis, ut mercedem ab ipso accipere mereamur regni cœlestis.

[1] Codex male : *Juventus, ætas media, et senectus decrepita.*

SERMO XXX.

De Pascha X.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 175, *sine nomine quidem, sed in hoc manuscripto quod totum fere S. Augustinum repræsentat; unde sancto Doctori minime videtur abnegandus. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* XV.

SYNOPSIS.

I. Paschæ significatio. II. Christus pro peccato mortuus ad satisfaciendum suæ justitiæ. III. Pascha, transitus Christi ad cœlum a nobis imitandus; dandi filii ei qui Filium dedit.

I. PASCHA, Fratres dilecti, quidam græcum putant esse sermonem, id est, a passione[1]; non ita est. Pascha, sive Phase, quod neque alio nomine hoc ipsum Pascha Scriptura commemorat, uterque hic brevis sermo in latino transitus sonat. Idcirco autem transitus, quod hac nocte præterita, Dominus per Ægyptum transierit, quando Ægyptiorum primogenita universa percussit[2]; commemorante eodem Domino, atque dicente : « Et transibo » per terram Ægypti, percutiamque omnem primogeni- » tum in terra Ægypti (*a*). » Nos tamen illud interius Pascha, hoc est, illum magis transitum colimus, quod Do-

(*a*) Gen. XII, 12.

[1] Vide Enarrat. sive Serm. I in Psal. LXVIII, n. 2. Serm. sive Enarrat. in Psal. CXX, n. 6. — [2] Vide Tract. LV in Joan. n. 1.

minus et Salvator noster nocte hac post passionem de morte ad vitam, de infernis ad superna transiit, dum resurgit[1]. Et vere transitus hic magnus atque mirandus est, quia[2] Salvator noster mortem, quam voluntate susceperat Divinitate calcavit; quod quidem ante prædixerat, dicens : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et » potestatem habeo iterum sumendi eam (*a*). » Ita enim placuit imperspicabili providentiæ et misericordiæ Dei, ut per mortem indebitam corporis Christi nos a morte peccatis debita solveremus.

II. Solent esse quidam infidelium qui proponunt : Quid necesse fuit, ut Dominus pro homine pateretur? quasi liberare hominem præcepto pro sua potestate non potuit. Non parva quæstio, Fratres charissimi, apud hæc orantes; sed attendite, obsecro, dum paucis, Domino donante, ista dissolvimus. In principio peccaverat homo Dei præcepta transgressus; traditus fuerat post peccatum morti lege peccati, nec injuste; sciens utique adversario consenserat, voluntarie jussis[3] inimici manus dederat. Hinc hominem diabolus, jure velut captivum tenebat, ex quo prævaricatus fuerat; per damnationem mortis eum non immerito possidebat. « Regnabat enim, sicut scriptum » est, mors ab Adam (*b*). » Deus autem noster, qui sicut potens, ita et in omnibus verax est, qui nec contra diabolum quidem sine justitia judicandum putavit, cum hominem ab eo vellet auferre, non virtute cum eo agere voluit, sed veritate, nec inique ab eo hunc quem reposcebat rapere, et quasi per vim extorquere. Obtinuerat enim hominem, et possidebat; dandum erat pretium pro captivo. Cætero indigna res, Fratres, si quem diabolus juste

(*a*) Joan. XII, 18. — (*b*) Rom. V, 14.

[1] Vide Epist. LV, ad Januarium n. 12. — [2] Codex male *quam*. — [3] Id. *jus se*.

occupaverat, hic a Deo auferri videretur injuste. Numquid non potuit jubendo hominem liberare? Sed illum ita liberasse potentiæ ejus erat, justitiæ non erat. Ille vero judex justus non considerat quid per imperium possit efficere, sed quid pro æquitate debeat judicare. Liberandus homo a diabolo erat, sed salva justitia liberandus. Factum est ergo ut justitiæ Dei fuit congruum; salvavit hominem non jubendo, sed redimendo. Assumpserat enim tam ineffabili æquitatis, quam pietatis mysterio, verum hominem et veram carnem Dominus Deus noster[1], ut recte homo hominem redimeret, dum caro pro carne pateretur. Et idcirco venerat in similitudine carnis peccati, ut per crucem solvendo, quod peccaverat, jure peccatum carnis aboleret. Actor[2] sæculi istius, qui plus petierit, quam debetur, omnem repetitionis causam perdere dicitur; nam, ut verbis ipsius loquar, dicitur plus petendi periculum incurrisse. Non immerito secundum hoc aliquid et de diabolo dici potest. Homo eidem debebatur; Deum petiit, causa cecidit; dum plus petit, periculum diabolus incurrit. Juste itaque, Fratres, reum amisit[3], qui invaserat innocentem; juste quem quæsivit innoxium, perdidit criminosum. Amisit ergo quod jure retinebat, dum appetit, quod non licebat: rediit nequitia in auctorem suum. Sæviendo in eum quem obtinere non poterat, quod tenebat perdidit, nec quod quærebat invenit; invaserat servum, manus quoque intendebat in Dominum: recte dum utrumque quærit, in utroque nihil profecit. Evasit enim servus, dum redimitur; vicit Dominus, dum resurgit.

III. Transitus est quod hodie celebramus, quia hodie Christus Jesus cum mortem profugaret, vivus apparuit; et nitamur et nos cum eo resurgente consurgere. Ideo enim

[1] Codex male *non*, puto pro *noster*. — [2] Cod. *aptius*. — [3] Cod. male *admisit*.

descendit ad nos, ut nos cum eo ascenderemus. Ille assumptum hominem potentia sua evexit ad cœlum, ut nos a sæculi actibus fide ac spe ad superna rapiamur. Idcirco ille inferna penetravit, ut redimeremur; idcirco ad superna transiit, ut sequeremur. Scriptum est : « Caput » viri Christus est (*a*). » Deus ergo ille caput nostrum est; nos corpus ejus sumus; non divellamur a nostro patre; qua nos secum trahit, qua in cœlum jam processimus capite, sequamur et corpore. Quapropter gloriatur homo, cum interdum filios vel filias Deo offerimus, cum pro nobis Filium suum Dominus noster Deus obtulerit? Nos aliquoties vix dare illi contenti sumus e multis unum, ille pro nobis dedit Unicum : nos Deo filios commendare cunctamur, et ille pro nobis Unigenito non pepercit. « Quid » dignum retribuemus Domino pro omnibus quæ retri- » buit nobis (*b*)? Quid[1] dignum retribuemus, » etiamsi filios offeramus? Ille pro nobis Filium obtulit, ut moreretur; nos vero Deo offerimus ut vivant. Salvator noster, Dei Patris imperio, Dei Patris paruit voluntati.

SERMO XXXI.

De Pascha XI.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 165, *cum sancti Doctoris nomine. Nihil in contextu occurrit, quod ab hoc titulo possit nos deterrere. Ponatur post Sermonem præcedentem cum numero de Pascha* XVI.

(*a*) I Cor. II, 3. — (*b*) Psal. CXV, 12.

[1] Vide Enarrat. in Psal. CXXXIX, n. 2; et Serm. CXXXVII, n. 2.

SYNOPSIS.

I. De Paschæ nomine et ratione. II. Christus agnus Dei pro salute nostra occisus. III. Crura Christi non fracta ; Christus pro Adam mortuus.

I. Parricidale hoc sacrificium est, si patris filius immolatur ; parricidale revera, nisi ideo Christus occisus est, ut esset tertia die victurus. Dum ergo immortalis occisus est, quid hic Patri detractum est, qui Filio non crevit occiso[1] ? Humanum corpus exposuit, resurrexit ut Deus. Novatio ista, non pœna est, cum talis Christus ab inferis remeat, qui jam non possit occidi. Audi hoc et disce quid feceris, Gens incredula Judæorum : in Filio Dei, qui vivus est, homicidium perdidisti[2]. Vos autem, fidelissimi Christiani, quos Pascha non decet quærere, sed timere, audite mysterium paschalisque nominis rationem. Hebraïce Pascha dicitur transitus, græco vero nomine passio interpretatur. Judæi Pascha solum transitum colunt, quo majores eorum ex Ægypto liberati mare sub pedibus corporatum siccis in fluctibus transierunt : nos vero et transitum colimus, et Domini Christi passionem. Sicut enim transitus populi pedibus factus[3] captivorum redemptio fuit, ita passio Christi est redemptio peccatorum. Hanc ergo diem Dominus fecit esse solemnem, quo in ejus honorem, ac votis Judæis agnus innocens mactaretur.

II. Proh nefas ! jam in pectore meditata solemnitas jugulandi ! dum hæc annualiter renovant, Filium Dei perpetuo religiosi carnifices occidunt, recteque hic se fecisse confirmant. Quoniam per Prophetas Christus agnus

[1] Codex male *qui Filio non crevit occisum*. Forte *non caruit*. — [2] Vide Serm. sive Enarrat. in Psal. LXVIII, n. 2 ; in Psal. CXX, n. 6. Tract. in Joan. LV, et alibi. — [3] Codex *transitum*, ... *tractum*.

est appellatus. Joannes namque cum Dominum Christum vidisset in terris, hoc eum nomine nuncupavit[1] : « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*a*); » hoc est aperte dicere : Hic est agnus ille paschalis. Isaïas de illo sic prophetaverat sæculis, prius quam carnaliter nasceretur : « Sicut agnus coram tondente obmutescet, sic non ape- » ruit os suum (*b*). » Revera in passione sic tacuit, cum a populis in cruce laniaretur. Dixerat de solemnitate paschali, sed dixerat per figuram; omne namque mysterium sic populis panditur, ut habeant et secretum. Dixerat, inquam : « Ovis sine macula, masculus, annicu- » lus[2] erit vobis; de agnis et hædis accipietis eum, et » erit vobis observatus usque in quadragesima die men- » sis hujus, et occidet eum omnis populus synagogæ filio- » rum ad vesperam, et accipient de sanguine ejus (*c*). » Nos ipsum Christi sanguinem accipimus, quo se ipsi carnifices cum sententia[3] perfuderunt, hoc se verbo damnantes : « Sanguis hujus super nos et super filios nostros (*d*). »

III. Dixerat iterum Deus : « Ossa ejus non confringen- » tur (*e*). » Servavit Deus credulitatis fidem; nam cum pedes latronum, quos crucifixerant, frangerint, crura Christi minime confregerunt. Non hic error, aut casus est, aut eventus; disposite peccat, qui servat in scelere disciplinam. Agendum nobis dicendo utique, unde victima dictus est Christus. Primus homo Adam, id est primitiæ nostri peccati[4], sub Dei vindicis maledicto apud inferos fuit Christi sanguine redimendus, ut caro carnem, crux arborem, verus etiam Virginis Filius mulieris complicem redimeret[5]. Inde est Filius Dei pro reo innocens,

(*a*) Joan. I, 29. — (*b*) Isaï. LIII, 7. — (*c*) Exod. XII, 5, 6. — (*d*) Matth. XXVII, 25. — (*e*) Exod. XII, 46.

[1] Vide tract. CXVI, in Joan. n. 4. — [2] Codex male : *Masculum agniculum.* — [3] Id. *quod... cum sententiam.* — [4] Id. *nostris peccatis.* — [5] Cod. *redemisset* temporis errore.

pro homine Christus occisus, qui posset pro altero sine suæ vitæ periculo occidi. Nihil igitur mortuus est in ambobus, nisi caro peccatrix, cujus vitæ scilicet meruit caro sacra sufligi. Cum igitur, hominis pro reatu, Christi corpus reparabile occisum est, non tam Christus occisus, sed erectus [1].

SERMO XXXII.

De Pascha XII.

Extrahitur ex Codice Cass. XII *in Redditione Symboli, cum nomine S. Augustini, cui recte tribuendus. Locus ejus post præcedentem cum numero de Pascha* XVII.

SYNOPSIS.

I. Credendum in Patrem et Filium, utpote unum Deum. II. Christi Nativitas de Virgine potius creditur quam paganorum commenta. III. Christi Nativitas ex nativitate illæsa. IV. Pilati et Judæorum perversitas. V. Christus in Resurrectione mortis et diaboli victor.

I. Est fidei nostræ, vel hujus sanctæ et venerabilis Paschæ læta festivitas, quam fecit ex Virgine in homine assumpto Christi carnata majestas. Hæc, Fratres, de Christo fides est nostra, qua peregit cuncta mysteria, « Si- » cut fortis gigas ad currendam viam (*a*) [2]. » Nam de Deo Patre omnipotente « Creatore universorum, Rege

(*a*) Psal. XVIII, 6.

[1] Cod. male *rectus*. — [2] Vide Serm. CCXV, n. 2.

» omnium sæculorum, immortali et invisibili Deo (*a*) [1], » non sensu, non sermone, non aliquibus grammaticorum calculis posset [2] aliquando humanus intellectus aliquid explicare, de quo in cœlis credimus Filium ineffabiliter generatum, et in novissima mundi pro salute generis humani de Spiritu sancto ex virgine Maria in terris singulariter natum. Tu vero, Christiane, crede primo omnipotentem Patrem; crede sine initio, sine fine; crede quia Filium in cœlis generavit, ut voluit, talem qualem se, omnipotentem, sine initio, sine fine; crede utpote [3] qui omnium teneat potentatum [4] in cœlo et in terra, quia cum Patre ipse fecit cœlum et terram, sicut ipse per Salomonem dicit: « Cum pararet cœlum eram cum illo (*b*); » et crede etiam [5] Patrem et Filium esse unum Deum; sicut ipse in Evangelio dicit: « Ego, et Pater unum sumus. » Sic discutientes credamus et in Jesum Christum Dominum nostrum natum de Spiritu sancto ex virgine Maria.

II. Qualis ergo sit Christus a Patre generatus non dicitur; qualis sit autem generatus in terra de Matre, quantum ipse dederit, loquimur. Natus est, inquam, de Spiritu sancto ex utero Virginis; sed huic nativitati contradicunt increduli, infideles obsistunt plerumque pagani, qui ridere nos solent, cum audiunt partum Virginis a nobis manifestissime prædicari. Sed si sua, quæ colunt, vana discutiant, nunquam nostra, quæ vera sunt, et integra ridere audebunt. Illi enim Minervam suam de cerebro Jovis asseruere natam [6]; Venerem etiam, quam Aphroditem vocant, de spuma maris dicunt esse progenitam. Et uti-

(*a*) 1 Tim. I, 17. — (*b*) Prov. VIII, 27.

[1] Codex male *immortalem et invincibilem Deum.*— [2] Ibid. *arculis possit.* — [3] Forte *filium.*— [4] Codex male *potentum.* — [5] Id. *credentes.*— [6] Vide lib. XX contra Faustum cap. 9, Epist. XVII, ad Maximum Madaurensem; et de Civitate Dei, lib. IV, cap. 10; et lib. XVIII, cap. 8.

que facilius est credendum, quod fœmina adolescentula virgo divinum germen Spiritus sancti obumbratione concepit, quam illud, quod pagani asserunt, Venerem, quia de spuma maris corpus accepit, et Minervam dicunt quia de cerebro suo Jovis [1] generavit. O pagani insensati, et miserrimi, si illis vanis assertionibus vestris creditis, cur de nostris fidelibus et sanctis prædicationibus dubitatis? Quod ergo de monstruosis, et portentis vestris ita creditis, quare non virtute Dei vivi quærentes facilius invenitis? Ecce nos virtute Dei nostri ostendimus Virginem concipere posse, et generare. Unde accipite pauca, quæ omnibus nota sunt et manifesta [2]. Apes novimus fœtum edere, et conjugia non habere. Si ergo apem credis esse matrem et virginem, cur non credis Mariam sanctam fœtum sine corruptione proferre? Ergo nemo dubitet natum Christum de Spiritu sancto et virgine Maria, quod ab Angelis nuntiatum credidit universa humana natura.

III. Sed jam cum aliquando convicti pagani erubescunt, addunt et dicunt : Possibile quidem fuit Deo, ut Virgo conciperet, et pareret, sed indignum videtur audire, quod tanta illa majestas per genitales fœminæ transitus pollutionis itinera pertransire voluerit [3], ubi quamvis nulla fuerit carnalis naturæ commixtio, fuit tamen Deo per illam transeunte carnalis pollutio. Audi, insipiens Homo, qui talia audes loqui de Deo ; tu hæc de Creatore dicis ore temerario, nos formam creaturæ damus in mensuram [4], ut possit in te vanitatis tuæ conticescere sermo. Sol certe creatura est Salvatoris, de quo tu loqueris, qui transit per obscœna et sordida loca, in qua radium suæ lucis infulget et ipse nihil [5] ex his pollutionis inquinamentum assumit.

[1] *Jovis* nominative pro *Jupiter*. Vide de Civitate Dei, lib. xx, cap. 12.— [2] Vide lib. III, de Trinitate, n. 13. — [3] Deest in Cod. *voluerit*, quod requirit sensus. — [4] Cod. sine sensu *immensio*. — [5] *Nihil* pro *nullum*.

Si ergo sol transiens per sordida loca, nullam sentit vel patitur contumeliam, quomodo tu Deo transeunti per Virginem castam, factam dicis esse injuriam? Accipite itaque de ipso sole adhuc aliam formam. Potest fieri ut aliquando aliqua arbor, habens in se splendorem solis, possit incidi. Cum ergo inciditur, non vides, quia ictum ferientis ferri primus splendor solis excipit, prius quam ad lignum pervenerit, et cum splendor ibi sit, splendor ipse nec potest incidi, nec aliquando poterit violari. Illud tamen lignum subjectum est incisioni, quod in præsenti videtur incidi. Ita et Christus et ligari potuit, et teneri potuit, et crucifigi potuit, et occidi; tamen in Christo divinitas Deitatis nullatenus potuit vitiari.

IV. Testis est Pilatus, qui sedit pro tribunali, et lotis manibus ait: « Mundus sum ego a sanguine hujus, vos » videritis (*a*); » tamen Judæis clamantibus: « Crucifi- » gatur (*b*), » flagellis cæsum tradidit crucifigendum. O judicium perversum! Sedet reus, et stat Deus: jubet Pilatus, et crucifigitur Christus. O populus Judæorum! O qui te dicis esse hæreditas Dei! « O vinea Domini Sa- » baoth, quæ non uvas, sed spinas et tribulos protu- » listi (*c*). » Imo ipsam uvam a Pilato suscepisti, et in prælo crucis tuis manibus expressisti. Hæc est illa uva, quæ expressa sanguinem fudit, et totum mundum suo cruore perfudit. Sed Christi sanguis in remissionem fusus est peccatorum, ut damnaretur contumelia Judæorum. Veni ergo, Judæe, veni ad Ecclesiam Christi; bibe sanguinem, quem fudisti, et dele facinus, quod fecisti. Nolite timere, quia cruci affixistis Dominum Christum: ad hoc ille venit, ut sanguine suo redimat totum mundum. Cui si credideritis, potestis, et vos, Judæi, indulgentiam accipere peccatorum. Nam cum ipso ligno, id est

(*a*) Matth. xxvii, 24. — (*b*) Ibid. 23. — (*c*) Isaï. v, 4.

cruce Christi non solum unius pomi arbor replantata est, quæ primo homini ingesserat mortem, sed totus denuo innovatus est Paradisus, quando introivit Latro ille, qui cum eo semel fuerat crucifixus.

V. O Mors, o Diabole, quid dicis? Quasi de victoria tua lætaris, quia Christum immortalem conspicis esse mortalem. Christum quem vides descendisse ad infernum, festinato pergit solvere vincula captivorum, et vacuum reddere in inferno dominium tuum, ut ipse, ut fortissimus gigas, qui te superavit in mundum, velox ad currendam viam penetraret et in infernum, ut et de manu tua eripiat, quos tenebas, et te ab eodem perpetuum damnari videas. Ecce jam tertia die resurrexit a mortuis, ut veram fidem, quam promiserat, redderet suis Discipulis, et omnibus in se credentibus manifestam tribuat gloriam regni cœlestis.

SERMO XXXIII.

De Pascha XIII ad Neophytos.

Hunc habemus ex Cod. Cass. XII, *fol.* 190. *Nomen, et doctrina et modus scribendi sanctum Augustinum denotant. Collocetur post præcedentem cum numero de Pascha* XVIII.

SYNOPSIS.

I. Cunctæ creaturæ, speciatimque Christiani invitantur ad celebrandam lætanter festivitatem Paschæ. II. Neophyti particulatim excitantur ad gratulandum Domino. III. Iidem ad perseverandum animantur. IV. Pie et honeste celebrandum Pascha; mysticæ interpretationes. V. Conclusio.

I. Dies ecce quem expectabamus illuxit nobis; beata festivitas, quam expectabamus advenit; sanctum Pascha, quod desiderabamus, Domino donante, suscepimus. Quid ergo nunc est, Charissimi, nisi ut tantæ solemnitatis lætitiam, tantumque divinæ dignationis beneficium summa puritate et gratulatione animorum, et optima conversatione morum, sanctissime ac devotissime celebremus? Lætantur plane hodie cœli simul ac terra; congaudent hominibus sancti Angeli, et omnis pene creatura rationalis[1] « Alle» luya, » id est, Laudate Dominum, resonat. Nos quoque dicamus concorditer ac sapienter : « Magnus Dominus, et » laudabilis nimis (*a*). Magnus vere Dominus, et magna » virtus ejus et sapientiæ ejus non est numerus (*b*). » Quis enim facile vel enumerare, vel digne poterit explicare diei istius sacramenta? Quem devicto Dominus diabolo, mortisque dominatu compresso, per Resurrectionis suæ gloriam mirabiliter illustravit, eumque nobis in solemnitate salutis perpetuæ dedicavit. Quid itaque, Charissimi, hac festivitate potest esse jucundius? Quid hoc die felicius[2]? Quid hoc mysterio sacratius? Quid hoc sacramento mirabilius? « Hic est nimirum dies quem fecit Dominus; exultemus » et lætemur in eo (*c*). » Hic dies est inchoationis nostræ, diesque reparationis nostræ, dies vivificationis nostræ,

(*a*) Psal. XLVII, 1. — (*b*) Id. CXLVI, 5. — (*c*) Id. CXVII, 24.

[1] Vide Serm. CLV, n. 3.— [2] Cod. variat semper circa genus substantivi *dies*, dicens modo *hic*, modo *hæc*; omnia ad unitatem reduximus.

dies redemptionis nostræ, dies sanctificationis nostræ [1], dies postremo illuminationis nostræ. « Eramus enim ali- » quando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*a*). » Eramus quondam captivi diaboli, sed nunc confitemur et dicimus Domino : « Quia redempti sumus de manu ini- » mici, ac de regionibus congregati (*b*). »

II. Vobis etiam et in vobis, o novi Homines, sententia ista vel maxime congruit, qui et veste et mente præ cæteris nunc in Ecclesia candidi apparetis. Vos estis « Neo- » phyti, » id est, novella plantatio [2], quos cœlestis Pater dono sancti Spiritus per Jesum Christum Salvatorem nostrum abluere, ac sanctificare, et novæ vitæ informatione, in terræ [3] salutis plantario collocare dignatus est. Videant nunc vos fideles Dei et Christi, spirituales « Pauperes, ac » lætentur (*c*), et exultent quoque filiæ Judæ (*d*), » id est, confitentes Deo animæ, quia « Fecit nobis magna qui po- » tens est (*e*). » Hæc sunt plane, hæc sunt « Magna in nos » opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (*f*). » Vos estis nunc omnium contemplantium, gratia Dei, purissimum speculum. Quisquis prudenter consideraverit, aut de similitudine conservati in se muneris gratulabitur, aut de accepti tanti pignoris damno salubriter compunctus admonebitur. Illi quoque, qui necdum singulare istud ac præcipuum salutis donum consecuti sunt, exemplo vestro incitabuntur ad inquirendum, atque adipiscendum. « Con- » firmet ergo Dominus hoc quod operatus est in vobis (*g*), » et cæteris omnibus, largam misericordiam suam tribuens, prout cuique novit esse necessarium.

III. Vos tamen, Charissimi, quos tota nunc omnium nos-

(*a*) Ephes. v, 8. — (*b*) Psal. cvi, 2. — (*c*) Id. lxviii, 33. — (*d*) Id. xlvii, 12. — (*e*) Luc. i, 49. — (*f*) Psal. cx, 2. — (*g*) Id. lxvii, 29.

[1] Vide Serm. ccxxv, n. 4. — [2] Id. cccLxxvi, n. 3. — [3] Codex male *internæ*.

trum gratulatio concelebrat et miratur, de quibus etiam rectissime dictum creditur : « Hic dies quem fecit Do- » minus[1]; vocavit enim Deus lucem diem (*a*); » vos, inquam, o Dilectissimi, tenete fortiter quod accepistis. Sacramenta christianæ religionis in vobis plenissime consummata sunt. Æterno et cœlesti Regi jam militare cœpistis. State nunc viriliter contra omnes insidias inimici, quia ille profecto « Coronabitur qui legitime decertave- » rit (*b*). » In commune vero universi monentem Apostolum audiamus : « Omnes, inquit, vos filii lucis estis et filii » diei, non sumus noctis neque tenebrarum (*c*). » Igitur in tam solemni luce[2], tamque claro sanctificationis tempore «Non dormiamus » somno peccati, sed «Vigilemus » ad omne opus bonum ; «Simusque sobrii » et mente et corpore. Ambulemus sicut filii lucis. « Fructus autem lucis est in » omni bonitate, et justitia et veritate (*d*). Epulemur sanc- » tum Pascha non in fermento veteri malitiæ et nequitiæ, » sed in azymis sinceritatis et veritatis (*e*). » Festivitas enim hæc magna spiritualis in nobis est Verbi Dei, et Salvatoris nostri, qui « In principio apud Patrem Deus Verbum » erat, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » et ecce vidimus et credimus gloriam ejus (*f*), » qui cum sit Unigenitus Patris, dignatus est tamen habere consortes. O mira et ineffabilis pietas ! Qui dudum eramus servi inutiles, Domini nostri fratres, et cohæredes ipsius vocari jam et esse meruimus.

IV. Nihil ergo carnale, nihil indignum in tanta divinæ gratiæ lætitia perpetremus. Indecorum quippe ac perniciosum est sub occasione festivitatis ita indulgere refectioni corpusculi, ut notanda aliqua ac turpis subrepat

(*a*) Gen. 1, 5. — (*b*) 2 Tim. II, 5. — (*c*) 1 Thessal. V, 5. — (*d*) Ibid. 9. — (*e*) 1 Cor. V, 8. — (*f*) Joan. 1, 1-14.

[1] Vide Serm. CCXXVI. — [2] Id. CCXXII, et CCXXIII.

animæ negligentia. Sint itaque feriæ nostræ honestæ; sint Deo placitæ, et juxta Apostolum : « Omnia nostra honeste » ac secundum ordinem fiant (*a*); et sive manducamus, » sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in nomine » Domini nostri Jesu Christi faciamus (*b*); » per quem nobis hodiernus dies exordio vel cursu temporum primus est institutus, et in solemnitatibus præcipue electus, et mysteriis multipliciter consecratus[1]. Hæc namque dies est, et prima inter septem, et extra septem, hoc est, prima et octava; unde et quidam Psalmi mystice « Pro octava » in titulo superscripti sunt. Sub hujus numeri figura octo animæ servantur in arca Noë, quæ typum gerebat Ecclesiæ. Dominus quoque in Evangelio octo designat beatitudines, quibus eorum perfectio gloriosa describitur, qui superatis sæculi istius tentationibus, tanquam diluvii fluctibus, ad terram immortalitatis pervenient [2]. In hujus diei sacramenti numero Ecclesia nascitur, et Synagoga finitur. Judæi enim sabbatum, id est, septimum observare sibi videntur, legitimum diem nescientes miseri, neque credentes quod finis legis Christus sit, qui solus et legem implere potuit, et condidit omnem diem, et omnibus sanctis festivitatibus præfuit; hunc diem, quem etiam Dominicum merito appellamus, quia in eo Dominus ac Salvator noster ab inferis rediens, verum plane lumen, huic mundo resplenduit. Quem etsi Gentiles solis diem ignoranter vocant, nos tamen scientes intelligimus hunc esse solis illius diem, de quo scriptum est : « Ecce orietur vo- » bis Sol justitiæ, in cujus pennis est sanitas (*c*). » Iste utique sol visibilis pennas habere non creditur, sed ille verus Sol, qui hujus etiam quem cernimus creator est,

(*a*) 1 Cor. XIV, 40. — (*b*) Id. X, 31. — (*c*) Malach. IV, 2.

[1] De feriis Paschalibus, seu de diebus Feriatis vide annotationem Editionis Maur. ad Serm. CCLIX, tom. V, p. 1063. — [2] Vide Serm. CLX in Append. Maur.

solus habet pennas illas divinæ virtutis et protectionis, de quibus dicitur : « Sicut aquila protegens nidum suum, » expandens alas suas, suscepit eos (*a*). » Et in Evangelio : « Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare » filios tuos quemadmodum gallina[1] congregat pullos suos » sub alis suis (*b*)? » Cui opportune ac salutifere fidelis quisque proclamat : « In umbra alarum tuarum sperabo, » donec transeat iniquitas (*c*). »

V. Proinde, Charissimi, quia impletum est illud quod in Psalmo prædictum est : « Hosanna (*d*) », id est, o Domine, salvum me fac; et porta jam nobis salutis aperta est, de qua dicitur : « Hæc porta Domini, justi intrabunt per » eam (*e*); » intremus portam Ecclesiæ in omni sinceritate et veritate, ut per hanc confessionis et laudationis celeberrimam portam, intremus etiam in Paradisi regna, quæ est cœlorum porta, ubi perpetua Dei nostri laude fruentes « Non confundemur cum loquemur in porta (*f*) Christo Jesu Domino nostro, qui dicit : « Ego sum ostium, » per me si quis intraverit, salvabitur (*g*). » Per hunc omnes sancti ingressi sunt et intrant quotidie ad Patrem vitæ æternæ, cui cum ipso et sancto Spiritu honor et gloria est per cuncta sæcula sæculorum[1]. Amen.

(*a*) Deut. xxxii, 2. — (*b*) Matth. xxiii, 37. — (*c*) Psal. xvi, 8. — (*d*) Id. xi, 2. — (*e*) Id. cxvii, 20. — (*f*) Id. cxxvi, 5. — (*g*) Joan. x, 7.

[1] Vide Hieron. in Expositione super Matth. cap. xxi.

SERMO XXXIV.

De Pascha XIV ad Neophytos.

Sermo hic magni momenti, et nulla ratione sancto Augustino abnegandus. Eruitur e Cod. Cass. XII, *fol.* 152. *Ejus locus post præcedentem cum numero de Pascha* XIX.

SYNOPSIS.

I. Disputationem de Sacramentis jamdudum promissam B. Augustinus neophytorum gratia incipit. II. Sacrificium novæ legis in locum hostiarum antiquarum venit. III. De sacramento Corporis et Sanguinis Christi dicturus, docet animas attractione divina indigere. IV. Christus est panis vivus, et panis vitæ. V. Christo proponenti Corpus suum in cibum, et Sanguinem in potum ad procurandam animæ vitam æternam credendum est. VI. Pluribus satisfit quæstionibus, et primo ad monstrandum hujus materiæ opportunitatem, Baptismi materia in comparationem adducitur et fusius explicatur. VII. Panis et vinum in signum unionis inter fideles, ad sacramentum a Christo adoptata sunt. VIII. Christus in sacramento dat vere Corpus et Sanguinem suum, sub specie tamen panis et vini, ne fastidium aut repugnantiam excitet. IX. Christo gratiæ agendæ pro dono Corporis sui, fidesque simul adhibenda, cum tam potens sit vinum in Sanguinem suum, quam aquam in vinum convertere. X. Nullus ergo peccator ad sacramentum accedat, quin fuerit prius Deo reconciliatus.

I. NEOPHYTIS debita informatione constringimur ne amplius disputationem[1], quam de sacramentis spopondimus, differamus. Equidem, Dilectissimi, magnum disputatio-

[1] De disputatione sacramentorum vide Sermonem CCXXVII.

nis istius pondus declinare mediocritati nostræ tutissimum putaremus, nisi e contrario periculum gravius instaret, si per desidiam ac neglectum sacerdotalis officii, rudimenta infantilis adhuc ignorantiæ deserantur. Itaque prout Dominus humilitatis nostræ sensibus dignatus fuerit infundere de sacramentorum ac sacrificiorum inenarrabili bono disputare conabimur. Offerant pro me preces vota credentium; offerant agnoscendæ veritatis desiderium corda dubitantium.

II. Audistis, Dilectissimi, prophetæ Malachiæ oraculo, veteris illius populi sacrificia voce Dei reprobata[1], cum dicit: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et » sacrificium non accipiam de manu vestra (*a*). » Et quomodo homo consecrabitur Deo, si sacrificia tollantur, cum utique, ubi sacra desunt, sacrilegia succedant? Audi quid idem Propheta sub Dei voce subjungat: « Quoniam » a solis, inquit, ortu, usque ad occasum clarificabitur » nomen meum inter gentes, et in omni loco sacrificabi- » tur et offeretur nomini meo oblatio munda (*b*). » Non ergo tolluntur sacrificia, sed sacrificia cruenta tolluntur. Unius siquidem populi reprobatur hostia, et a solis ortu usque ad occasum oblatio inter gentes munda suscipitur. Longum est nunc ostendere illam legis victimam in agno illo immaculati velleris et anniculæ perfectionis, Christi imaginem prætulisse, multaque alia, quibus nihil aliud quam sacramenta dominicæ passionis continentur.

III. Transeundum est ad Evangelia, et id agendum, ut qui recenti baptismo ex aqua et Spiritu, æternæ vitæ principia sumpserunt, Corpore et Sanguine Domini Salvatoris vitam se possidere non dubitent. Audite ergo, Dilectissimi, auribus obedientibus, nec speretis quemquam

(*a*) Malach. I, 10, 11. — (*b*) Ibid.

[1] Vide Enarrat. in Psal. CVI, n. 13.

a me ad Christum trahi posse, quem Christus ad Patrem, aut quem ad Christum Pater[1] non attraxerit, qui dixit: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, » traxerit eum (*a*): » traxerit, inquit, non invitum ac potestate, sed amantem, desiderio et charitate. Trahit enim, Dilectissimi, non minus interdum voluptas aliqua vel necessitas[2]. Habet anima delectamentum suum quo trahitur; habet Christi dilectio vinculum, quo qui illigantur criminibus, absolvuntur, et innocentiæ merito usque ad Patrem pertrahuntur. Ergo quem diligis sequeris, et ab eo, quem avide sequeris, quodam modo traheris. Sic ergo ad Christum Pater, sic ad Patrem Christus dilectores suos pertrahit. Tantum est ut ei, quem diligis, illum propheticum dicas: « Ego autem non laboravi sequens post » te (*b*); » id est, in eis, quæ ad vitam pertinent, non laboravi curiositate inquirendi, sed requievi sequens securitate credendi.

IV. Tunc audies libens et[3] gaudens salutem tuam et vitam tuam, dicente Christo[4]: « Ego sum panis vitæ (*c*). » Est enim vere panis vitæ, sed eis qui fide vivunt, sicut scriptum est: « Justus autem ex fide vivit (*d*). » Audi ergo et crede dicenti: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descen- » di (*e*). » Inde ergo panis est, et ideo panis vivus est, quia de cœlo descendit, ut quia per peccatum mors regnabat in terris, per panem vivum vita vivat et viveret e cœlis. Magna siquidem subtilitas discretionis est inter panem

(*a*) Joan. VI, 44. — (*b*) Isaï. XL, 31. — (*c*) Joan. V, 35. — (*d*) Rom. I, 17. — (*e*) Joan. VI, 51.

[1] Codex male *Christum ad Patrem... ad Christum Patrem.* Vide Tract. in Joan. XXVI, n. 4 et seqq. et Serm. CXXXI, n. 2. — [2] Id. *voluptatem aliquam vel necessitatem.* Necessitatem intellige non absolutam, sed fortem aliquam et quæ difficile vinci possit attractionem. — [3] Codex : *Audiens et libens gaudens*, evidenter male. — [4] Vide Serm. sive Tract. in Joan. XXVI, n. 11. — [5] Sic Codex; forte *vita vivat, et veniat e cœlis.*

vivum et panem vitæ ; et talis quantum puto, ut panis vivus vitam habeat, panis autem vitæ vitam sumentibus afferre videatur. Denique hoc ipse subjungit. Nam cum dixisset : « Ego sum panis vivus qui de cœlo des- » cendi, » addidit : « Si quis manducaverit de hoc pane, », vivet in æternum(*a*), » ut æternam vitam, quam in se habebat, his qui se sumpturi essent, attulisse videatur.

V. Hic jam subjungitur illud, de quo Judæis litigandi inter se invicem causa consurgit, quod ait : « Panis, quem » ego dabo, caro mea est pro hujus mundi vita (*b*). » Hinc enim ille laboriosus atque difficilis dormitantium et oscitantium in fide tepor[1] nascitur, eorum videlicet, qui prius volunt intelligere quam credere ; cum eis se opponat justo judicio manus divinæ majestatis, quæ scriptis suæ legis inseruit: «Nisi credideritis, non intelligetis(*c*).» Credendum est enim, ut possit intelligi, quidquid Salvator noster docuit aut tradidit ; quia credentem præmium intelligendi, non credentem error ignorantiæ consequitur. « Panis, inquit, » quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Non est hinc litigandum, quod Judæi, audita inter se hac voce, fecerunt ; sed credendum, quia Discipuli hunc cibum vitæ credendo meruerunt. Nemo dicat id quod Judæos dixisse Evangelista commemorat : « Quomodo potest » hic Carnem suam dare nobis ad manducandum(*d*). » Audiat potius, et cum tremore audiat : « Nisi manduca- » veritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sangui- » nem, non habebitis vitam in vobis(*e*). » Ergo sicut creditis Evangelium : » Nisi quis renatus fuerit ex aqua » et Spiritu(*f*), « et renasci, credendo, meruistis ; in eodem Evangelio creditis : « Nisi manducaveritis Carnem

(*a*) Joan. VI, 51-58. — (*b*) Ibid. 51. — (*c*) Isai. VII, 9. — (*d*) Joan. VI, 52. — (*e*) Ibid. 53. — (*f*) Id. III, 5.

[1] Cod. habet *typor*.

» Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis » vitam in vobis. » Sed ne forte crederemus, Dilectissimi, hæc ad præsentem vitam esse referenda, et putaremus Christi Corpore absoluto a conditione communis istius mortis[1], qua anima a carne dirimitur, significanter addit, et dicit : « Et ego resuscitabo eum in novissimo die(*a*) : » ut sacramenta Corporis et Sanguinis Domini ad æternam vitam intelligeremus esse referenda. Ergo sicut vita corporis anima est, ita animæ vita Deus est. Panis ergo animæ Christus est, sed nonnisi illius animæ quam fides pascit. Cum scandalizaret plurimos, non solum ex Judæis, verumetiam ex Discipulis, aliquos post verba sacramentorum recessisse ab eo Evangelista commemorat ; adeo ut ipse post hæc Apostolis diceret : « Numquid et vos » vultis abire(*b*)? » Et respondeamus nos cum Petro apostolo : « Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ » habes; et nos credimus et cognovimus, quia tu es Chris- » tus, Filius Dei(*c*). » Ergo quisquis agnovit Christum esse Filium Dei, plena fide æternæ vitæ verba suscipiat. « Audi, inquit Propheta, audi, Israël, et tace(*d*). » Et alibi : « Audite et auribus percipite, et nolite vos extol- » lere, quia Dominus locutus est(*e*) ; » quid aliud admonens, quam ne quis extollatur opinionibus, cum se potius disputationibus debeat applicare divinis? sic ordinavit Creator tuus; sic voluit Redemptor tuus. « Num- » quid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me finxisti » sic(*f*)? »

VI. Sed tamen permittamus ut aliquem quærendi locum habeat terrena sapientia. Quid est, in quo displicere in mysteriis suis possit Christus, qui est æterna Sapientia?

(*a*) Joan. VI, 40, 54. — (*b*) Ibid. 67. — (*c*) Ibid. 68, 69. — (*d*) Eccli. XXXII, 9. — (*e*) Jer. XIII, 15. — (*f*) Rom. IX, 20.

[1] Sic Col. forte *corpus absolutum*. Vide Tract. in Joan. XXVI, n. 12.

Panis vitæ est fidelibus suis. Numquid displicet quod vult ex se ipso pascere quos per se redemit? ad ipsam primitus originem fidelium revertamur. Ex aqua et Spiritu renascimur. Jam hoc ipsum, quod renascimur, quam investigabile, quam incomprehensibile est, nisi fide comprehendatur! Ex aqua et Spiritu renasci oportuit qui renascebantur in Spiritu, ut a sancto Spiritu originem traheret procreatio spiritualis. Sed forte aliquis quærit: Quare ex aqua? Hoc ipsum fortasse quæreres, si baptismatis mysterium alia quacumque materia constare voluisset. Sed si discutere dispositionem divinam licet, quid tam purum aut simplex ad reparationem nostram Spiritui sancto quam aqua potuit adjungi? de qua in principio statim scriptum est: « Spiritus Dei ferebatur super » aquas (*a*). » Revexit ergo libens ad salutem nostram Spiritus suam sedem. Quam multas autem in hac regeneratione species aqua continet! Primum quod mortificare et quasi abscondere a sæculo videtur, tegere et consepelire per baptismum quoscumque submergit. Deinde, post modum emergendo, quasi nascitur, qui mersus sub Trinitatis confessione concipitur, et quasi utero fontis absconditur ab aqua; in lucem[1] prodit, ut purificationem quam in corpora aquæ exercet elementum, etiam in animas, cooperante Spiritu, merito confessionis usurpet; et succedit unctio magnæ ac propheticæ dignitatis, quæ[2] cum suavi fragrantia, consecrata a Christo, infantium innocentium capita perfundit; omnes sub Christo capite, in regeneratione consecrat, ac Prophetas et reges facit[3] quoscumque perfundit. (Reges quidem[4],) quia se ipsos regere, et vitiis incipiunt imperare; Prophetas autem,

(*a*) Gen. 1, 2.

[1] Codex per errorem manifestum *hæc rem*. — [2] Id. male *quem*. — [3] Id. *faciat*. — [4] Desiderantur evidenter addenda verba *reges quidem*

quia et in præterito quæ gesta sunt fide conspiciunt, et in futurum, æternitatis beatitudinem quam credunt annuntiant. Ergo si placuit materia qua nascimur, multo magis oportet ut placeat illa qua vivimus. Prius quod sacramentum Corporis sui panem esse voluit, quod dignius vita. Deinde quod quos in membra sua (numeravit)[1] vivere cibo sui Corporis voluit, ne quod membrum alia forsitan membra despiceret, cum extra corpus esset, nisi cum membris omnibus conveniret.

VII. Ipsa tamen attendamus elementa, quæ in Corpus ac Sanguinem suum voluit consecrari. Panis et vinum sunt[2]. Considerate, Dilectissimi[3], ex quam multis granis panis conficitur, ex quam multis acinis vinum fluit, et videte si non ille apostolicus sermo completur qui dicit : « Multi » unum corpus sumus (*a*). » Sic ergo et nos oportet sub torculari et mola ecclesiasticæ disciplinæ in unum corporari atque confluere, ut secerni, fide consociante, non liceat. Videte, Dilectissimi, utrum vere corpus sit quod in Christi Corpus solemni invocatione conficitur, cum in uno corpore nullam differentiam sciat Dominus a servo, humilis a regno, pauper a divite ; ubi personarum discrimen fidei fervor excludit ; ubi infirma grana cum maximis, inflatione, follibus fidei conflabuntur. Merito ergo Dominus hoc genus oblationis elegit, quod Corporis et Sanguinis sui dignitate donaret, consecrans nobis sacrificium, quo nihil aliud quam pax et unitas commendatur. Quæ enim tanta, quanta in farina tritici granis, aut in vino uvarum acinis potest esse concordia idonea ? Hæc plane materia est, quam Christus, qui pacis auctor est, in suum corpus assumpsit[4]. Voluit autem nos hoc sacrificium

(*a*) Rom. XII, 6.

[1] In Cod. deest vox *numeravit*. — [2] Codex male *est*. — [3] Vide Tract. XXVI in Joan. n. 17, Serm. CCLXXII, n. 7, et CCXXVII. — [4] Codex perperam *assumeret*.

continere, ut dum has hostias pacis offerimus, assiduo[1] ac plane jungi ad cultum suum redemptionis nostræ commemoratione censeamur, nec jam amplius in superstitiones varias defluamus, qui sub uno capite unius corporis membra censemur.

VIII. Non in his sanctis ac dignis Deo sacris nitorem hostiarum fœda ventris ingluvies (et) indigesta cruditas, aut crapula turpis exaltat. Gustu imbuimur, mente satiamur. In exiguo sui Corporis frusto totus a singulis Christus excipitur. In parvo haustu Sanguinis sacri vita æterna potatur. Nemo dicat : Panem video, corpus audio ; vinum sumo[2], sanguinem dicunt. Dominus nobis Corpus et Sanguinem suum in simplicibus apparatibus dedit ; ne fastidium aut horror scandalizaret, indulsit ; sed tamen vere Corpus suum præstitit. Audi enim quid ipse dicat : « Sciens, inquit, quia murmurarent de hoc Discipuli ejus, » dixit eis : Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium » hominis ascendentem ubi erat prius (*a*). » Ergo antequam ascenderet[3], facilius scandalizari humana potuit infirmitas ; nunc autem, cum ascenderit ubi erat prius, non est quisquam qui dubitare de verbis illius possit, cui videt cœli regna patuisse.

IX. Referamus gratias debitas Deo, qui dedit nobis quotidiana Agni illius, qui peccatum mundi tollit, id est, Domini nostri Jesu Christi immolatione gaudere ; qui dedit fidelibus suis habere in terris Corpus ipsius per invocationem, quod jam ipse in cœli gloria collocavit. « Offertur ergo nunc in omni loco oblatio munda (*b*). » Vita de altari sumitur, si vita credatur. Ipsa virtus potest in Sanguinem suum vitæ poculum convertere, quæ defi-

(*a*) Joan. VI, 62, 63. — (*b*) Malach. I, 11.

[1] Codex *assidua* pro adverbio *assiduo*. — [2] Id. minus bene *sumunt*. — [3] Vide Serm. CXXXI, n. 1.

ciente vini poculo, aquas in vinum convertit. Sumite itaque hæc, et constanter sumite Corpus pacis et vitæ. Nam quem pax obtinet, hunc suum Christus, qui est simul et pax et vita, cognoscit.

X. Ergo si quis ad hoc sacramentum peccato deficit, pace reparetur. Sacramentum est, ut dicit, pacis et vitæ. Peccatum morti obsecundat, vitæ adversatur. Sed si, ut[1] se infirmitas humana habet, in vita nostra fortassis incurrat, nulla alia re magis quam pace expugnatur. Ergo etsi sunt delicta, quia fragiles sumus, non sint mortifica, quia Christi, qui vita est, Corpus accipimus. Illud autem specialiter quod in Oratione dominica, antequam ad altare[2] accedamus, dicimus, toto corde oportet attendi : « Di» mitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus de» bita debitoribus nostris (*a*). » Dimittitur tibi, securus accede, sed vide si dimittis ; nam, si non dimittis, audies : « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti » me ; nonne ergo oportuit et te quoque misereri con» servo tuo (*b*). » Dicit tibi etiam Apostolus : « Quoniam » qui manducat et bibit indigne, judicium sibi mandu» cat et bibit, non judicans Corpus (*c*). » Si enim corpus judicasset, nunquam membrum otiose parasset[3]. Quoties ergo ad altare Domini convenimus, pax offeratur, et securi sumus quod vita sumatur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Matth. VI, 12. — (*b*) Id. XVIII, 32. — (*c*) I Cor. XI, 29.

[1] Codex male *sicut*. — [2] Codex per anagramma vitiosum *latera*. — [3] *Parasset ;* videtur subaudiendum *se* ante *parasset*, ita ut sensus sit : *Si corpus judicasset, nunquam membrum otiose se parasset*. Facilis fuit error amanuensis ob terminationem verbi præcedentis *otiose*.

SERMO XXXV.

De Pascha XV, ad Neophytos.

Hic Sermo educitur sicut præcedentes ex Cod. Cass. XII, *fol.* 195. *Dubius quibusdam doctis videbatur ob frequentem repetitionem verbi, Dilectissimi. Sed credi potest hanc allocutionem extemporaneam a notariis fuisse exceptam, et inde istam procedere repetitionem. Cum Codex* XII *pro aliis sit authenticus, nollem absque gravissimis rationibus sermonem ex hoc fonte depromptum reprobare. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha* XX.

SYNOPSIS.

I. Evolvuntur hæc verba : *Quasimodo geniti Infantes*, etc. (*a*).

I. Quamvis proficere ex verbis meis omnem Ecclesiam cupiam, Dilectissimi, ad vos tamen nunc præcipue, o Neophyti, mihi sermo est, quos quasi in novam vitam ortus novitatis ac æquitatis emisit. Tantum enim mihi erga vos plus est sollicitudinis, quantum in vobis per novam gratiam plus nitoris. Et ideo admoneo, Dilectissimi, ut sicut præsens Apostoli lectio docuit : « Quasimodo ge- » niti infantes rationabiles et sine dolo lac concupiscite[1], » ut in eo crescatis in salutem. » Infantes utique, dilectissimi, sicut etiam Scriptura divina dicit, inter prima

(*a*) I Petr. II, 2.

[1] Necessarium fuisset dicere : *Concupiscatis*.

teneræ ætatis exordia nihil aliud nisi lac concupiscunt. Et vos, Dilectissimi, « Modo geniti infantes » estis ; superest ut solo innocentiæ vivatis lacte. Sed quid tamen illud est, quod Apostolus ait : « Rationabiles et sine dolo lac con- » cupiscite? » Doctrina est utique, Dilectissimi, doctrina sancta, quæ rationem habet, et dolum non habet, ut sit lactatus [1] per innocentiam, et rationalis per sapientiam. Dum ergo, Dilectissimi, duo genera lactis sunt, ut videtis, unum carnale, aliud rationale; carnale, illud quo aluntur infantes parvuli ; rationale, quo aluntur infantes viri ; vos utrumque estis, Dilectissimi, et infantes pariter, et viri ; infantes, per novam nativitatem ; viri, per ætatem atque rationem. Tenete ergo, Dilectissimi, lacteam semper infantiam per simplicitatem, virilitatem per fidem; ut quia munus sacrum, atque doctrinam, lac rationale, nunc sumitis, faciat vos esse semper et infantes innocens vita, et viros ratio perfecta.

SERMO XXXVI.

De Pascha et Jona. In diebus Paschalibus I.

Stylus paulisper durus; sed sancti Augustini in Cod. Cass. XII, *fol.* 157, *hic Sermo nomen habet, et sententiis ejus concordat. Unde minime rejiciendus est, præsertim cum declaret Augustinus se idem argumentum in pluribus sermonibus tractasse. Ponendus est in editione Maurinensi post sermonem* CCLVIII, *cum numero in diebus Paschalibus* XXX.

[1] Codex male *lacte actus*.

SYNOPSIS.

I. Jonas Deo rebellis. II. Jonas in mare demersus, et a cete absorptus. III. Jonas in littus evomitus. IV. Jonas Christi morientis figura. V. Ejusdem figura sepulti. VI. Demum et resurgentis figura.

I. Dominus et Salvator noster, dilector humani generis, (qui)[1] « Semetipsum tradidit pro nobis (*a*), et animam » suam posuit pro ovibus suis (*b*). » Omnia tamen quæ pertulit a Judæis, jam prædicta fuerant multa a Patriarchis sanctis, de quibus unum in medio proferamus, ut ei historiam passionis dominicæ comparemus[2]. Legimus Jonam prophetam missum esse a Deo in civitatem Ninive, ut ejus esset interitus prædicator. Qui Jonas sciens misericordissimum Deum, et paratum ad indulgentiam, ne prædicatio ejus inanis et vacua videretur, declinavit ad fugam. Hæc igitur civitas post mundi faciem, quæ a fluentis diluviique[3] inundatione dignoscebatur esse consumpta, prima Ninive civitas a Nino, cujus est nomen sortita, constituta dignoscitur[4]: cujus cum populi delicta Salvatori nostro intolerabilia viderentur, Jonæ imperat, ut ejus perditioni (prænuntiandæ)[5] abiret, quod ne faceret, a facie Domini fugiens, navi se fluctibusque commisit, fugiens in Tharsis a facie Domini Dei. Mira res! demutatur locus, quasi in Tharsis non erat Deus. Deus, cui soli nihil absconsum est, inflatum tempestatibus gurgitem in ejus periculum concitavit. Cum violentior fieret maris a Deo jussa

(*a*) Ephes. v, 2. — (*b*) Joan. x, 11.

[1] *Qui* videtur abundare. — [2] Hæc comparatio reperitur inter opera S. Augustini in Sermone ad Catechumenos, n. 6. — [3] Codex male *diluvii quæ*. — [4] Vide de Civit. Dei lib. xvi, cap. 3, n. 1. — [5] Vox illa *prænuntiandæ* abest a Codice; sed sensu requiritur.

commotio, erigitur ratis in cœlum, et subductis undis ad arenas usque descendit : in discrimine constituti tam pelagi ima quam cœli sidera didicerunt. Et dum concursantium inter se nautarum nihil profecisset industria, omnesque ac singuli formidarent, gubernantis etiam ducatu[1] carina non obtemperaret imperio, Perimus, clamant, Obruimur, sonant. Hæc navis cœlum ferit, inferos pulsat ; hinc cognoscite, Fratres, qualiter Deo obedientia fuerint æquora, ut unum fugitivum Dei tota quærerent elementa.

II. Solum Jonam secura somnii possidebat oblivio, cujus quietem nautarum saltem rupit invidia. Et : Oh! inquiunt, tu dormis? quid est quod homo es, et cum hominibus in tantis periculis minime commoveris? Tunc sortis consultatione, cujus hæc causa paterentur est requisitum. Et Jonas sorte præventus jubet se vere in profundum mare projici, asserens mortis suæ præventu vitam cæteris ac navis liberationem posse præstari. Festinant igitur universi Jonæ implere responsum, qui in scelere constituunt salutis suæ omne præsidium. Novum in periculo[2] acquirendæ vitæ subsidium! Solet benefactorum commemoratione misericordia promereri : nunc vero peccatum admissum crudelitatis auctores de periculo liberavit. Nam missus est Jonas in mare, et omnis tempestatis sævitia conquievit. O! in omnibus adversitatibus eventus incerti! Quis non crederet Jonam in fluctibus mersum? quis non speraret ejus exanime corpus ventorum diversitate ubique volvendum, et scopulorum asperitatibus laniandum? Missus in mare ad aquam pervenire non potuit, sed sub cibo exceptus, pejori discrimine talem casum incurrit, cum eum bestiæ vorago simul absorbuit. Nam hunc cetus excepit avidis faucibus vivum, et quem comedendum sumpsit, nec ore, nec dentibus at-

[1] Forte *ducta*. — [2] Codex *periculum*; deest punctum post *subsidium*.

trectravit. Morsus prædam non discerpsit; immanitas gutturis, et latitudo voraginis escam non attritam per se transisse nec sensit. Expavescunt viscera cibum, quem nec calore naturali coquere, nec per pudendas corporis partes egerere potuerunt. Habitavit potius in utero ceti Jonas, et domicilii quodam modo interioris, factus est incola ventris, ut ibi per triduum non solum vivens duraret, sed etiam supplicatione consueta Dei misericordiam acquireret.

III. Ibat (igitur) [1] gravis per diversa marini littoris bestia, quod comederat novo gerendi genere superis redditura. Cum vero inter spumas undæ fluctuantis Jonas sine periculo portaretur, prædonis ventre servatus, subito divina Providentia littori bestia proximatur; et quem triduo in alveo ventris servavit illæsum, hunc a vulnifico dente in littora rejecit intactum. Hic cibi calamitas profuit, et de suo interitu redivivo salutem aliis contulit.

IV. Hic jam, Fratres charissimi, post hujus historiæ disputationem, quam Jonæ prophetæ decursa locutio demonstravit, qualem in se habeat figuram, Domino adjuvante et donante, demonstrare conemur. Neque enim omnia quæ in præteritis facta sunt, hæc sola humanis sensibus sufficere credantur [2], sed figuræ fuerunt futurorum, ut subsequenti tempore in Christo mirabiliter implerentur, sicut Apostolus dicit : « Omnia autem hæc in » figura contingebant illis (*a*). » Nam Ninive civitas illa magna, ad quam Jonas, prædicator ejus subversionis, mittebatur, figuram totius mundi gestabat, qui idololatriis et facinoribus multis ardebat : Jonam vero personam Domini Christi designare manifestum est. Navis vero in qua Jonas fugiens dormiebat, synagoga Judæorum intelligitur.

(*a*) 1 Cor. x, 11.

[1] Codex habet litteras sine sensu *cet et.* — [2] Id. male *credebantur.*

Per mare vero intempestivis fluctibus excitatum, Judæorum populum insanientem, et turbulentis[1] vocibus sævientem cognoscimus. Bestia vero marina, hoc est cetus, infernus intelligitur. Hæc autem omnia, quæ de Jona prædicta sunt, in Christo manifeste impleta videntur. Quod autem in capsa navis Jonam dictum est dormientem, Christum in medio eorum significavit humiliter tacentem. Cui dictum est sicut et ad Jonam : « Exurge, quare ob- » dormis, Domine, exurge, et ne repellas nos usque in » finem (*a*). » Dormiens enim dicitur Dominus, dum tacere videtur super iniquitatem hominum, expectans compunctionem pœnitentium : sed dum exurgit, ut potest, inimicos suos simul interficit. Quod autem sortes miserunt, cujus causa navis periclitaretur, et cecidit sors super Jonam, et miserunt eum in mare, et sedata est tempestas, numquid alius quam Christus erat, cujus morte mundus omnis tempestatibus diaboli liberaretur, in quo paterna definitio jam a principio mundi, quasi sorte missa, fuerat terminata, non aliter posse sæculum liberari, nisi unigeniti Filii passione permisisset impleri. Quem Dominum Christum quasi Jonam projicientem in mare, a principibus Judæorum populi sævientibus traditum, susceperunt Romani[2] crucifigendum, in quo dum proficerentur, sedata est et quievit tempestas sævitiæ Judæorum.

V. Jamvero peracta universa mysteria passionis ; sepulturam veri hominis Christi, peragentes cognoscamus. Nam cetus ille, qui Jonam suscipiens triduo vivum in alveo sui ventris servavit illæsum, significavit Dominum Christum descendentem vivum in infernum. Sic enim ipse Dominus in Evangelio dicit : « Sicut fuit Jonas in ventre

(*a*) Psal. XLIII, 23.

[1] Codex *tribulent's*. — [2] Id. sine sensu *cum* ; forte pro *Rom.*

» ceti tribus diebus, et tribus noctibus[1], ita oportet esse » Filium hominis in corde terræ (*a*); » cum hoc sacramentum numero dierum in passione Domini completum manifestum est. Inde multorum minus intelligentium sensus conturbatur, eo quod in sepultura Domini numerus ipse dierum quasi minime impleatur; non attento corde audientes, quod ipse Dominus dixerit, in quo ait : « Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, et tribus » noctibus, ita oportet esse Filium hominis in corde ter- » ræ. » In corde enim terrenorum hominum, et terrenis cogitationibus studentium, quos sævitia sui cordis in perniciem occisionis Christi succenderat, apud illos Christus jam quasi occisus et sepultus erat[2]. Hinc ergo a die illa, qua est traditus, et alia die crucifixus, et tertia die in sepulcro quietus, tribus diebus cum suis noctibus, numerus dierum, qui in Jona fuerat præfiguratus, in Christo adimpletus esse cognoscitur. Quod nulli videatur incertum, quia ipse locutus est Dominus dicens : « Ita oportet » esse Filium hominis in corde terræ; » sed qui de hoc dubitat ostendat cor terræ, quod aliter quam dictum est esse non potest.

VI. Sed vomuit cetus Jonam, et exemptis tribus diebus, ad lucem de novo egressus est vivus. Ita Dominus Christus, peractis mysteriis secretorum, novo lumine decoratus apparuit, resurgens cum testibus, qui cum eo surrexerunt, et in ejus obsequium excubantes, ab inferis re-

(*a*) Matth. XII, 40.

[1] Eusebius ejusdem sententiæ patronus est in Homilia feriæ IV post dominicam Quadragesimæ, Bibl. Patrum tom. VI, fol. 718, lit. D. — [2] Vide discrimen horum dierum in lib. III de Doctrina Christiana D. Augustini n. 50; Serm. ad Catechumenos de Symbolo, n. 6; lib. IV. de Trinitate n. 10, et præsertim in Epistola seu libro ad Deogratias ubi agens de tribus diebus hæc ait: *Longum est disserere, et in aliis Sermonibus jam sæpissime dictum est.*

meantem demonstraverunt; qui etiam « Ingressi civita- » tem multis apparuerunt (*a*). » Divina enim sacramenta in mysteriis antiquis abscondita, in Christo Domino Salvatore nostro videntur mirabiliter revelata, quæ salvandis hominibus ita sunt demonstrata, ut omnibus credentibus salutarem conferant medicinam.

SERMO XXXVII.

In diebus Paschalibus II.

Stylus aliquantisper durus; phrasis una integra reperitur in Sermone sequenti XXXIX, *et ideo videtur ejusdem esse auctoris, id est, D. Augustini ad quem manifeste est referendus. Extrahitur ex Codice Cass.* XII, *fol.* 160, *qui S. Augustini fœtus repræsentat. Concordat exordium cum exordio Sermonis* CLVII *Appendicis Maur. et cum exordio Sermonis sequentis; cætera autem differunt. Utrum parva styli duritas, et illa variorum exordiorum similitudo sufficiat ad rejiciendam Codicis antiqui et authentici auctoritatem Lector videat; ego nec rejiciendum credo, nec audeo rejicere, cum stylus D. Augustini aliquando durus evadat, et orator christianus sæpius atque ex abrupto loquens idem exordium bis aut etiam ter usurpare potuerit. Ponatur post præcedentem cum numero in diebus Paschalibus* XXXI.

(*a*) Matth. XXVII, 53.

SYNOPSIS.

I. Oracula vetera a Christo impleta. II. Sol Christo moriente obtenebratus. III. Christus Patrem invocans. IV. Increpatio Judæorum, et antiquorum beneficiorum commemoratio. V. Commemoratio recentiorum beneficiorum. VI. Mors Christi, descensus ad inferos et Resurrectio.

I. Multa sunt et magna [1], charissimi Fratres, hujus S. Paschæ veneranda mysteria, quæ, divinis libris consecrata, in antiquis ædibus et vetustissimis Judæorum archivis fuerant condita; quæ universa a Patriarchis et Prophetis de Christi Domini Passione prædicta, necesse erat ut adimplerentur omnia. Et quoniam uno tempore semel peractis omnibus, Christus « Exultavit sicut gigas ad » currendam viam (*a*), » tamen solemni circulo hæc anniversaria vota celebramus, ut deinceps futura æterna usque ad consummationem sæculi maneant monumenta. Nec taceri possunt Judæorum scelera, quousque veniat ipse qui pertulit omnia, ut « Videant et cognoscant in quo » transfixerunt (*b*) » jacula.

II. Hic jam de eorum sævitia, quam in Domini Passione exercuerunt, aliquanta dicamus : unde postmodum ejus Resurrectionem constantissime demonstremus. Neque enim mundus ipse scelera Judæorum, quæ Christo ingerebant, libere conspicere potuit, qui cum elemento suo [2] fugiens lucem quam habuit, cum Domino de mortali conversatione simul ad inferos demigravit. Nihil in-

(*a*) Psal. xviii, 6. — (*b*) Joan. xix, 37.

[1] Mira forte videbitur de Passione commemoratio in Pascha. Sed videsis S. Joan. Chrysostomum Homil. lxxxviii, in Matth. cap. xxvii, n. 27, et Combefis. tom. iii, fol. 557. — [2] *Elemento suo*, nempe sole. Forte aliquid desideratur.

congruum[1], nihil incertum est; inferi Deum sine luce videre non possunt, sicut scriptum est : « Quoniam » Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (*a*). » Quoniam ergo lux de mundo migravit, sic scriptum est in Passione Domini : « Ab hora, inquit, sexta tenebræ » factæ sunt in totam terram, usque in horam nonam (*b*).» Quid agitis, Judæi, inficiandum[2] sacrilegium vestrum? Quod tarditas pigra lentescere posset, per totam terram vestrum scelus nox de medio diei jussa est nuntiare. Currunt per totum mundum nigrescentes umbræ, impii facinoris præcones, et, irruente chaos, novum nefas loquentes tenebræ nuntiarunt. Sic pro nobis Passio Domini oportuit nuntiari, ut totus mundus sub obscuro miraretur abscondi. « Ab hora, inquit, sexta tenebræ » factæ sunt in totam terram, usque in horam nonam. » Confusa sunt elementa; imperiali verbo dirupta sunt fœdera. Dies horas perdidit, dum dominico corpori sol exequias præbuit[3], removit sol cursus suos, et abscondit luminis globum ne videret in Christo fieri homicidium.

III. Digne, Fratres mei, luget hic mundus, cujus negatus est Deus. Exclamavit igitur Jesus : « Heli, Heli, lama » sabacthani, hoc est: Deus meus, Deus meus, quare » me dereliquisti (*c*)? » Damnat vos miseros Judæos querela cœlestis, et quod assiduis clamoribus frangitur cœlum, digni reatus in vos adducitur piaculum. Rogo, quale est facinus, quod adversus homines Deum Patrem contestatus est Filius? « Deus meus, inquit, quare me dere- » liquisti? » Non hic sensus humanus, nec christianus fallitur animus; non a Patre relinquitur Filius, sed ideo dictum est : « Deus meus, quare me dereliquisti? » ut ostende-

(*a*) 1 Joan. 1, 5. — (*b*) Matth. xxvii, 45. — (*c*) Ibid. 46.

[1] Vide eadem verba inferius Serm. xxxix, n. 5.— [2] Cod. *insinuandum*.— [3] Vide D. Ambrosium Exposit. in Lucam lib. x, tom. II, n. 127, Edit. Bened.

retur, quia corporalibus pœnis non tangitur Deus. Tunc quidam de astantibus dicebant : « Eliam vocat iste (*a*). » Ipsa est consueta interpretatio judaïcæ mentis ; sic adversus Deum prava semper et falsidica pronuntiare norunt loquela, dum dicunt : « Eliam vocat iste. » Nunquam ut discipulum magister rogaret, aut servum Dominus invocet[1], aut in auxilium suum Deus hominem postulet, sed Patrem contestatur in cœlis Filius, qui fugabatur a terris.

IV. « Tunc acceperunt spongiam plenam aceto, et ponen- » tes arundini potabant eum (*b*). » Quid agitis, Homines ex limo terræ plasmati? Numquid in principio fabricæ vestræ, dum adhuc molle opus corporis vestri, inter initia, conspersi pulveris necdum durata materie, quando in novam formam ipse Deus Christus tuam hominis corporavit infantiam, hoc ab eo didicisti, qui acetum pro tua fabrica propinasti (*sic*). Cum vero adhuc rudis nutriri foverique quærebas, et paradisi limen tener hospes, et delicatus possessor intrares, hæc erga[2] tuum Creatorem operari ante didiceras. Dic et tu, Judaïca gens, quando inter medios Rubri maris contremiscens fluctus, et inter diversas undas platealis viator incederes, siccique pulveris mollitiem algis[3] halecibus sicca planta calcares, hoc tantæ[4] impietatis crudele opus didiceras, quod in tuum Dominum exercebas ; vel etiam cum in eremo quadraginta annorum per spatia, miraculis perspicuis pastus, te[5] cœlesti pane sine labore cibares, et corporali salute sine infirmitate gauderes ; neque vestimentorum aut calceamentorum trituram, vel sordidatum aliquid defœdari videres ; vel etiam cum petra illa virgæ ictu percussa, duræ

(*a*) Matth. xxvii, 47. — (*b*) Ibid. 48.

[1] Tempora verborum erronea sunt, et correctionem expostulare videntur. — [2] Codex *quæ*.— [3] Id. *algis habenibus*. Sensus esse videtur pulverem mollem evadere propter *algas* et *haleces* In Cod. littera b dubia est, et ad formam l accedit. — [4] Id. *tua te*. — [5] Id. *ut*.

silicis cute dirupta, beatus Moyses nova fluenta sitientibus propinaret; aut cum amaras, salsasque aquas ligno medicante dulcasset, et hoc poculo deficiens turba satiaretur; tunc in his miraculis tantorum beneficiorum didicisti caput erigere contra Dominum, ut ejus caput circuires spinis peccatorum tuorum, sicut scriptum est: « Populus iste spinis peccatorum suorum circumdedit » me (*a*). »

V. Sed nec de veteribus jam aliquid nunc necesse est quærere, cum de sua corporali præsentia tanta perfecit miracula, quanta, si requirantur, explicari non possunt. Tu, judaïcæ gentis populus, acetum felli commixtum Domino dedisti, qui sanctis galilæicis nuptiis vinum de aqua factum miræ suavitatis cum eo convivasti[1]. Quod vero cæcorum oculos ad lucem perfectam artifex pius induxit; quod surdarum aurium conclusiones aperuit; quod balbutienti linguæ nodum absolvit; quod leprosorum cutem corruptam[2] humorum varietate in pristinum sanitatis colorem revocavit; quod paralyticorum soluta membra construxit, et pristinæ saluti restituit; quod claudis exilire jussit, quibus plus cura, quam natura præstitit; quod contra furorem vestrum, quatriduanum et fœtentem Lazarum vitæ pristinæ revocavit. Pro his ergo tantis, ac talibus bonis, qualia[3] vobis Judæis præstitit, talia in ejus morte exercere debuistis, ut eum, quem colere debueratis, turpissima morte impie cruciaretis? quem etsi morti jam destinatum decreveratis, vel simplici ac rationabili occisione consumeretis.

VI. Noverint ergo crucifixores ejus in quem impie grassatæ sunt manus, non esse[4] leve commissum, in quo et terra movetur, et cœlum. « Velum templi, inquit,

(*a*) In Scripturis hunc textum non reperi.

[1] Forte conbibisti. — [2] Cod. mal. *cutis corruptorum*. — [3] Cod. *quibus*. — [4] Id. *est*.

» scissum est (*a*); » contestatio facinoris luctus est templi; nimirum domus ornari non debuit, cujus habitator abscessit. « A summo, inquit, usque deorsum (*b*), » hoc est quod uno corpore Christi, et hominem expulistis et Deum. Quid amplius dicam? sepulturæ jam traditur, ut infernus visitaretur, in quo divina ejus majestas descendens cunctos, quos ipse absolvendos et liberandos censuerat, eripuit et absolvit, et sibi in obsequio Resurrectionis suæ comites junxit, qui « Multis in civitatem apparuerunt (*c*) » notissimis viris, qui testimonium perhiberent dominicæ Resurrectionis, in qua Resurrectione nos spirituali gaudio solemniter exultantes, hunc diem honeste et sobrie celebremus, ut cum ipso Domino et Salvatore nostro in æternam vitam vivere mereamur ; qui vivit, etc.

SERMO XXXVIII.

In diebus Paschalibus III.

Eædem hic recurrunt annotationes quæ Sermoni superiori præfiguntur ; has revisat Lector, attentiusque perpendat. Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 163. *Locus ejus post præcedentem cum numero in diebus Paschalibus* XXXII.

(*a*) Matth. XXVII, 51. — (*b*) Ibid. — (*c*) Ibid. 53.

SYNOPSIS.

I. Mysteria legis novæ in lege veteri prælibata. II. Christus, lux nostra, veniet regnaturus. III. Christi regis ornamenta. IV. Christi descensus ad inferos, victoria et Resurrectio.

I. Multa, et magna sunt, Fratres charissimi, hujus S. Paschæ veneranda mysteria, quæ divinis libris consecrata, in antiquis ædibus et vetustissimis Judæorum archivis fuerant condita, quorum admirabilis ratio, vera fides, pura et sincera religio, veluti quodam tecta velamine sæculorum, sanctitatem suam in abditis occultabant[1]; non poterant, nec audebant contegere[2] pulchram, et venerabilem imaginem veritatis. Hanc artifex Christus non diversis, nec terrenis coloribus, sed cœlestibus atque distinctis virtutibus in nostris mentibus clypeo devotionis, auro coruscante, depinxit; animo etiam tenaciter defigens in ipso templo humani corporis dedicavit; amorem ejus in corde conclusit, integris et acerrimis sensibus officia distribuit. Et cum ille clarus et illustris Angelus, rector astrorum, poli gubernator, dux diei, et luminis imperator, interjector germinis, veris temperator, autumnique temperies, ad salutares vitalesque usus annuum cursum et quadripartita temporum spatia composuit[3], diei hujus solemnitatem Deus nos celebrare præcepit.

II. Quanta nobis bona dominica Passio[4] vel contulerit nova, vel amissa restituerit, mortali et humana voce nec prædicare magnifice, nec memoriter enumerare prævaleo. Sicut ipse Dominus Salvator noster in Evangelio ait : « Nemo ponit lucernam sub modio, sed super candela-

[1] Stampatus habet *occulebant;* post addit : *Et prisci antistites adumbrata cernebant et sacrificia cruenta muneribus offerebant.* Vide Serm. Append. Maur. CLVII, n. 1. — [2] Codex *contegi.* — [3] Editus *compleverit.* Variat in aliis quibusdam.— Cod. *dominicæ Passionis.*

» brum, ut omnibus luceat qui in domo sunt (*a*)[1]; » lucerna candelabro crucis superposita est primo adventu quo venit et passus est; secundo adventu veniet clarificatus, ut regnet[2] lucerna, inquit, candelabro crucis superposita. Christus lucet tam Gentibus quam Judæis, ut ex Gentibus et Judæis colligat ad Ecclesiam venientes. Lux nostra Christus est, qui licet expectetur ut veniat, tamen jam venisse credendus est. Venit in humilitate, veniet in regno; venit in bonitate, veniet ad judicium; venit in passione, veniet in ditione; venit medicus curationum, vitiorum veniet amputator. Nemo sic speret esse venturum, quo velit negare quia evenerit; patietur tunc judicem, nisi modo crediderit salvatorem. Et ipse quidem, sicut credimus et novimus, judicaturus adveniet; sed ipse qui venit medicus ut salvaret, nunc veniet rex regum, perpetuus imperator, ut regnet.

III. Habet diadema, zonam, calceamenta pretiosis lapidibus coruscantia; sed has species Patriarchas intelligamus, Prophetas, et Apostolos; Patriarchas in capite, quod est diadema, non ut ornent, sed ut ornentur a Christo, de quibus Paulus apostolus tractat : « Quorum » patres ex quibus Christus, qui est Deus benedictus in » sæcula (*b*); » medio veluti zonam Prophetas intelligimus, qui insinuaverunt arctissimam fibulam disciplinæ; calceamenta Apostolos, quos in pedibus, id est, in fine sæculi missos esse cognoscimus, de quibus Scriptura divina non tacuit : « Quam speciosi pedes evangelizantium bo- » na (*c*). » Fulgent in ipso regno Cerauniæ Martyres, Smaragdi Confessores, Hyacinthi Fideles, Margaritæ Vir-

(*a*) Matth. v, 15. — (*b*) Rom. ix, 5. — (*c*) Id. x, 15.

[1] De hoc primo et secundo adventu loquitur Augustinus tract. iv in Joan. cap. i, n. 1, et Tract. xxviii, n. 6. — [2] De lucerna in candelabro, vide Serm. ccexvii, n. 4.

gines. Habet itaque Christus, perpetuus rex, regiam fulgentissimam purpuram passionis, sceptrum regni, sedem judicii, consistorium venerandum. Passus est pro credentibus, regnaturus est sanctis, judicaturus est contumaces. Non rebellet medico, qui sanus esse desiderat ; amicus futurus regi, si reus esse noluerit, credat.

IV. Descendit de cœlis, cujus origo cœlestis est, et descendit ad inferos, ut hominem liberaret, ut quem passio crucis humiliaverat in morte, cœlestis sublimitas resurgentem victor susciperet cum triumpho. Incredibile est, sed factum est, et salubriter creditur, quod fideliter prædicatur; in passione enim Domini sol se abstulit, duplicatæ sunt tenebræ, dies fugit, nox importuna successit, invasit vices alienas, lucis splendorem[1] confudit, mundi faciem obscuravit; crudele parricidium astra fleverunt, luna percussa cum fratre colloquitur, expectantes plebis Judaïcæ crudelitatem. Sic Dominus Jesus Christus hostem robustum et immanem diabolum, debilis[2] fortem, inermis armatum, monomacho prælio[3] solus solum, alter ut[4] David contra Goliam, devicit[5]; depositis vestimentis, nudato in cruce corpore, tricenario juvenis noster anno, non gladio diabolum, sed crucis radio triumphavit. Descendit ad inferna, oppressit inferos, liberavit quos ipse voluit suos, qui post Resurrectionem suam docuit Discipulos suos. Ergo cum docet, ratio est; cum judicat, lex est; cum liberat, gratia est; cum patitur, ovis est; cum sepelitur, homo est; cum resurgit, Deus est. Qui etiam nobis post Resurrectionem, quam ipse nobis promisit, munus impertiet. Dat terrenis cœlestia, mortalibus immortalitatem, cadaveribus animas respirantes, caducis resurrectionem, vitam mortuis, salutem denuo reparatis. Ergo et nos,

[1] Codex male *pudore*. — [2] Codex *per virum*. — [3] Vide Serm. XXXII, n. 3, ubi de Monomachia. — [4] Codex *alterum* pro *alter ut*. — [5] Id. *videres*.

Fratres, hanc fidem teneamus, ut cum ipso Domino et Salvatore nostro in æterna vita vivere mereamur.

SERMO XXXIX.

In Dominica II Paschæ.

Est certe sancti Augustini. Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 153. *Ponatur in editione Maurinorum post Sermonem* CCLIX.

SYNOPSIS.

I. Brevis Passionis narratio. II. Christus a Judæis apprehensus. III. Christus spinis coronatus et ut rex illusus. IV. Christus sputis pollutus, cæsus et crucifixus. V. Christus ad inferos. VI. Christus resurgens.

I. In hac sacratissima die, Fratres charissimi, delector vobiscum, dominicam Passionem et Resurrectionem spirituali discutere atque explanare tractatu[1]. Cuncta enim per ordinem, quæ acta sunt, breviter dicimus. Amat enim se, cur sit veritas, explicari. Dicamus ergo quod gestum est, quod omnibus notum est, quia est venditus Deus, quia est emptum scelus, quod post ferales nundinas ad sacrilegos revertitur pretii facinus, quod traditoris Judæ corpus inter cœlum terramque libratur suspensum ; quod stat ante præsidem Christus, quod mulier docta per somnium mandat Pilato propter Justum excusandum[2] esse peccatum, quod ab innocentis sanguine Pilatus lavare asseri-

[1] De Sermone crucis in Pascha, vide annotationem superius ad Serm. XXXVII, n. 1. — [2] Videtur hic deesse una linea ; forte scriptum erat : *Excusandum ; quod populus exclamat hoc suum esse peccatum quod*, etc.

tur manus, quod insignis Barabbas dimittitur reus, et ad crucem flagellis cæsus ducitur Christus. O humanum genus, quid agis? tamen ad hanc magis partem decurrit animus, in qua omnis Judæus audax efficitur reus.

II. Cum vero ad apprehendendum Dominum concurreret in nocte violentissima turba malorum cum gladiis et fustibus, egreditur ipse Dominus ad quærentes, quia jam præviderat venientes [1]. Stante ergo Domino, sicut Joannes evangelista demonstrat, dicunt: « Jesum quærimus. » Lucem ergo in tenebris noctis quærebant, sed lucem in tenebris tenebræ non videbant. Sed audiamus, Charissimi, lucem lucis, quid dicit tenebris, « Ambulantibus in umbra » mortis (*a*): Quem quæritis? » responderunt tenebræ luci: « Jesum Nazarenum (*b*). » Respondit ille: « Ego sum, » quem quæritis. Cum vero audissent vocem ejus, ceci- » derunt retro (*c*). » Ceciderunt omnes in tenebris, et facti sunt simul massa cæcitatis. Sed quia lux lucet in tenebris, erexit eos, ut ostenderet eis patientiam suæ humilitatis. Iterum dicit eis: « Quem quæritis? et dixerunt: Jesum Na- » zarenum, et ait illis: Ego sum, quem quæritis (*d*). » O Judæi cæci, vocem audistis, et cecidistis; levati estis, et illum non cognovistis. Quis est iste, quem quæritis, ante cujus faciem cecidistis? Nempe ipse est Jesus Nazarenus, quem crucifigendum capere festinatis. Quid vos terruit, ut caderetis? Qua vos comminatione concussit? Quid eum audistis comminantem? quid terroris habentem? Ad solam ejus cecidistis simplicem vocem: quid facietis cum judicare venerit in virtute? Ubi sunt gladii et fustes vestri, cum quibus venistis [2]? Nonne cum ipsis in terram cecidistis, et nisi ipse vellet ut surgeretis, prostrati adhuc forsitan jaceretis? Ostendit autem vobis quantum virtus majes-

(*a*) Isaï. IX, 2.— (*b*) Joan. XVIII, 4, 5.— (*c*) Ibid. 5, 6.— (*d*) Ibid. 7, 8.

[1] Vide Serm. Append. Maur. CL, n. 2.— [2] Vide Tract. CXII, in Joan. n. 3.

tatis ipsius possit, qui postea voluntarie semetipsum vobis tradidit.

III. O limus, o terra, o cinis, Fabricatori tuo hoccine reddis? Pro hoc tanti operis, quod factus es, Creatori tuo has gratias agis? O profana gens Judæorum, dominicum corpus flagellis cædis, nec illæsum ad crucem venire permittis. Collegistis, crudeles Judæi, totam vestræ insaniæ cohortem, concurristis ad funestum spectaculum crucis; et totus Judaïcus populus congregatur, ut nemo sit a sacrilegii consensu privatus. Hoc voti vestri est semper, ut scelus suum, qui fecit, expectet. Illudebatis tanquam[1], Judæorum regem optantes, et infibulabatur ad derisum ejus coccinea clamis. Sed in illo fuco coloris sanguis relucebat dominicæ Passionis. Huc intexitur[2] corona spinis pungentibus ac circumcurrentibus septa, ut probaretur quod dicit Scriptura divina: « Sustinui ut » faceret uvas, fecit autem spinas (*a*). » Arundo illi pro insultatione regali in manu ponitur, tanquam trabea consularis. Sed scriptum namque est: « Arundinem quassatam » non confringet, et linum fumigantem, » hoc est, ipsorum sævitiam « non extinguet, donec perficiat victoriam » ad judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt (*b*). »

IV. Alapis pollutis faciem dominicam cædebant: sacer vultus nefandis sputibus madefactus est, quia et hoc ipse ante dixerat: « Maxillas meas præbui ad palmas, faciem » meam non averti a fœditate sputorum (*c*). » Imponitur humero crux, ut manifestaretur quod scriptum est: « Ipse » infirmitates nostras portavit, et valetudines nostras ipse » sustinuit (*d*). » Post vero talem ac tantam illusionem, levatur tandem in cruce; sacræ manus pedesque clavorum infixione ligno damnantur, quia et hoc dictum fuerat in

(*a*) Isaï. v, 4. — (*b*) Id. XLII, 3, 4. — (*c*) Id. L, 6. — (*d*) Id. LIII, 4.

[1] Codex male *et tanquam... infilabatur.* — [2] Id *qua regnum*; forte *caput regium*.

Prophetia : « Confige clavis a timore tuo carnes meas (*a*)[1]. » Aceto felle permixto, spongia ministrante, potatur, quia et hoc fuerat prophetatum : « Dederunt, inquit, in escam meam » fel, et in siti mea potaverunt me aceto (*b*). » Vociferatur magno clamore Deum in homine omnia ista non pertulisse, dicens : « Eli, Eli, lama sabacthani; quod est : Deus » meus, Deus meus, quare me dereliquisti (*c*)? » Audite, judaïcæ superstitionis Principes, et impios animos ad divina verba convertite. Postquam Deum expulistis ex homine, scelus vestrum clamat in cruce, et pœnas vestras caro cœpit agnoscere, postquam se Deus jussit exire. Sed postquam Spiritum tradendum cœlo refunderet, statim « Ab » hora sexta tenebræ factæ sunt in totam terram, usque » in horam nonam (*d*). » Pavescunt in hac causa elementa omnia, nigrescit aër, sol subducto lumine offuscatur, ne Judæorum facinus aspicere cogeretur. Sed dum Judæorum reatum non aspicit, manifestum reatum ipsorum prodidit.

V. Quid multa? Peracta tandem sæculi causa, jam ad infernum majestas dirigit gressus; præcedit in obsequio sui Creatoris clarissima lux. Mutat cursus sui leges; patitur mundus in die noctem, dum inferiorem æternæ nocti exhibet Divinitas claritatem; lux cum Domino de mortali conversatione ad inferos demigravit. Nihil incongruum, nihil incertum est infera Deum sine luce videre non posse, sicut scriptum est : « Deus lux est, et tene- » bræ in eo sunt nullæ (*e*). » Ecce jam in inferno meliora apparent merita. Remanserunt apud cæcos Judæos noxiæ tenebræ, et mortui indulgentiam promerentur simul et lucem. Intuemini, infelices Judæi, futura vobis imminere condigna supplicia. Quales post mortem tenebras habe-

(*a*) Psal. cxviii, 120.—(*b*) Id. lxviii, 22.—(*c*) Matth. xxvii, 46.— (*d*) Ibid. 45.— (*e*) 1 Joan. i, 5.

[1] Vide pro isto textu Serm. xxv in Psal. cxviii, n. 6.

bitis, qui adhuc viventes viventium lucem prodidistis? Interea Christum hospitem, dum Judæi expellunt, suscipiunt inferi, ubi impii custodes et janitores antiqui adventu novo turbati in ipso lucis ingressu. Qui præibant ante Dominum repentino terrore concussi; nullus eorum custodiam, quam tenebat, agnovit. Sic enim majestas Domini Christi circumamicta luce ingredi voluit, ut tenebrosi custodes de suis obscurissimis antris aspicientes, qualiter venientem fugerent, inquirerent[1]. Sed dum terribilem claritatem aliqua ex parte evadere non possent, retro post terga remeantes, interiora potius inferni penetrabant fugaces, ut, altero alterum compellente[2], densarentur in antris, et qui miserorum animas angustis locis[3] coarctabant detrusas, ipsos de imis interioribus expellentes, se potius in eorum voragine occultandos premebant. Hoc enim mirabilius potentiæ Christi ascribendum est, ut potestas male dominantium captivitati daretur, et diuturno antiquitatis fletu cæcatos ad lucem suæ liberatricis gratiæ relaxaret liberos. Ipso jam Domino Christo præsente, omnis illa officina cruciamenti cessavit: indulgentiam cum liberatione, quibus ipse voluit, condonavit, et ad testimonium suæ Resurrectionis, quia de inferis regressus est, multorum corpora dormientium resuscitans palam publice demonstravit.

VI. Resurrexit igitur Christus hodie cum triumpho victoriæ, qui antiquum serpentem, humani generis deceptorem, et in sæculo[4] superavit, et inferis captivavit. Propterea et nos, Fratres charissimi, in hac sacratissima solemnitate Resurrectionis Domini et Savaltoris nostri, spirituali gaudio exultemus, ut cum ipso in æterna vita vivere mereamur.

[1] Cod. male *Inquirebant* pro *inquirerent*.— [2] Id. *alter alterum compellendo*. — [3] Id. *cæcis*. — [4] Id. *in sæculum*.

SERMO XL.

De Ascensione Domini I.

Eruitur ex Cod. Cass. XII *fol.* 202, *cum nomine sancti Doctoris; stylus paulisper durus, sed non prorsus a dicendi modo D. Augustini alienus. Locus ejus in editione Maurinorum post Sermonem* CCLXIX *cum numero de Ascensione Domini* V.

SYNOPSIS.

I. Dies Ascensionis diei Natalis Domini comparatur. II. Ascensionis mysterium fidem confirmat. III. Christus ascendens in cœlum non deserit homines; præsenti omnibus caute serviendum.

I. Miror interdum, Fratres dilectissimi, unde istud fiat, ut hic magnæ celebritatis dies non magna apud quosdam frequentia celebretur, et quomodo non præcellat occursus ad Ecclesiam concurrentium, cum præcellat privilegium gaudiorum. Unde enim minor dies hic habendus est festivitatis atque conventus, quam ille illustris dominici Natalis dies[1]? Ille siquidem dies Dominum ac Salvatorem nostrum terris dedit; hic cœlo reddidit. In illo, Dominus vere homo esse dignatus est; in hoc, vere Deum confessus est. In illo gratiam dignatissimæ humilitatis; in hoc, fidem in divinitate majestatis asseruit. In illo virginalis uteri; in hoc cœlestis throni claustra reseravit. In illo die descendit redempturus nos; in hoc

[1] De Natalis et Ascensionis comparatione vide Homil. sancti Hilarii Arelatensis apud Combefisium tom. IV, fol. 425.

pro nobis interpellaturus ascendit[1]. In illo a Patre missus est, in hoc receptus; licet a Patre nec tunc abfuerit, cum nobis affuit, et ita visitaverit terram ut cœlum non deseruerit[2]. Insigni ergo, ut supra diximus, ac præcipua festivitate prosequendus est, Fratres dilectissimi, dies iste, qui ante nobis (dies)[3] Jesum redemptorem nostrum, quem profitemur Deum, approbavit, qui cum ascendit in cœlum etiam hoc declaravit, se descendisse de cœlo: « Nemo ascendit in cœlum[4] nisi qui de cœlo descendit, » Filius hominis (*a*); » et de quo futurum multo ante Propheta prædixerat dicens: « A summo cœlo egressio » ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*b*). » Et idcirco quia occultus fuerat descensus ejus in terra, voluit ut manifestus esset et ascensus: et quia oculis hominum non patuerat, cum de cœlo veniret, consuluit fidei nostræ ut manifestus esset cum in cœlum rediret. Misericors enim et miserator Dominus, dum redemptioni nostræ ac saluti prospicit, dum se ad salvandum humanum genus offert, homo apparuerat, opprobria, supplicia, crucem, sepulturam et omnia humana infirmitatis indicia pertulerat, et patuerat hic incredulitatis locus. Dum fidelium saluti Redemptor pius consulit, recte prospexit ut quia propter nos hominibus apparuerat ejus infirmitas, in hoc die ejus fieret manifesta Divinitas, ut quem verum fuisse hominem cum hominibus vidimus, verum esse et Deum cognoscamus[5].

II. Hic itaque Dominus et Deus noster hominibus, ut

(*a*) Joan. III, 13. — (*b*) Psal. XVIII, 7.

[1] De hujusmodi sententiis vide Homil. Eusebii Episc. Gallican. in Bibliotheca Patrum tom. VI, fol. 647.— [2] Codex male *deseruit*. — [3] *Dies* videtur abundare; sensus esse videtur quod *ille dies nobis ante approbavit tanquam Deum Jesum redemptorem nostrum, quem talem profitemur*, id est, ejus Divinitatem demonstravit. — [4] Vide Homil. de Ascensione apud Combefis, tom. IV, fol. 413. — [5] Codex male *videamus... cognoscimus*.

Scriptura ait, « Præbuit se ipsum vivum post passionem » suam in multis argumentis per dies quadraginta appa- » rens eis et loquens de regno Dei (*a*). » Et post crucem et mortem, antequam in cœlum ascenderet, hominibus in terris visus apparuit per hos dies quadraginta, quos a Paschæ exordio usque in hunc diem remissioni nostræ dedimus, quia tempus fuit lætitiæ, non mœroris : dixerat sane et ipse : « Numquid possunt filii sponsi jejunare quandiu » cum illis est sponsus (*b*)? » Hos dies cum implesset[1], tunc palam, « Videntibus hominibus, in cœlum elevatus » est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*c*). » Audiat hoc Judæus, audiat confundaturque Gentilis. Si irrident ascensum in crucem, audiant ascensum in cœlum. Si objiciunt humilitatem illam, diei hujus audiant claritatem. Et post hæc : « Ecce, inquit, viri duo astiterunt in ves- » tibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis » aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a » vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum » euntem in cœlum (*d*). » Ergo cum universa complesset, propter quæ in terra descenderat, reversusque esset in cœlum, astiterunt subito qui confirmarent videntes, ne forte phantasma putaretur, ut non solum per eos contestaretur ascensus ejus, verumetiam et adventus promitteretur. Idem etiam et Evangelii lectio decursa testatur dicens : « Et factum est, dum benediceret illis, recessit » ab eis, et ferebatur in cœlum, et ipsi adorantes regressi » sunt in Jerusalem cum gaudio magno (*e*) ; » quod Salvator noster humiliatus est propter nos, hodie et pro nobis clarificatus est[2]. Carnem enim nostram, quam in terra est dignatus assumere, hodie etiam in cœlum re-

(*a*) Act. I, 3. — (*b*) Matth. IX, 15. — (*c*) Act. I, 9. — (*d*) Ibid. II. — — (*e*) Luc. XXIV, 5, 52.

[1] Vide Serm. CCLXV, n. 1. — [2] Ibid. n. 8.

vexit; nec salvasse hominem contentus est[1], etiam glorificare voluit. Ostendit deinceps posse homini cœlum patere, cum in illa sublimi sede primus imposuit; honoravit pius Dominus limum nostrum, et terram nostram in cœlum suum vocavit. Quadraginta igitur dies primitus jejunavimus, quadraginta sunt insequentes, quos refectioni nuper indulsimus.

III. Sed sicut sequitur in illorum fine Paschæ festivitas, ita sequitur et in horum consummatione ista solemnitas, magna plane, ac præcipua, qua Dominus et Salvator noster ita nobiscum esse desiit, ut tamen nobiscum esse non desinat. Nam sicut tunc, cum apud nos in corpore esse dignatus est, non defuit Patri, ita nunc, cum ad Patrem reversus est, non deest nobis. Non ergo abjecte nos tanquam alienos deseruit, sed nobiscum est et conversatur nobiscum; ipse enim dixit: « Non turbetur cor » vestrum, neque formidet (*a*). » Et paulo post: « Vado » et venio ad vos (*b*). » In medio nostri est. Ipse nunc mœrentibus [2] consolator, laborantibus auditor, periclitantibus auxiliator adest. Ipse nunc miseris levamen, ipse afflictis opem suggerit. Nobiscum, inquam, nobiscum est; nec solum laboribus nostris, sed et sermonibus et cogitationibus interest. Rimatur atque introspicit cor nostrum. Videt quid manus nostra, quid lingua, quid sensus parturiat. Quo magis nobis sollicite, pie, casteque vivendum est, cum agamus utique sub oculis ejus? Dico enim, Fratres, quod vobis quoque bene notum est. Servi enim negligentiores, cum ante oculos carnalium dominorum sunt, verentur, pavent, et contremiscunt. Nihil admittere audent delicti, nisi forte cum jam remotos la-

(*a*) Joan. XIV, 1. — (*b*) Ibid. 28.

[1] Codex male *contemptus est*; non legitur *voluit*; sed hoc aut aliud simile verbum sensus requirit. — [2] Codex cum errore evidenti *majestatis*.

tere se posse arbitrantur. Tu effugere oculos Domini tui non potes. Quocumque abieris, tecum conscientiam trahis. Et ille quidem servus, si hæc possit esse conditio, ut in conspectu temporalis domini dies noctesque ageret, non facile delictis vacaret. Tu, cujus Dominus absentiam non habet, quia omni loco adest, quam in timore ac tremore debes servire castam servitudinem! Illi, inquam, Domino, qui sicut abesse non potest, cum miseretur, custodiæ tuæ, ita deesse non potest, cum irascitur [1], culpæ tuæ; illi, inquam, Domino, ita pio ut justo, et ita terribili ut misericordi, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLI.

De Ascensione II.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 204, *cum nomine S. Augustini, cui rite ascribendus. Ponatur post præcedentem cum numero de Ascensione* VI.

SYNOPSIS.

I. Exordium. II. Quadraginta dies a Resurrectione ad Ascensionem sunt quasi retributio abstinentiæ quadragesimalis. III. Ascensionis veritas certa fuit testimonio Discipulorum. IV. Angeli quoque in testimonium fidei venerunt; unde comparatio diei Nativitatis et Ascensionis Domini. V. Christus ascendit rediturus.

I. Etsi ad demonstrandam Dei Ascensionem Apostolorum Actuum (lectio) satis sufficiat [2], quæ ordinem ipsius As-

[1] Codex male *irascere*. — [2] Id. *sufficit*. Non reperitur verbum *lectio*, necessario addendum.

censionis ostendit, tamen etiam nos, Dilectissimi, tacendum nobis non arbitramur, quia æquum est ut omnis Ecclesia hodie exultet in terris, quam hodie Dominus levavit in cœlis. Ergo quia in divinis Scripturis nihil est [1] supervacuum [2], quantum divino munere possumus, divinorum verborum rationem videamus.

II. Jampridem enim hoc quod quadraginta potissimum diebus convescentem Scriptura Dominum cum Apostolis dicit, non otiose positum existimo, ita ut mihi quasi retributio quædam in hoc quadragesimæ abstinentiæ facta esse videatur [3]; ut [4], quicumque quadraginta dierum laborem Dei honore tolerassent, quadraginta nunc diebus quasi Domino hic posito et præsente gauderent, et quos timor Dei humiliasset, Dei nunc solatia sublevarent. Magna enim et ineffabilis merces, ubi eis qui tale aliquid agunt pro affectu suo, se ipsum Dominus tribuit in præmio. Unde æstimare ex præsentibus futura possumus, quod in quantum quis pro honore sui fecerit, in tantum præsentiæ [5] ipsius consortio non carebit.

III. Deinde illud quale est, quod ascendisset in cœlos Dominus, præsentibus multis videntibusque, cognoscimus; utique, ut illorum visio, nostra fides esset. Illi enim viderunt, ut nos crederemus; illi aspexerunt oculis corporalibus, ut nos animarum oculis cerneremus. Et hoc, non pauci aut viles homines, sed et multi, et probatissimi; ut hæc corroboraret eorum pluralitas testimonia, et confirmaret sanctitas veritatem. Etenim si in quibusdam causis, duobus aut tribus testibus creditur, quanto magis indubita-

[1] Codex *in ea ut;* quæ verba abundare videntur. — [2] Codex *ipsa in quantum;* quæ iterum abundant. — [3] Vide Serm. CCLXIII, n. 4; et Quæst. LVII, n. 2. De quadragenario numero uti sacramentum laboriosæ hujus vitæ, vide de Consensu Evangelist. lib. II, n. 9. — [4] Codex *utique*, male, ut videtur. — [5] Codex male *præsentiam.*

bilis esse veritas debet, ubi quod populo dicitur, populi testimonio comprobatur, et quidem populi fidelis ac sancti; neque enim ambigimus quod boni ac fideles fuerunt, qui ascendentem Dominum videre meruerunt. Quod illi viderunt, quasi cum illis nos videre credamus. Neque enim dubitare debet populus fidelium, cui testimonium dicit turba sanctorum.

IV. Huc accedit quod etiam duos Angelos astitisse plebi legimus præsenti ad prædicationem. Bene utique astitisse Angelos populo tunc Scriptura memoravit, ut agnosceremus quod ascendenti in cœlum Angelorum officium[1] occurrisset ad terras. In quo mihi etiam illud non prætereundum videtur, quod consimilis admodum honori dominicæ Nativitatis, est honor dominicæ Ascensionis. Nascituro enim Gabriel angelus mittitur; et nunc Angeli, Domino ascendente, mittuntur. Tunc stella indicat natum, nunc nubes suscipit revertentem. Tunc psallebant Angeli in terris, nunc testantur in terris. Tunc pastores audiunt, nunc populus intuetur. Tunc muneribus Magi honorant, nunc visu Apostoli prosequuntur. Sicut ergo tunc, nascente[2] Domino, honoris sacri testimonia non defuerunt, ita ascendente non desunt, ad confirmandam utique fidem generis humani; ut quem acceperant homines in carne assistentem, eumdem viderent in majestate ascendentem.

V. Rediit ergo ad cœlum, Dilectissimi, unde descendit. Rediit quidem, sed tamen et ad nos jamjam rediturus est. Quid enim præsens lectio docuit? « Viri Galilæi, quid » statis (*a*), » et reliqua. Si rediturum ergo Dominum nostrum credimus, Dilectissimi, nos expectare debemus, ne sic nos comprehendat adventus illius non suspicantes, si-

(*a*) Act. I, 11.

[1] Codex male *officio*. — [2] Codex per errorem *ascendente*.

cut comprehendit nunc castigatio delinquentes[1]; cohærentia[2] ergo præsentium, futurorum imaginem in se habet.

VI. Cavendum est ergo, Dilectissimi, ne si præsenti verbere non corrigimur[3], futura severitate damnemur. Sic enim Apostolus dicit : « Dominus sicut fur in nocte, » ita veniet (*a*), » et reliqua. Videtis, Dilectissimi, qui securitatem rei exitus et quæ supplicia consequantur. Quæcumque ergo perferre nolumus, quasi perferenda timeamus. Sic enim erit ut unusquisque non patiatur, dum timet esse passurum; et videns correctionem nostram pius ac misericors Dominus noster, et præsentia indulgeat et futura concedat; sitque indulgentia præsentium spes futurorum per vitæ nostræ emendationem, ut dum veniam de præsentibus capimus, etiam de futuris sperare possimus.

SERMO XLII.

Dominica infra octavam (forte Ascensionis.) De Beatitudinibus.

Duo Codices Cass. concordant in tribuendo hunc Sermonem sancto Augustino, nempe Cod. XVIII, *fol.* 307, *et Cod.* C, *fol.* 2. *Ad utriusque fidem emendatus habetur. Locus ejus post præcedentem.*

(*a*) 1 Thessal. v, 2.

[1] Vide Serm. CCLXXVII, n. 17, et Serm. CCLXV, n. 2. — [2] Codex male *cohæretico*. — [3] Id. *corrigere*.

SYNOPSIS.

I. Beatitudines a Christo in terram allatæ. II. Promissæ virtuti, non vitio. III. In finem perseverandum. IV. Per solam perseverantiam habetur corona.

I. Dominus noster Jesus Christus virtute [1] Patris « Ex» tendit cœlum sicut pellem (*a*); » fundavit terram super aquas, hominem propriis manibus plasmavit ad suam similitudinem, qui postmodum de vita [2], inimici suasionibus, devolutus est in mortem, et per innumerabilia sæcula regnante morte, ipse post modum ad terras venire dignatus est, ut nobis terrenis hominibus cœlestia seminaret; et nobis, calcato diabolo, ut [3] præcepta cœlestia fideliter exercentes in terra, in cœlis ab ipso recipiamus sempiterna, promisit pœnitentibus uno sermone regna cœlorum. Beatos dixit, non divites, sed qui propter regna cœlorum voluntarie fuerint pauperes. Itaque et mansuetis terram paradisi repromisit; lugentibus peccata, beatam consolationem; esurientibus et sitientibus justitiam, æternam saturitatem; misericordibus, beatam misericordiam; et mundis corde, suam visionem cum beatitudine præbendam [4]; pacificos vero non tantum labiis, sed corde puro, beatos et filios Dei repromisit; propter nomen vero suum patientibus persecutionem, non solum beatitudinem, sed et largiter repromisit regna cœlorum.

II. Unde, Dilectissimi, nobis tantas beatitudines repromissas, « Qui potest capere, capiat (*b*); » si tamen terrena infidelitate non deprimitur, convertat [5] omne desi-

(*a*) Psal. CIII, 2. — (*b*) Matth. XIX, 12.

[1] Cod. c male *virtutem*. — [2] Id. male *debita*. — [3] Id. male *ut nobis calcato diabolo præcepta*. — [4] Id. male *probentur*. — [5] Id. male *convertatur*.

derium ad cœlestia; quia « Regnum cœlorum vim patitur » et qui vi potiuntur, ipsi diripiunt illud (*a*), » non qui temporalia, sed qui futura desiderant. Et si quis est deditus avaritiæ in terris, convertat in bonum[1] avaritiam suam, et sit avarus in cœlo. Sed dicet aliquis : Quomodo amplius erogem, « Ut ibi centuplum recipiam (*b*), quia qui » parum seminat, parum et metet (*c*). » Amator qui erat luxuriæ, sit modo amator castitatis; qui ebrietate erat deditus, nunc sit sobrietatis amicus; qui superbiæ et malitiæ erat servus, nunc humilitatis et pietatis sit filius. Hoc est quod ait Dominus : « Regnum Dei intra vos est (*d*), » et inimici hominis domestici ejus (*e*). » Quomodo? audi Apostolum dicentem : « Si enim secundum carnem » vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mor- » tificaveritis, vivetis (*f*); » quia « Arbor bona bonos » fructus facit; ex fructu enim arbor cognoscitur (*g*). » Si ergo sumus arbores bonæ, id est homines justi, pii et fideles, ac misericordes, faciamus fructus justitiæ et sanctitatis; quia si fuerimus arbores malæ, id est, homines impii et dolosi, cupidi et peccatores, excidimur; id est in diem[2] judicii, divino gladio bis acuto, et in ignem æternum mittimur.

III. Ibi erit[3] discretio boni et mali, sicut audistis in præsenti lectione : « Omnis qui audit verba mea, et facit » ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum » suam super petram; descendit pluvia, et venerunt flu- » mina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, » et non cecidit; fundata enim erat supra petram (*h*). » Dominus enim noster, qui nos usque immobiles, et in

(*a*) Matth. xi, 12. — (*b*) Id. xix, 29. — (*c*) 2 Cor. ix, 6. — (*d*) Luc. xvii, 21. — (*e*) Matth. x, 36. — (*f*) Rom. viii, 13. — (*g*) Matth. vii, 19, 20. — (*h*) Ibid. 24, 25.

[1] Cod. xcviii minus bene *in bono*. — [2] Cod. c *die*. — [3] Id. *ibi enim*.

æternum, non per otium, sed per laborem salvos esse desiderat, post omnes beatitudines vel innumerabilia præcepta, novissime hanc conclusit parabolam, ut hic « Sal- » vus sit, qui perseveraverit usque in finem (*a*). » Domum enim quam significat ædificatam supra petram, quæ nullis adversis potestatibus potuit commoveri, fidem nostram in Christo firmam ostendere voluit, quæ nullis diaboli tentationibus commovetur, sed armis spiritualibus repugnando, triumphato hoste, coronam accipere meretur. Ergo domus est sancta Ecclesia, vel fides nostra, quæ est supra Christi nomen fundata, sicut ipse Dominus ait ad beatum Petrum apostolum : « Tu es Petrus, et su- » per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ » inferi non prævalebunt adversus eam (*b*). » Flumina sunt regna Gentilium, quæ fluctibus, id est, duris persecutionibus, vel pluviis, quæ sunt[1] populi gentium, vel etiam ventis, qui sunt diaboli spiritus, (hanc) evertere voluerunt, sed non potuerunt, quia fundata erat supra petram. Potius vero ipsa tempestas, illidendo confracta est, quam domus concussa.

IV. Ergo, Dilectissimi, nobis dum tempus est ædificandi, fundemus in Christo fidem nostram, et intrinsecus sanctis repleamur operibus, ut cum venerit tempestas, qui est hostis occultus, confringatur potius quam evertat. Et nunc hostis vobiscum est; intus in pectore latet, sicut Apostolus ait : « Adversarius vester diabolus tanquam » leo rugiens circuit quærens quem devoret (*c*). » Nunc blandimentis seducit, ut decipiat fidem nostram; nunc adversis tentat propositum nostrum, si potest evertere; nunc cogitationibus malis insistit, si potest movere cur-

(*a*) Matth. x, 22. — (*b*) Id. xvi, 16. — (*c*) 1 Petr. v, 8.

[1] Cod. c pessime *populis, quæ est.*

sum nostrum. Unde, Dilectissimi, ex nobis [1] qui in prosperis sapienter et firmiter ædificaverit, in adversis non tantum fortior, sed et laudabilior invenitur, quia « Cum » probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromi- » sit Deus diligentibus se (*a*). » Nam super arenam quæ est domus ædificata, hi sunt, qui aut dubia fide sunt, aut etiam sunt hæretici, aut falsi christiani, aut non custodientes propositum continentiæ vel castitatis, et aliud sunt in occulto, aliud coram hominibus. Et quia semper fuerunt mobiles, sicut arena, cum venerit tempestas, funditus evertentur, quia stare non potuerunt, et « Fiet ruina animæ eo- » rum magna (*b*)[2]. » Unde, Dilectissimi, vigilando satis agendum et laborandum est, dummodo per Christum adversa superemus, et æterna prospera consequamur : qui vivit et regnat cum Patre Deus, in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIII.

In Die Pentecostes I.

Legitur in Cod. Cass. CVI, *fol.* 222, *cum nomine sancti Doctoris ; nihil occurrit quod dubium afferre videatur. Ponatur post Sermonem* CCLXXI, *cum numero in die Pentecostes* VI.

(*a*) Jac. I, 12. — (*b*) Matth. VII, 27.

[1] In duobus Codicibus non legitur *ex*, quod videtur necessario supplendum. — [2] Duo male habent *magnæ*.

SYNOPSIS.

I. Exordium de gratia festi. II. Discipuli, sancti Spiritus gratia ebrii. III. Apostoli tribus Pueris in fornace comparati.

I. Felix est dies hodierna, Fratres charissimi; amabilis est et grata [1], in qua a Domino Discipulis sunt impleta promissa. Rogo ergo vos in unum, dilectissimi Fratres, ut mihi orando impendatis adjutorium ad divina explicanda, quæ intendo, et veniam peto, si alicubi offendo.

II. Solemnitas enim Paschæ pervenit usque ad finem, non perdens jucunditatem, sed præparans dignitatem: ut enim fuit initium gratiæ, sic hodie finita est laus canticorum. In una enim domo collecti erant Apostoli nostri, expectantes adventum Spiritus sancti, et ecce subito fit cœlorum sonus, et a Discipulis Judæorum tollitur onus. Cum multis, inquit, verbis locuti essent Discipuli, credebantur ebrii, qui videbantur mane jejuni. Nec immerito talis de cœlo lapsus est gustus, quia vitis dictus est Christus. Sic enim ait: « Ego sum vitis, et Pater meus « agricola (*a*). » O vinum ebrietate sobrium, quod crapulam fidei eructabat! O vinum ex vite solemni calcatum, sed de botryone divino confectum! Digna similitudo! quemadmodum botryo ille portabatur a stipite, ita Christus pendebat in cruce. Erant enim Discipuli, sancti Spiritus pleni; Spiritus enim sanctus, qui ipsam Virginem Mariam gravidaverat, sed non violaverat, ignis super Apostolos descenderat, sed nec capillos eorum incenderat.

III. Quod aliquando in tribus Pueris fecerat, nunc hodie Christus amplius in duodecim fecit Apostolis. Illi enim

(*a*) Joan. xv, 1.

[1] Vide Serm. CCLXXI, n. 1, et CCCLXXVIII, n. 1.

tres Pueri in caminum ignis mitti potuerunt; ligati caminum introierunt, sed in flamma soluti deambulaverunt. Regem ferocissimum ad fidem converterunt : propter istorum autem miraculum Apostolorum tria millia hominum crediderunt. Sed illud, Fratres, quomodo animo occurrit meo, pro solemnitate et gaudio nullatenus vobis reticere debeo. Certe sicut majores tradiderunt, in ista fornace flamma ab ostio ejusdem fornacis quadraginta novem cubitis fundebatur, quod erat numerus quadragesimus in septem hebdomadarum mysterio dedicandus [1]. Septies enim septem quadraginta novem faciunt. Ubi est ergo dies unus? Ipsum quæramus, ut compleatur numerus quinquagesimus. Intus erat, erat dies iste in camino ignis cum tribus psallentibus Pueris, et refrigerium donans roris, et flammam extinguens ardoris. Videntes autem ministri fornacis rem insolitam, dicunt regi : O rex, veni et vide. Caminus sulfure et bitumine incenditur; flamma exaltatur; corpus non ustulatur; ad hoc et numerus multiplicatur. Audiens autem rex venit cum summa alacritate, et antequam intenderet in fornace, lux ei ante radiabat in corde, dixitque amicis suis : « Nonne tres viros ligatos misimus in fornacem? » Et dixerunt regi : Vere est (*a*). » Et rex plenus fide ait illis : Sed ecce ego video quod vos non videtis. Ardor est nescio quis, qui est lux intus in anima mea. Amici mei esse potestis, sed in cor meum [2] introire non potestis. Video ego, inquit, quod vos non videtis; video rem admirandam et miram. Caminus enim, qui consueverat homines igne cremare, didicit Angelos generare. Jam finiatur amicitia vestra, quia fides est amica in anima mea. Nolo, inquit, sitis amici mei; non habeo fidem sermonibus vestris; Deum video oculis meis; visione magnifica repleti

(*a*) Dan. III, 91.

[1] Vide Serm. CCLXVIII, n. 1. — [2] Cod. male *in corde meo*.

sunt oculi mei, quia visus istius quarti similis est Filio Dei. Certe, o amici mei, vos scitis mecum, quia tres missi sunt in caminum; quomodo ergo quatuor ambulant in incendio[1] ? Quid est hoc ? ignis in me divinus ingreditur ; amicitia vestra a me expoliatur, et fides amica subsequitur. Hanc fidem, Fratres, cordibus teneamus, ut sanctum Spiritum cum Apostolis teneamus.

SERMO XLIV.

In die Pentecostes II, sive de adventu Spiritus sancti.

Hic Sermo est Sermonis CLXVII *Appendicis supplementum, qui S. Augustino abjudicatur a Maurinis, sed, ut videtur meæ mediocritati, perperam. Nam* 1° *Codex noster et Florentinus habent sancti Doctoris nomen;* 2° *fragmentum a Maurinis citatum, cum eorum pace dixerim, nihil habet auctoris cujusdam ignobilis, imo plurimum sapit Augustinum;* 3° *supplementum hoc nostrum totum Augustinum repræsentat, ut patet ex notis. Eruitur ex Cod. Cass.* XII, *fol.* 207. *Locus ejus in Editis post præcedentem cum numero in die Pentecostes* VII.

SYNOPSIS.

I. Comparatio Apostolorum et Puerorum in fornace. II. Apostoli linguis loquuntur ; eorumdem gloria. III. Montis Sina et Cœnaculi collatio. IV. Epilogus.

I. Fratres dilectissimi, quadragesimum nuper diem solemniter celebravimus, in quo quadriformis totus lætus est

[1] Cod male *in incendium.*

mundus. Sed quasi denario[1] a quatuor cardinibus sacramento perfecto, vicini facti sumus cœlo et Spiritui sancto, ut propter sanctificationem orientis, occidentis, aquilonis, et austri[2] sanctus Spiritus quinquagesimo descenderet die, linguarum cœlestium rutilans ignea sanctitate; sed ipse ignis purgavit potius quam cremavit[3], et super linguas refrigerio sanctificationis insedit, quia ipse flammas in camino restinxit. Novit Spiritus sanctus ignem facere amœnum, qui reddidit amœnatum rorante flamma caminum. Delectat attendere labia Apostolorum, delectat attendere etiam ora stillantia Puerorum; igneas utrobique fecit linguas, et super Apostolos, et super Pueros. Ipse est enim qui sanctificavit patres, et nobis linguas fecit loqui cœlestia piscatorum[4]. Quis non stupuit ad ora Puerorum deambulantium in plateis flammarum, cum dicerent: « Benedictus » es, Domine Deus patrum nostrorum (*a*). » Stupuerunt attonita mirantium labia Chaldæorum et organa innocentium insolito modo cantantium. Persica pontus contremuit illos inter ignis[5] lucentes et ludentes spatium, atque barbaricis conspectibus facientes Persas attendere, et novos hymnos audire; sicut modo delectabat convenientes ex omni sæculo nationes Apostolorum linguas attendere, omnes sua labia recognoscentes, quia Spiritus sanctus de diversis novit facere unitatem[6]. Attendebat unusquisque linguas proprias cognoscentes, et Apostolos toto sæculo concordantes.

II. Oportebat enim eos[7], qui totis fuerant prædicaturi gentibus regnum, omnium linguas gaudere facere na-

(*a*) Daniel. III, 26.

[1] Vide Serm. CCLXX, n. 6. — [2] Id. CCLXVI, n. 6. — [3] Id. CCLXIX, n. 1. — [4] Codex male *piscatores*. — [5] Id. *persica pon* (sic) *contremuit. Illos inter igne lucentes et ludentes spatium, quæ*. — [6] De unitate vide omnes Sermones in Pentecoste. — [7] Codex male *ut qui*.

tionum. Una lingua loquebatur, et ab omnibus intelligebatur, et erat velut manna de cœlo, quod in una erat specie, et desiderantibus exhibebat diversum variumque saporem. Ipse enim erat, qui hoc agebat, qui suam donat omnium in unitate notitiam. Sicut enim ipse Spiritus sanctus unus est Deus, et dona multa dignatur refundere sine donorum distinctione, ita una lingua erat et omnis qui aderant cognoscebant. Delectatur visus, delectatur et sonus, quia rixare talis non novit intellectus; quasi regalia[1] diademata super frontes labiaque pinxerat piscatorum. Rex enim est qui de cœlo descendit; ideo sedit super labia eorum tanquam super thronum suum, quia in illis collocabat, id est, proprium dominatum. Istud bene novit Spiritus sanctus, qui semper est Deus in filiis et in patribus, in prophetis et in piscatoribus; in alto semper diligit requiescere.

III. In superioribus Cœnaculi invenit Apostolos, et scripsit Legem in mentibus eorum, qui in alto monte Legem in tabulis scripserat : in tabulis lapideis propter duritiam cordis Judæorum; at nunc in mentibus Apostolorum : quia ibi terror, et hic amor. Ibi scripsit Legem cum fulgore præmicante; hic instruxit Apostolicas linguas in igne refrigerante. De monte illo fugiebant populi, ne vocem Dei terribiliter loquentis audirent; hic omnes de toto sæculo nationes non fugiunt, sed conveniunt audire loquentem in organis suis Spiritum sanctum.

IV. Audistis nominatos Parthos, Medos, Indos et Persas, Cretes et Arabes, ac cæteros quos lectio Actuum Apostolorum nominavit; totus mundus ibi erat, quadragesima dies Ascensionis Domini eos congregaverat : quia decem præceptorum numerus totam auctoritatem Scrip-

[1] Codex male *regula*.

turarum complectitur in orbe terrarum. Ideo quatuor deni faciunt quadraginta, superest alius denarius, qui est vitæ æternæ denarius, ut mercedem de pignore sancti Spiritus acciperent Piscatores. Inventum est, impletum est quod promissum est. Data est denarii pretiosi decima sacramenti arrha; superest quinquaginta dierum gratia promissa, et perfecta lætitia. Conclusum est Pascha, tacet Alleluia; sed non cum mœstitia; quia pignus sancti Spiritus accepimus pretiosum: ut quotidie habeamus ipso habitante solatium, ut cum Christo vivamus, et per ipsum ad Pascha venturi temporis incolumes iterum veniamus.

SANCTI AURELII AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

SERMONES INEDITI.

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XLV.

De Castitate Joseph Patriarchæ.

Extrahitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 103. *Manifestus est sancti Augustini stylus; nomen ejusdem in Codice præfigitur. Ponatur inter Editos ad principium Classis* III *de Sanctis ante Sermonem* CCLXXIII.

SYNOPSIS.

I. Introductio ad Josephi historiam. II. Joseph venundatur in Ægyptum serviturus. III. Joseph tentatur. IV. Joseph tentationem victor repellit. V. Joseph calumnia probatur, et præparatur ad futuram exaltationem.

I. Condecet[1], Fratres, agonem hujus certaminis enarrare, in quo Joseph meruit arietem libidinis superare.

[1] Cod. male *non decet.*

Condecet occulta declarare certamina, quia custodia martyrum magnam fecit victoriam. Non debet celari quomodo potuit inimici subtilitas superari, quia dum fuerit declaratum, tunc castitatis amatores incipiunt confortari. Ista enim certamina prœliantibus magnam præstant audaciam, unde necesse est ut castis reddatur, et pudicis exponatur, ut dum Joseph pro castitate coronatur, et victa Ægyptia superatur[1], diabolus semper in omnibus confundatur.

II. Igitur beatus iste Joseph erat nobili genere ortus, juvenis in ætate, pulcher corpore, et pulchrior castitate. Hic invidia fratrum Ismaëlitis puerulus venundatur, cujus fratres vel divitias nescientes vendiderunt[2], et vile mancipium in Ægyptum[3] perducunt venale. Iterum proponitur, semel nascitur[4], et secundo distrahitur, venditur, comparatur, non servituti damnandus, sed ad magnam gloriam destinandus. Non enim Joseph hominis imperio subjugatur, in quo sic castitas gloriatur, quia etsi denuo venundatur, sed libertas in eo nunquam penitus minoratur. Servus venditur, et dominus collocatur. Latet pariter et potestas; humilis erat puer, crescebat, dominis fideliter serviebat, et dignitas in moribus refulgebat; portabat in animo puritatem, occultabat in genere dignitatem, et ostendebat in moribus libertatem. O vilis distractio et magna comparatio! Servus et liber; servus pro invidia, liber pro justitia; servus ne dissipet charitatem, liber ut vindicet castitatem. Servit fideliter et pugnat audaciter. Exercuit fidem, et meruit ad majorem gloriam pervenire. Et ideo dominatur dominus, quia dum eum

[1] Abundat particula *et*, quam delevimus. — [2] Verba *vile mancipium* reperiuntur in S. Ambrosio, de Josepho Patriarcha, Expos. in Psal. cxviii, n. 31, fol. 535. — [3] Codex male *in Ægypto*. — [4] Sic Codex evidenter mendose; forte *in cisternam injicitur*.

infelix mulier in occulto tentavit, domini sui fidem ex integro conservavit[1].

III. Venundatur igitur Joseph castissimus, in æ ia domo traditur, Pharaoni regi[2] fideliter serviturus. Diligitur a domino, et amatur a domina. Sed domini sincera dilectio, quia ille pro fide puerum diligebat; nam illa causa libidinis amplectebat. Dominus in fide probata lætabatur, et domina in decore corporis angebatur. Crescente autem tempore, crescebat et juvenis pulchritudo. Et quantum ille crescebat in corpore, tantum Ægyptiam pro crimine amor urgebat ad libidinem; quæ cum diutius jam ferre non posset igneum caloris ardorem, splendentis juvenis inflammata decore, cogitat, diabolo immittente, quomodo posset innocentem solitarium capere in silentio. Cœpit ergo primitus meretrix semetipsam aptare, putans juvenis animum facile inclinare; aromatibus pretiosis vestem fumigat; unguento mortifero corpus inundat; ita ut, antequam oculis videretur, si homo ferreus esset, odoribus facile moveretur. Sed ipsius athletæ luctamen, Fratres, primitus declaremus, quomodo pugnavit, vel qualiter adversa tentamenta fortissimus superavit. Primitus eum juventus propria provocabat; secundo libido intrinsecus titillabat; foris vero mulier expugnabat, omniumque bonorum copiam promittebat, quando adversus eum aditum inquirebat, quia desiderio suo satisfacere cupiebat. Cumque se impudens fœmina tantis illecebris circumdata, minime cerneret juvenem capere posse, ipsa etiam per se ipsam in cubiculum ingressa, dum intrantem intrinsecus cernit, conclusit juvenem, solitarium

[1] Vide Sermones CCCLIX, n. 3, et CCCXLIII, n. 6, 7, 8. — [2] Non Pharaoni regi, sed ejusdem Spadoni, ut dicit Augustinus Quæst. in Genes. Quæst. CXXXVI. servivit Joseph. Unde credendum est aut sanctum Doctorem loquendo lapsu memoriæ, aut amanuensem scribendo attentionis defectu errasse.

comprehendit; stetit in fauce libido; fit longa certatio, in qua Angelorum et dæmonum præsto est expectatio. Expectant utrique exercitus, utrique certatim[1] libidinem et castitatem pugnantes sustinent, quis de duobus vincere potuisset. Joseph desursum Angeli confortabant, Ægyptiam deorsum dæmones provocabant; illi juvenem protegebant, illam dæmones compellebant. Et quantum in illa ardorem corporis dæmones suscitabant, tantum Christus suo militi duplicata arma desuper ministrabat. Nec poterant pestifera blandimenta casta concutere fundamenta; quia ut non moverentur occulta secreta, Joseph fundatus fuerat super petram. Alloquitur itaque impudens fœmina conclusum in cubiculo juvenem, primitus verbis[2] minacibus terrens, et sic postea blandimenta ostendens : Domina sum, inquit, tua, et maxima pecunia te mihi in famulum comparavi; qui nisi consensum dederis, vincula te manebunt, et carceres, atque exitus implacabiles; si vero consenseris, in honore maximo eris, et omnia in tuo dominio obtinebis. Sed forsitan domesticos times, aut virum meum metuis; non timeas, non verearis; nullus videt, nullus inquiret. Ignorat vir meus quid cogitavit animus meus. Cognosce eum latere; tantum festina quæ postularis implere. Nullus scire potest secretum, nullus negotium, cum fuerit adimpletum. Accommoda jam animum, et meo desiderio præbe solatium. Omne tibi tradam imperium, si meum modo impleveris desiderium.

IV. Et Joseph : O mulier, inquit, pestifera, serpens et vipera, quid blandimentis laqueum præparas, et mei animi devotionem exagitas? Quid dicis? quid quæris? ad quid hortaris? Per quid in tantis illecebris fatigaris? Regina vocaris, et cum servo te commiscere delectaris? Si

[1] Codex male *utrosque certatio*. — [2] Deest in Codice vox *verbis*.

servum comparasti, exerce dominatum; si prædilectione amplecteris, æstima tanquam ex tuo utero procreatum, aut computandum[1], aut dilige comparatum, et vivente marito, noli irruere in peccatum[2]. Servus equidem ego nunquam fui, sed sum nobili genere ortus, nepos Abrahæ et Isaac, qui cum Deo familiari fiducia loquebantur. Pater mihi Jacob, qui cum Angelo colluctatus est. Nam quod venundatus sum tibi, fratrum fecit invidia; fraternitas mihi contulit omnia, sed animæ libertas non tenetur obnoxia; quia etsi in nomine servitus comprobatur, sed occulta libertas intus in pectore conservatur. Venundatus sum tibi, et ego fateor, dico, non denego qui sum[3]; quæ jusseris obedio et observo; ad istud vero non acquiesco. Impone quæcumque volueris gravia, et faciam. Exerce dominium, habeo mecum divinum auxilium. Ostende potestatem, injice feritatem, nam meam non pollues castitatem. Sine causa tu pugnas mecum, non dormio tecum, quia est Deus vigilans mecum[4]; desine, Mulier, desine; quid dicis maritum absentem, de tuo crimine nescientem[5], et non vides Deum ubique præsentem? Clausa est janua, sed cognosce, Domina, quia Deo nota sunt omnia. In omni loco oculi ejus speculantur bonos et malos. Omnia cernit, omnes discernit; omnium prospicit desiderium, sub cujus astamus imperium; et præsente ipso habeo committere adulterium? Sile jam, Mulier, sile; recordare virum tuum, et time Dominum tuum. Habeto præ oculis cunctorum præsentiam, et noli provocare ad facinus innocentiam. Time judicium Dei; præsentes sunt Angeli Dei.

[1] Phrasis hæc omnino vitiosa; scriptum fuisse primitus ultro crederem : *Aut cum pudore dilige comparatum.* — [2] Vide Serm. CCCLIX, n. 3. — [3] Codex male *quæ*. — [4] Augustinus in Sermone CCCXLIII, n. 5, eadem verba repetit : *Sæpe enim absens est maritus, semper est præsens Deus.* — [5] Codex male *marito absente... nesciente.*

Jam non potes maculare decorem corporis mei. Quiesce, quiesce, et in tali opere obmutesce, aut absentes homines erubesce, aut præsentes Angelos contremisce. Sed ecce jam talis sum, et consentio tibi; quomodo jam domina eris, aut quale dominium adultera obtinebis? Quibus oculis maritum tuum post factum aspicies, cui insidias præparas? quibus amplexibus solito more constringes, quem interficere cogitas? quibus sermonibus alloqueris, cujus cubile infelix violare conaris? Imitare, Mulier, imitare turturem, castam, pudicam, veram, quomodo fidem servat integram. Illa enim uni viro conjuncta, alterum non requirit; etsi morte præventus fuerit, ad alium non accedit. Aves fidem diligenter possunt servare, et mortuo primo marito, non patiuntur ad alterum declinare; et tu, Mulier infelix, torum regalem festinas ab extraneo violari? Attende ad avem pudicam, et serva fidem marito. Imitare, Impudica, turturis castitatem, et immuta ab scelere voluntatem; nam meam non poteris seducere tuis blandimentis ætatem. Ista Joseph dicebat, et plus in Ægyptia ardor libidinis exurgebat; cumque jam fixum juvenem cerneret, et nullum affectum suis seductionibus carperet, amplius quam cœperat sævit. Et dum verbis perseverando concludit[1], conclusum sibi stans manibus apprehendit. Tunc athleta Christi[2] detentus, dum non inveniret qualiter posset mulierem impudicam evadere, vestem, qua opertus erat, in manibus ejus fugiendo dimisit, nudusque ab scelere foras exivit, et mulierem inanem intrinsecus dereliquit.

V. Remansit Ægyptia rea, vestem in manibus ferens, et eam pro falso testimonio tenens; stetit plena confusione, reatui obnoxia, inanis et vacua. Evadit Joseph, vestimento relicto. Exultant Angeli, lætantur Archangeli, tripudiant

[1] Codex male *condit*. — [2] Non immerito dicitur *athleta Christi* venturi.

cœlestes amici, et torquentur de victoria dæmones inimici. Angeli in cœlis exultant cum lætitia, et dæmones in terris remanent cum tristitia. Cumque se illa videret in omnibus superatam, conversa ad virum suum, quod vincere non potuit, aliud simulavit, et castum juvenem marito mentiens accusavit. Vertit crimen in alio, quod habebat. Dicit de illo quod ipsa facere cupiebat; et inauditum condemnat, quia non potuit perficere quod quærebat. Audivit maritus falsam uxorem, et facile vertitur in furorem. Minatur, furiatur, ad magnam iracundiam excitatur, et jubet ut in carcere includatur. Intrat ligatus in vinculis præliator, somniorum mirificus declarator. Intrat hilaris, lætus, mundus et purus, de castitate semper securus. Fit tamen tarditas, dum probatur; sed ut jam oblivio repellatur, Pharaoni regi somnus datur, ut Joseph de carcere velociter reducatur. Creditur ut somnium disserat. Dicit futura, pronuntiat et ventura; omnia declaravit, et Pharao principem per omnem terram Joseph in famis tempore collocavit. Per castitatem Joseph liberatur, per castitatem humilis exaltatur, per castitatem innocens coronatur; per ipsam imperat, per ipsam exultat[1], per ipsam justus efficitur in terris, quia per ipsam[2] nunc tripudiat coronatus in cœlis.

[1] Codex male *exaltat.* — [2] Id. *per ipsa.*

SERMO XLVI.

De Zachæo.

Eruitur ex Codice Cass. XCVIII, *fol.* 311, *ubi reperitur cum nomine sancti Augustini, cui certo tribuendus. Locus ejus in Editis post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Zachæus exactor, vocatur ad Christum suscipiendum. II. Zachæus reddit aliena, et sua donat. III. Zachæus factus filius Abrahæ. IV. Exhortatio ad ejus imitationem accendens.

I. « Ingressus Jesus perambulabat Jericho; et ecce vir » nomine Zachæus, etc. (*a*).» Audivimus modo Evangelii capitulum, Zachæi gestum, ut ex ipso ejus merito, et Christi Domini liberale proferamur exemplum[1]. Ascendit in arborem Zachæus, ut Christum Dominum ex alto conspiceret quem humilis in brevi statura, videre non poterat; cupit nosse aspectu, quem noverat sensu; videre facie, quem viderat mente. In arbore stabat, sed impensurum Christum in arbore crucis, oculis fidei prævidebat. Transeuntem Dominum vidit, sed plus eum Dominus vidit; denique quod ipse petere non audebat, Dominus offerebat. Cum in arbore divina majestas[2] aspiceret, et eum videret, dixit: « Zachæe, festinans descende, quia hodie » in domo tua oportet me manere (*b*). » Promittit se

(*a*) Luc. XIX, 1 et seqq. — (*b*) Ibid. 5.

[1] Vide Serm. CLXXIV, n. 3, 4, 5; et Serm. CXIII, n. 3. — [2] Codex male *divina majestatis*.

Christus ad ejus domum venturum, cujus desiderantis jam possederat animum. Venit ad Zachæum Dominus, spirituales epulas præparantem, ut cujus fidem jam (non) solus noverat, ejus meritum cunctis præsidentibus demonstraret. Suscepit Deum gaudens; intravit Dominus in domum ejus, qui jam intraverat in cor ejus.

II. O felicitas sancti Zachæi[1]! quem de arbore cupiebat, præsentem hospitem in domo gaudebat. Denique advenienti munus gratissimum offert : « Ecce, inquit, dimi- » dium rerum mearum do pauperibus; si cui aliquid de- » fraudavi quadruplum reddo (*a*). » Totum quod habuit Zachæus obtulit. O miranda Zachæi devotio! Substantiam suam in duas divisit partes; pars proficit in misericordia, pars redditur pro rapina[2]. Non vult enim apud se quidpiam rapinarum retinere, ut possit Christi judicio plus placere, qui ex fraudibus veniam, et ex misericordia protulit gloriam. Unde Dominus Christus ejus prosequitur laudem, probat fidem, honorat ejus in munere devotionem : « Amen, inquit, dico vobis, quoniam salus hodie » huic domui a Deo facta est, quoniam et hic vere filius est » Abrahæ (*b*). » Accepit domus salutem per fidem, quam perdiderat aliquando per fraudem.

III. Lauda et exulta, Zachæe, quia hoc tibi præstitit sycomorus; sycomorus genus est pomorum non ita in Africa notum[3]. Sycomorus enim ficus fatuæ sunt. Quare ergo vidit Zachæus Christum? Quia non horruit crucis opprobrium : hoc enim tanquam stultum et fatuum ab hominibus videtur, Deus suspensus, Deus crucifixus; sed Zachæus non expavescit, quia « Quod stultum est Dei, sapientius » est hominibus (*c*). » Fuit Zachæus Abrahæ filius fide

(*a*) Luc. XIX, 8. — (*b*) Ibid. 9. — (*c*) 1 Cor. I, 25.

[1] Vide Serm. XXV, n. 8. — [2] Id. XIV, n. 2, et Serm. XXXIX, n. 6. — [3] Id. CLXXIV, n. 3. Nota sermonem hunc in Africa habitum.

non genere ; merito, non sobole ; devotione, non stirpe. Primo Zachæus, ut videret Dominum concupiscit ; ut concupivit, ita et vidit. Sic et « Abraham pater vester concu- » pivit videre diem meum, vidit, et gavisus est (*a*). » Zachæus Dominum suscepit, ut excepit Abraham ; sed Abraham suscepit cum Angelis, Zachæus cum Apostolis : ille pergentem ad Sodomam, hic transeuntem per Judæam : sed Abrahæ benedictio [1] meruit filium ; Zachæum vero in filiorum transtulit numerum : Abraham Domino filium obtulit ; Zachæus substantiam obtulit : ille hæredem, hic hæreditatem : ille quod habuit pignus immolavit ; hic patrimonii sui substantiam exhibuit. Ante rerum suarum cum Christo partitus est patrimonium, et sic eum Dominus Abrahæ fecit filium. Si ergo iste merito laudatur, qui antequam acciperet beneficium cum Domino Christo partitus est patrimonium, quantum debet justificatus et redemptus sanguine Christi.

IV. Ecce prædixi : tu vero, quicumque es, hoc imitare ; si vis pertinere ad patrem, fac quod Zachæus fecit, et mereberis quæ ipse meruit. Similitudo enim officiorum similitudinem exhibet meritorum. Non potest esse filius, quem diversi separant actus ; non potest censeri nomine, qui fuerit diversus in opere. Primo unde tibi nomen imponis, quem nec actus, nec natura commendat ? unde tibi filii nomen imponis, quem nec fides nec genus probat, nec prosapies indicat ? Munere enim Dei et dono in te est, ut possis, quia in te est, ut velis, quia Zachæus idcirco Deo donante potuit, quia ipso jubente voluit. Ergo nos, Fratres charissimi, de sua quisque substantia non habentibus largiatur, nec excuset se aliquis dicens : « Aurum, argen- » tumque non habeo (*b*). » Deponite istam excusabilem

(*a*) Joan. VIII, 56. — (*b*) Act. III, 6.

[1] Cod. male *benedictionem... Filius ;* et post *Zachæus.*

rationem ; misericordia parva est, sed corona sublimior, quam, si quis vel modicum panis esurienti et calicem aquæ sitienti porrexerit, tantum in nomine Domini, merebitur, quod Zachæus meruit.

SERMO XLVII.

In Natali martyris Vincentii I.

Habetur in Cod. Cass. XII, *fol.* 317 ; *nomen sancti Augustini præfigitur, cui minime videtur abnegandus. Ponatur inter Editos post Serm.* CCLXXVII, *cum numero in Natali Martyris Vincentii* V.

SYNOPSIS.

I. Vincentii fortitudo. II. Fortitudo Martyris a Deo. III. A Domino petenda. IV. Passiones transeunt, minime transit gloria.

I. Vincentii, martyris sancti, fortissimam et gloriosissimam passionem celebrare Christus solemniter jubet, et segniter prædicare videmur. Animo et cogitatione conspeximus quanta pertulerit, quæ audierit, quæ responderit, et quodam modo ante oculos nostros mirandum spectaculum constitutum est[1]. Judex iniquus, tortor cruentus, martyr invictus, crudelitatis pietatisque certamen, et hinc insania, inde victoria. Lectione personante in auribus nostris, exarsit charitas in cordibus nostris ; amplecti et osculari, si fieri potest, dilaniata membra vellemus, quæ tantis pœnis sufficere mirabamur, et inexplicabili affectu, qui cruciari nolebamus. Quis enim velit sævientem videre

[1] Vide Serm. CCLXXV, n. 1.

carnificem, et hominem in corpus humanum, humanitate amissa, furentem? quem cernere deceat[1] divaricatos artus machinatione tormenti, naturæ figuram arreptam, ossa extendendo separata, exarando nudata? quis non adversetur? quis non exhorreat? et tamen hæc omnia et horrenda justitia Martyris pulchra faciebat; et ipsa pro fide, pro pietate, pro spe futuri sæculi, pro charitate Christi tam mirabilis fortitudo tetram et funestam tormentorum et vulnerum faciem decore gloriæ perfundebat.

II. Denique in eodem ipso uno spectaculo studia cum persecutore divisimus. Illum delectabat Martyris pœna, nos causa; illum quia patiebatur, nos quare patiebatur; illum cruciatus, nos virtus; illum vulnera, nos corona; illum quod in doloribus diutissime tenebatur, nos quod minime frangebatur doloribus; illum quia[2] vexabatur in carne, nos quia permanebat in fide. Itaque illum, ubi sua pascebat immanitas, ibi torquebat Martyris veritas; nos autem horrenda quidem jubentem vix ferebamus, sed deficiente vincebamus Vincentio. Nec noster tamen ipse luctator in se ipso aut per semetipsum extitit victor, sed in illo et per illum qui pro omnibus exaltatus præbet auxilium, qui pro omnibus passus reliquit exemplum. Ille exhortatur ad prælium, qui ad præmium vocat, et ita expectat certantem[3], ut laborantem adjuvet. Athletæ suo ita præcipit quid faciat, et proponit quid accipiat, ut etiam, ne deficiat, subveniat[4]. Oret ergo simpliciter qui simpliciter vult certare, superare perniciter, regnare feliciter.

III. Audivimus loquentem conservum et persecutoris linguam constantibus et veracibus responsionibus convincentem; sed prius audivimus Dominum dicentem[5]: « Non » enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri,

[1] Codex *debeat*. — [2] In Cod. deest *quia*. — [3] Ibid. abundat vox *et*. — [4] Codex male *subvenit*. — [5] Vide Serm. CCLXXV, n. 1.

» qui loquitur in vobis (*a*). » Ac per hoc iste ideo superavit adversarios suos, quia sermones suos in Domino laudavit. Noverat dicere : « In Domino laudabo verbum, in » Domino laudabo sermonem ; in Deo sperabo, non timebo » quid faciat mihi homo (*b*). » Vidimus Martyrem immania tormenta patientissime tolerantem ; sed Deo subjiciebat animam suam [1]. « Ab ipso enim patientia » ejus (*c*) » ; et ne humana fragilitas, per impatientiam deficiens Christum negaret, et in gaudium veniret inimici, sciebat cui diceret [2] : « Deus meus, erue me de manu » peccatoris, de manu legem prætereuntis et iniqui, quo- » niam tu es patientia mea (*d*). » Sic enim significavit, qui cantavit ista, quomodo Christianus petere debeat ab inimicorum erui potestate, non utique nihil patiendo, sed ea quæ patitur sustinendo patientissime : « Erue me de » manu peccatoris, de manu legem prætereuntis et iniqui. » Si autem quæris quomodo se velit erui, intende quod sequitur : « Quoniam tu es patientia mea. » Ibi est gloriosa passio, ubi pia est ista confessio, « Ut qui gloriatur, in Do- » mino glorietur (*e*). » Nemo itaque præsumat de corde suo, cum profert sermonem ; nemo de viribus cum tentationem suffert, quia et ut bona loquamur, ab illo est nostra sapientia, et ut [3] mala sufferamus, ab illo est patientia nostra. Nostrum est ergo velle ; sed vocati exigimur, ut velimus. Nostrum est petere ; sed [4] quod nescimus, quid petimus? Nostrum est accipere ; sed quid accipiemus, si non habemus? Nostrum est habere ; sed quid habemus, si non accipimus ? proinde « Qui gloriatur, in Domino glo- » rietur. »

(*a*) Matth. x, 20. — (*b*) Psal. LV, 11. — (*c*) Id. LXI, 6. — (*d*) Id. LXX, 4, 5. — (*e*) 1 Cor. I, 31.

[1] Cod. male *ejus*. — [2] Vide Serm. CCLXXXIII, n. 2. — [3] Codex bis male *ut*. — [4] In Cod. deest *sed*. Puncta confusa ordinare tentavimus.

IV. Dignus itaque martyr Vincentius a Domino coronari, in quo elegit et per sapientiam et per patientiam gloriari. Dignus solemni celebritate, dignus felicitate æterna, pro qua adipiscenda leve quidquid minacissimus judex terruit, quidquid carnifex cruentus infixit; transactum est quippe quod pertulit, non transiturum est quod accepit. Certe enim sic vexata sunt membra, sic viscera cruciata, tam crebro et tam crudeliter repetita tormenta, sic, sic quemadmodum facta sunt ista; et si fierent multo graviora, « Non sunt condignæ passiones hujus temporis » ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*a*). »

SERMO XLVIII.

In Natali martyris Vincentii II.

Eruitur ex eodem Cod. Cass. XII, *fol.* 318, *cum eodem nomine. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Martyris Vincentii* VI.

SYNOPSIS.

I. Vincentii coram Daciano fortitudo. II. Vincentius Daciani, vivens et moriturus, victor.

I. Magnum spectaculum, Fratres mei[1]. Certabant duo, sæviens et patiens, servus Christi Vincentius, et filius diaboli Dacianus. Perfidus in Martyris corpore sæviebat, sed nec sanctus Vincentius metuebat, quia Christum pro

(*a*) Rom. VIII, 18.

[1] Vide Serm. CCLXXIV, n. 1; CCLXXV, n. 1, et CCLXXVI, n. 3.

se pugnantem videbat. Vicit dum judicabatur, quia ab eo quem confitebatur, non relinquebatur. Interrogatus non dubitavit respondere, quod quærebatur, et auxit unde quæsitor[1] potius irasceretur. Inflammavit odium juventutis[2], ut gloria cresceret confitentis. Quid enim timeret Vincentius leonem in fremitu irascentem et rugientem, quia jam « leoni de tribu Juda (*a*) » hærebat, fortitudinem sibi virium ministranti. Jam itaque sumptis armis Christi invictus, sicut leo, fidebat Vincentius et clamabat : Mecum decertet pugna, si prævalet confidentia ; videbit me plus posse dum torqueor, quam ipse dum torquet. Sanctus Vincentius in exilium mittitur, et iter ad paradisum meditatur. Morte afficitur, et de vita meliore lætatur ; equuleo[3] extenditur, et fit clarior, dum a persecutore punitur. Existit[4] ante hominem judicem ; ante hominem stabat, sed in corde Deum judicem rogabat dicens : O antique hostis, humani generis inimice, quid in mea passione non facias, qui et Deum meum tentare voluisti, sed vincere non prævaluisti ; prostrata enim sicut bestia jacuisti. Non timeo, inquit, supplicia, quæcumque iratus impegeris[5] ; hoc magis mihi fortitudinis est, quod te fingis velle misereri. Insurge, Diabole ; percurrant omnes pœnæ fidem et fortitudinem ex anima christiana.

II. In furore et in ira sua, impius Dacianus ait : Vincere me non potest iste ; dum vivet, tormentis acerbissimis applicetur. O insuperabilis virtus ! o invicta animi fortitudo ! sanctus Vincentius torquetur, tunditur, flagellatur, exuritur, extentis membris crescit ad pœnam, cujus spiritus jam migraverat ad coronam. At ille qui quotidie victum se erubescebat audiri, ait : Prævaluisti

(*a*) Apoc. v, 5.

[1] Codex *quæsitur*. — [2] Ita Codex pro *sævientis*, ut mihi videtur. — [3] Codex male *exsulio*. — [4] Forte *stetit*, vel *extitit*. — [5] Cod. *impingeris*.

Martyris corpori; ecce jam territus ipse fatearis te in omnibus esse convictum, qui nec cadaver superare potuisti defunctum. Ecce perversa sævitia tua, sicut ipse dixisti, dum acrius persequeris, gloriosiorem facis. Quid et de corpore patientis convictus dicturus es? Audite, Fratres, quid dicat: Mergatur, inquit pelago; et tanquam diceretur ei: Quare? et ille: Ne erubescamus, inquit, sine causa pugnare. O insania furore cæca! hoc[1] impius, perfidus et insatiatus Dacianus non intellexit; qui potest ab inferis animam revocare, non potest a mari Martyrem suum liberare? Victoriam[2] ejus, inquit, vel maria celabunt. Quomodo celabunt eum, quem cum honore suscipiunt. Audi Prophetam clamantem et convincentem: « Ipsius » est mare, et ipse fecit illud, et aridam terram manus » ejus fundaverunt (*a*). » Sequere, sævissime Diabole; fac Martyrem nostrum et in alio elemento esse gloriosum, et te in omnibus esse confusum ac superatum. Ecce mare obaudivit, et tu surdus es; ecce ventus cessat, et tu sufflas; ecce undæ cum tremore surripiunt, quem nautæ tuo præcepto projiciunt; ecce fluctus cum summo honore, velociori Dei gubernante manu, tuos remiges ad portum præveniunt, et Martyris corpus ad honorificentiam sepulturæ jam reddunt. Ecce in mari tanta tranquillitas, et te, Nefandissime, magna possidet iniquitas. Quid agis, humana jam rabies, ubi unda revocat mortuum? quid agis, scelerata feritas sæva, ubi aquæ revocant sepulturam? Perdidit misera crudelitas, quod tenebat; lugeat nunc Daciani sæva perfidia, quæ dominicam non potuit recordari potentiam[3]. Magnum se gaudebat reperisse consilium, cui nec aqua voluit præbere consensum; male commendavit miser desideria sua; vel mare eum docere

(*a*) Psal. xciv, 5.

[1] Codex male *o*. — [2] Id. *victoria*. — [3] Id. *dominica... potentia*.

debuit, qui contra Creatorem suum celare non potuit corpora[1]. O spectaculum suavissimum, videre certantem Martyrem contra imperium cogentis[2], in nulla pœna fide succumbentem, quia et vivus inimicum prostravit, et mortuus maria natavit[3]. O beata passionis memorabilis gloria, in qua dignatus est Christus talia exercere mirabilia! O gloriosa beati Vincentii constantia! in morte victoria magnam illi[4] exhibuit coronam. Sine dubio, Fratres, ipsum fuisse credimus cum beato Vincentio in fluctibus, ne absorberetur, qui fuerat cum Petro in mari, ne mergeretur. Jamvero quod restat, Charissimi, ipsum beatum Vincentium pariter deprecemur, ut nobis patronus apud Deum esse dignetur, et ejus meritis Ecclesia Christi quotidie sublimetur, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIX.

De Conversione sancti Pauli I.

Sermo iste ex duobus manuscriptis Cassinensibus extractus, nempe CXLVI, *fol.* 227, *et* CIX, *fol.* 38; *sancto Augustino certe tribuendus est, sed ut videtur juniori. Legitur in codicibus:* Sermo unde supra; *supra habetur* Sermo sancti Augustini. *Ponatur inter Editos post Sermonem* CCLXXIX, *cum numero de Conversione sancti Pauli* III.

[1] Codex male *corpore*. — [2] Id *cogentem*. — [3] Vide Serm. CCLXXVI, n. 4. — [4] Codex *magnalibus*.

SYNOPSIS.

I. Ananias ad Saulum velut ovis ad lupum exhibetur. II. Jubetur adire Saulum, et recusare videtur. III. Saulus ab Anania baptizatur, nomine mutato in Paulum.

I. Videtis, Fratres charissimi, omnipotentis Dei[1] divinum mysterium, et in utrisque personis nomen attendite. Apud hebraïcam videlicet linguam Ananias ovis dicitur, et Saulus lupus describitur[2]. O divina præscientia et justi judicis[3] moderata sententia, ut ovis, quæ a lupo desiderabatur manducari, subito meruisset ab ipsa curari! En, Saule, tenebris excæcatus es; jam ovi quid facturus es, Lupe, quando sedes in tenebris sine luce? Ecce ante te est ovis, quam quærebas[4]; ubi est quod fremebas? quare nunc tremis? Ovem quam tu sperabas morsibus laniare, ipsa te venit baptizare. Tu dum, Improbe, hujus ovis dissipare pellem[5] cogitabas, ad ipsam venisti curvus accipere legem.

II. Et Ananias ad Deum[6] suum : « Domine, inquit, audivi » de hoc viro quanta mala sanctis tuis in Jerusalem fe- » cerit, et hic ideo venit ut alliget omnes, qui invocant no- » men tuum (*a*). » Quasi diceret : Bona quidem servo tu suggeris, sed ut tu mihi Dominus, et ego tibi servus; aliud, dico, si vis, erit. Audivi in quodam Psalmo David dicentem : « Benefac, Domine, bonis et rectis corde (*b*). » Ego benefaciam bonis; (tu) tamen, dic, dic, quid dis-

(*a*) Act. IX, 13. — (*b*) Psal. CXXIV, 4.

[1] Vox *Dei* desideratur in Cod. CXLVI. — [2] Vide Serm. CCLXXIX, n. 2. — [3] Cod. CXLVI *judicii*. — [4] Desiderantur in Cod. CXLVI hæc verba : *Ubi est quod fremebas?* — [5] Cod. CXLVI male *pellis*. — [6] Id. *Dominum*. — [7] Cod. CIX, *si jusseris*.

ponis? Domine, quare sic mihi proponis? Ille lupus, ego ovis; ut quid consentitis vobis, et non convenit nobis? « Tu » habes claves David; tu aperis, tu claudis (*a*), » et nunquam includis; ignoro tamen modo, quare lupum cum ove includas[1]? Omnia potes ut Dominus, et nihil tibi impossibile est[2]. « Tu vitæ et mortis habes potestatem (*b*). » Tibi omnes apertæ sunt portæ. « Probasti cor meum et » visitasti nocte (*c*). » Unde causæ istæ mihi videntur exortæ? Ego sudo[3] fugiens mortem, et tu dicis : Include mihi lupum in corte. Vides civitatem totam, tanquam navem, mortis pendere sub vento[4], et tu vis in mare turbidum pejus mittere ventum? Non oportet ut condemnes, sed tu nosti qualiter ab austro valido frangatur antenna. Nam cum vis in peccatis neminem mori, da sufferentiam timori. Quare a lupo ovis incipit mori? Tu autem, Domine, licentiam dedisti, qui certari tecum[5] Moysen permisisti. Moyses timuit Hebræum tribulatorem; ego non habeo timere Saulum, Christianorum persecutorem? O Domine meus, o Domine! Tu causas prohibere visus es homicidii, quare modo ovem a lupo dicis occidi[6]? Et Dominus : Inquietum equum, quid times cæcum? Consurge, ambula mecum, quia ego sum tecum. Vade, visita eum in domo. Honorare te volo et tecum ambulare dispono. Nam perfidiam versutiæ[7] ejus velis, nolis, ego mihi domo, licet iste lupus consueverat de meis gregibus crapulari[8]. Sed ego illi monstrabo qualiter a vulpibus incipiat vapulare.

III. Itaque, ex præcepto Domini ingreditur ad Saulum,

(*a*) Apoc. I, 18. — (*b*) Sap. XVI, 13. — (*c*) Psal. XVI, 3.

[1] Cod. CXLVI male *cum ovis includis*. — [2] Hic in Cod. CIX abundat verbum *divitiæ*. — [3] Cod. CXLVI male *modo*. — [4] Codices male, ut videtur, *ventum*; Cod. CXLVI perperam *turbido prius*, et post *condemnat*. — [5] Codex CXLVI male *cum*, pro *tecum*. — [6] Deest ultimum membrum in Cod. CXLVI. — [7] Codices male *veritatis*. — [8] Cod. CXLVI male *copulare*.

ovis ad lupum. Et licet jam ille lupus tenebris fuerat oppilatus[1], tamen tanta erat in ove vis terroris, ut cum lupo ex nomine inciperet loqui pastoris. « Saule, inquit, » Frater, Dominus misit me ad te; » et ille; Quis? « Qui » visus est tibi. » Ubi? « In via qua veniebas (*a*). » Sed noli timere, quia ideo veni ut possis videre. O Ananias, magnum gaudium exhibes nobis, qui cum cultum gestas ovis cœpisti subito lupum clamare, a facie cujus cogitabas secreta montium peragrare. Ibi ostendit Dominus servum suum bene servientem sibi se multum amare, quando lupum fratrem cœpit clamare[2]. Stat interim ovis ante lupum, et sudat; stat lupus sub ove, et nutat. Mirantur se stare contra se. Stat lupus, et malitiam fallit; stat ovis supra lupum, et clamat. Ibi didicit ovis[3] trahere lupum ad baptismi flumen, et lupus[4], contra naturam, ab ove poscere lumen. Et tunc remanserunt[5] lupi opera vacua, quando lupum ovis tinxit in aqua. Facta est ibi contra se jam mutatio inaudita naturæ, ut Christum cognosceret mundus Dominum esse totius creaturæ, dum lupus ab ove cervicibus, legis accepit jugum, et ovis a lupo salvationis[6] percepit lucrum. Dedit interim Ananias Saulo, ovis lupo, quod exigebat baptismi culmen, et non solum jam perditum suscepit[7] lumen, sed immutationis invenit nomen. Saulus in aquam[8] descendit, Paulus ex fonte ascendit. Lupus in aquas cum peccatorum gravedine naufragavit, et agnus sicut oleum super aquas natavit; et « Cum[9] imposuisset illi manus; con-

(*a*) Act. IX, 17.

[1] Cod. CXLVI male *opitulatus*, et post *hujus*, pro *vis*. — [2] Desideratur hic tractus in Cod. CXLVI ab his verbis : *Cœpisti subito*. Phrasis sequens abest a Cod. CIX. — [3] Codex CXLVI perperam *ubi dicit ovem*. — [4] Id. male *lupum*. — [5] Duo Codices *remanserit*. — [6] Cod CIX male *salutationis*. — [7] Cod. CXLVI, *accepit*. — [8] Id. male *in aqua*. Cod. CIX male *in quam*; corrigitur *in aquam*. — [9] Desunt hæc in Cod. CXLVI ab his verbis : *Agnus sicut*.

» festim ceciderunt ab oculis ejus velut squamæ (*a*). » Ananias manus accommodavit, sed Dominus illuminavit. Quid autem squamæ in allegoria esse videntur, nisi aut vestium sordimentum (*sic*), aut piscium indumentum? Manus impositio detulit cæcitatem, et cum baptizaretur, accepto cibo, confortatus est; et post remissionem peccatorum, manducavit panem Angelorum, et prædicator factus est regni cœlorum.

SERMO L.

De Conversione sancti Pauli II.

Trium Codicum hic concordat auctoritas. Nam legitur in Cod. Cass. CXVII, *fol.* 140; *in Cod. Cass.* CIX, *fol.* 41; *et apud Bibliothecam Laurentianam Plut.* XIV, *Cod.* I, *fol.* 100. *Locus ejus erit in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* IV.

SYNOPSIS.

I. Gratiæ Christi potentia. II. Conversionis Sauli historia. III. Conclusio.

I. Sancta Scriptura[1] semper docet nos et admonet[2]; et ubi quis Christianus sensum suum accommodare voluerit, et integro affectu suscipere, etsi multiplici vin-

(*a*) Act. IX, 18.

[1] Cod. Cass. CIX male *sanctæ Scripturæ*. — [2] Ibid. CXVII male *immonet*; et post *ut* pro *et*. Cod. Laurent. habet etiam *ut*; et prius *monet*.

culo[1] peccatorum fuerit colligatus, poterit salvari, eo quod talis est Christi[2] gratia, ut si lupum invenerit, ovem faciat et in profundum peccatorum demersum eripiat[3]. Unde ergo quantum Dominus[4] dederit precibus præcedentium patrum et vestræ charitatis, dicimus vobis de gratia Christi, quomodo oves fecit de lupis, et quomodo in profundum peccatorum demersos eripuit.

II. Legimus in Actibus Apostolorum, ubi Saulus qui et Paulus accessit ad Principes sacerdotum[5], et postulabat ab eis Epistolas in Damascum, ut omnes Christianos vinctos catenis perduceret in Jerusalem. Sed quid factum sit in istum virum, qui adversus Christum contendit, audiamus. Factum est, inquit, eunte Saulo[6] ad comprehendendum Christianos, « Subito illum lumen circumful-
» sit de cœlo[7], et vox facta est ad eum desuper[8] dicens :
» Saule, Saule, quid me persequeris? Qui ait : Quis es,
» Domine? Et vox iterum ad eum : Ego sum Jesus Naza-
» renus quem tu persequeris. Qui dixit : Domine, quid me
» vis facere[9]? et vox ad eum iterum dicens[10] : Surge et
» ingredere civitatem, et illic require virum nomine Ana-
» niam ; et ipse orabit pro te, ut videas et salvus fias[11].
» Viri autem qui comitabantur cum eo apprehendentes
» manum ejus, perduxerunt in civitatem. Dixit autem
» in visu Dominus Ananiæ[12] : Surge, et vade in vicum qui

[1] Cod. Cass. cxvii pessime *in similitudine vincula.* Cod. Laur. *susceperit, et si in multitudine vi vincula peccatorum.* — [2] Nomen *Christi* deest in Cod. Cass. cxvii. — [3] Cod. Cass. cxvii, et Cod. Laur. male *facit... eripit.* et post *inde.* — [4] Duo iidem Codices *Deus ;* post Cod. Cass. cxvii male *præsentium... ut... charitati...* deest *vobis.* Cod. cix *ovem.* — [5] In Cod. Cass. cxvii deest *sacerdotum.* Cod. Laur. *postulavit.* — [6] Id. minus bene *Paulo ;* idem apud Cod. Laur. — [7] Id. et Cod. Laur. *illi lumen refulsit.* — [8] Deest in Cod. Cass. cxvii *desuper.* Cod. Laur. habet : *Vox facta est de cœlo dicens.* — [9] Id. et Cod. Laur. *quid me vis ut faciam.* — [10] Ibid. deest *iterum dicens.* — [11] Id. et Cod. Laur. *salvus sis.* — [12] Id. *Dominus Ananiæ in visum.* Cod. Laur. *in visu.*

» vocatur rectus, et illic invenies Saulum nomine Thar-
» sensem (*a*). » O inenarrabilem potentiam Domini[1]! Invenit perversum[2], et rectum effecit ; invenit persecutorem sanctorum, et fecit eum pietatis confessorem ; invenit vas lutulentum, et exhibuit eum vas purissimum ; invenit ministrum iniquissimorum[3] Sacerdotum Judæorum, et fecit eum comparem sanctorum suorum ; invenit eum superbum, et humilem fecit[4] ; invenit eum blasphemum, et Apostolum constituit. Olim[5] iniquissimorum Sacerdotum[6] epistolas portabat ad destructionem multorum ; nunc autem per universum orbem terrarum, ejus salutiferæ Epistolæ leguntur, et universæ Ecclesiæ Christo quotidie adduntur. O sancte Paule, vere conversus es, quia digne es glorificatus. Vere conversus es, quia cum Apostolis es connumeratus. Vere conversus es, quia et doctor Ecclesiarum effectus es. Vere conversus es qui et meruisti audire : Frater Paule, bone consiliator. Vere conversus es, qui et meruisti cum undecim Apostolis connumerari. Vere conversus es, qui et meruisti thronum duodecimum possidere, Christo dicente[7] : « Amen, Amen dico
» vobis : in regeneratione, cum sederit Filius hominis in
» sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duo-
» decim, judicantes duodecim tribus Israël (*b*). »

(*a*) Act. IX, 4-11. — (*b*) Matth. XIX, 28.

[1] Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. minus bene : *O inenarrabilis potentia Domini.* — [2] Id. minus bene *sævum... efficit.* Cod. Laur. *efficit conversum.* — [3] Sic Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. Cod. Cass. CIX minus bene *iniquissimum.* — [4] Cod. Laur. *perfecit.* — [5] Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. perperam : *O qui aliquando.* — [6] Cod. Laur. *sacerdotum eorum*, male. — [7] Hic Cod. Cass. CXVII, et Cod. Laur. continuo errant. Sic enim : *O sanctus Paulus vere conversus est, et digne est, etc... meruit*, et sic semper in tertia persona. Deest etiam in Cod. Cass. CXVII, sed non in Cod. Laur. membrum istud integrum : *Doctor Ecclesiarum effectus es ; vere conversus es, qui et meruisti.* Erravit amanuensis ob repetitionem verbi *meruisti.* Cod. Cass. CXVII, *Domino dicente.* Cod. Laur. *Domino Christo dicente.*

III. Hujus ergo sancti Pauli laudem, nec immerito, non valet humana lingua condigne laudare, quem Christus[1] Dominus noster «Vas electionis» nuncupavit, et vere[2] electissimum et purissimum vas, ubi Christus Dominus noster habitare dignatus est[3]. Idcirco, dilectissimi Fratres[4], ita nos exhibeamus ut sanctorum vestigia imitantes, a Christo Domino mereamur habitationem invenire, quia apud Dominum omnia possibilia sunt, ipso adjuvante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum[5]. Amen.

SERMO LI.

De Conversione sancti Pauli III.

Hic duo iterum habentur Codices, nempe Cod. Cass. CXVII, *fol.* 140 *verso, et Cod.* CIX, *fol.* 41 *verso, et fol.* 44. *Præfigitur utrisque nomen sancti Doctoris. Locus ejus in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* V.

[1] Desunt in Cod. Cass. CXVII, verba *ergo... nec immerito... Christus.* Deest in Cod. Laur. vox *Pauli.* Post autem : *Non valet humana lingua narrare quam,* etc. — [2] Cod. Cass. CIX minus bene *verum.* Duo alii Codices melius *vere.* Id. Cod. CIX *dilectissimum.* — [3] Cod. Laur. *Christi vas ;* et post *inhabitare.* — [4] In Cod. Cass. CIX desideratur vox *dilectissimi.* — [5] Variant hic tres Codices : Cod. Cass. CXVII habet : *A Christo omnium auctore cum ipsis mereamur participatione perfrui, quia apud Dominum omnia possibilia sunt in Christo Jesu Domino nostro qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.* Cod. autem Laur. *a Christo omnium auctore suum vas ipsi mereamur habitationem invenire, quia apud Deum omnia possibilia sunt.*

SYNOPSIS.

I. Paulus, primo Saulus, Christi persecutor. II. Saulus mane rapiens, vespere dividens escam. III. Saulus, jam Paulus, quanta pro Christo passus. IV. Paulus multa sustinuit, sed sola Dei gratia adjutus. V. Saulus nomen superbiæ, Paulus humilitatis. VI. Paulus Ecclesiæ Gentium Apostolus. VII. Conclusio.

I. Apostolus autem Paulus, Fratres charissimi, primo Saulus, etiam inimicus Christi fuit[1]. Christianos acerrime persecutus est, quando primus martyr, Stephanus sanctus, passus est. Ibi erat, quando lapidabatur ; lapidantium[2] vestimenta servabat. Parum enim illi videbatur, si suis[3] tantum manibus lapidaret. In omnium manibus erat, quorum indumenta servabat. Post hæc, occiso beatissimo[4] Stephano, et primo coronato, quia et[5] nomen ejus græco vocabulo coronam indicat[6], iste inimicus acerrimus litteras accepit a Principibus sacerdotum, ut in quocumque[7] loco inveniret istam viam sectantes, vinctos ad supplicia duceret. Ibat[8] ergo furens Damascum[9], anhelans cædes[10], sanguinem sitiens ; sed « Qui habitat in » cœlis, secundum Psalmum[11], irridebat eum, et Domi- » nus subsannabat eum (*a*). » Quid anhelas sævus, quod eris cito ipse passurus[12] ? Quam minimum fuit Domino Christo salvum facere inimicum, ut una desuper voce

(*a*) Psal. II, 4.

[1] Cod. CIX male jungit duas phrases cum particula *quia*. — [2] Id. bene *lapidantium;* Cod. autem CXVII male *omnium*. — [3] Cod. CXVII male *tuis*. — [4] Deest in eodem vox *beatissimo*. — [5] Id. male *et quia*. — [6] Vide Serm. CCCXIV, n. 2, CCCXVII, n. 1, et Enarr. in Psal. LVIII, n. 5, Serm. 1. — [7] Cod. CIX male *quoscumque*. — [8] Cod. CXVII minus bene *ivit*. — [9] Cod. CIX *Damascum furens*. — [10] Uterque Cod. *cedens ;* error manifestus deprehenditur. — [11] Cod. CIX male *qui habitabat in cœlis, et secundum*. — [12] Cod. CIX *quid anhelat sævus quod erat*.

prosterneret persecutorem et erigeret prædicatorem ! « Saule, inquit, Saule, adhuc Saule, quid me perseque- » ris (*a*)? » Quantam dignationem, Fratres mei, in voce Domini agnoscimus. Quis Christum jam persequi possit ad dexteram Patris jam in cœlo sedentem? Sed ibi caput regnabat, hic adhuc membra laborabant. Ipse nos Doctor Gentium, beatus apostolus Paulus, docuit ad Christum quid simus[1] : « Vos, inquit, estis corpus Christi et membra (*b*). » Totus ergo Christus, caput et membra. Videte ; in nostro corpore rei accipite similitudinem[2]. Si forte affligaris in turba, et aliquis tenuiter[3] pedem calcet, caput pro pede clamat. Et quid est quod clamat? Calcas me. « Saule, » Saule, quid me persequeris? » Quando enim Saulus persequebatur[4] Evangelistas, per quos Dominus toto orbe ferebatur, pedes Christi ab eo[5] calcabantur. In illis enim Christus ibat ad Gentes ; in illis enim Christus usquequaque currebat. Pes futurus, pedes Christi[6] calcabat. Evangelium Domini per orbem terrarum portaturus hominibus, calcabat quod futurus ipse erat. « Quam speciosi » pedes, » Propheta dicit, ut[7] ipse Doctor commemorat, « eorum qui annuntiant pacem[8], qui annuntiant bona (*c*)! » Hoc etiam in Psalmo cantavimus : « In omnem terram » exivit sonus eorum » Vis videre quomodo Christus per istos pedes venerit? « Et in fines orbis terræ verba » eorum (*d*)? »

II. Denique Ananiæ Dominus loquens, quando illum mittit ad Saulum baptizandum, audivit ab ipso Anania :

(*a*) Act. IX, 4. — (*b*) 1 Cor. XII, 27. — (*c*) Rom. X, 15. — (*d*) Psal. XVIII, 5.

[1] Cod. CXVII, *sumus*. — [2] Id. pessime *in nostram res accipite ;* Cod. CIX *in nostro corpore accipite ;* e duobus fit contextus ut legitur. — [3] Cod. CIX male *te ceu pede*. — [4] Cod. CXVII minus bene *persequebatur Paulus*. — [5] Voces *ab eo* desunt in Cod. CXVII. — [6] Vox *Christi* in Cod. CIX desideratur. — [7] In Cod. CIX deest particula *ut*. — [8] Desunt in Cod. CXVII verba *qui annuntiant pacem*.

« Domine, audivi de isto homine, quod ubique perse-» quitur servos tuos (*a*). » Tanquam diceret : Quid ovem mittis ad lupum? Ananias autem verbum hebræum est, quod latine ovis interpretatur [1]. De Saulo autem, futuro Paulo, de persecutore, futuro prædicatore, prophetia promiserat : « Benjamin lupus rapax (*b*). » Unde Benjamin? ipsum audi Paulum apostolum : « Nam et ego Israëlita » sum, ex genere Abraham, de [2] tribu Benjamin (*c*). » Lupus rapax, mane rapiet prædam, et ad vesperum » dividet escas (*d*). » Prius consumet, et postea pascet [3]. Dividebat enim escas jam ille prædicator; noverat quid cui daret; quod alimentum subministraret [4] ægroto et infirmo; quo cibo pasceret fortem; dividens enim escas, non passim projiciens [5]; dividens enim escas, dicebat : « Et ego, Fratres, non potui loqui vobis [6] quasi spiri-» tualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in » Christo. Lac vobis potum dedi, non escam [7]; nondum » enim poteratis, sed nec adhuc potestis (*e*). » Divido; non passim projicio [8].

III. Hujus ergo lupi nomen audierat Ananias ovis, et inter manus pastoris tremebat. Si a lupo terretur [9], a pastore autem confortatur [10], consolatur, confirmatur, conservatur. De ipso lupo audit res incredibiles, sed, Veritate loquente, veras, et fideles [11]. Quid enim respondit Dominus Ananiæ trementi famam Pauli? quid respondit :

(*a*) Act. IX, 13. — (*b*) Gen. XLIX, 27. — (*c*) Rom. XI, 1. — (*d*) Gen. XLIX, 27. — (*e*) I Cor. III, 1, 2.

[1] Vide Serm. CLXXV, n. 8, et CCLXXIX, n. 2. — [2] In Cod. CXVII deest vox *de*. — [3] Id. CIX *prius consumens, et postea pascens*. — [4] Cod. CXVII pessime *subministrare*. — [5] Id. non habet *non passim projiciens*. — [6] Deest *vobis* in Cod. CIX. — [7] Cod CIX *escas*. — [8] Id. minus recte *non possum projicere*. — [9] Cod. CXVII *sed a lupo*. — [10] In Cod. CIX non est *confortatur*. — [11] Cod CXVII *verax et fide plenas*.

« Sine; nunc vas electionis est mihi homo iste, ut por-
» tet nomen meum coram Gentibus et regibus. Ego illi
» ostendam quæ illum oporteat pro nomine meo pati (*a*).
» Ego illi ostendam[1]. » Vox est minantis, sed coronam parantis. Denique ille factus ex persecutore prædicator, quæ sustinuit? « Periculis in mari, periculis in flumini-
» bus, periculis in civitate, periculis in deserto, peri-
» culis in falsis fratribus; in labore et ærumna, in vigi-
» liis multis, in fame et siti, in jejuniis multis[2], in
» frigore et nuditate, in mortibus sæpe; præter illa quæ
» extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, sollici-
» tudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non
» infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror (*b*)? »
Ecce ille est persecutor; patere, sustine. Plus enim patieris quam fecisti. Sed noli irasci; usuras accepisti. Sed quid attendebat, quando talia sustinebat? Audite alio loco : « Etenim, inquit, quod est leve tribulationis nos-
» træ, » jam totum hoc leve, quare? « Incredibili modo
» æternum gloriæ operatur nobis pondus; non respi-
» cientibus quæ videntur, sed quæ non videntur[3]. Nam
» quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non vi-
» dentur, æterna sunt(*c*). » Æternorum amore flagrabat, quando fortiter mala, etsi acerba et pessima, tamen temporalia, sustinebat. Leve est omne cum fine supplicium, ubi sine fine promittitur præmium[4].

IV. Liceat[5] audenter dicere, Fratres charissimi, de Paulo apostolo, quando sustinebat, quia fidelibus vole-

(*a*) Act. IX, 15, 16. — (*b*) 2 Cor. XI, 26-29. — (*c*) Id. IV, 17, 18.

[1] Media pars hujus textus in Cod. CIX non legitur. — [2] In eodem Cod. desiderantur hæc verba *in jejuniis multis*. — [3] Hæc ultima verba desunt in Cod. CIX. — 4 Hic dividitur Sermo in Cod. CIX. Quod sequitur alterum inchoat. in eodem Cod. CIX, fol. 44. — [5] Cod. CIX *licet*.

bat[1], non ipse sustinebat, quia virtus Christi in illo habitabat. Christus regnabat, Christus vires subministrabat, Christus non deserebat, Christus in currente currebat, Christus ad palmam perducebat. Non ergo facio injuriam quando dico : Non ipse sustinebat. Dico prorsus, dico cum fiducia, et verba mea ipso teste confirmo. Apostolum sanctum succensere mihi non sino, quando verba ejus illi recito. Dic Paule; dic Sancte; dic Apostole; audiant te fratres mei, quia nullam tibi injuriam feci. Quid ergo ipse dicit[2]? Comparans se coapostolis suis in laboribus, non timuit dicere : « Plus omnibus illis labo- » ravi (*a*). » Jam hic mihi respondetur : Certe non[3] ipse? Dic ergo quod sequitur, ne ista dilatio mea sit inflatio: « Plus omnibus illis laboravi. » Jam mihi irasci cœperatis[4], sed intercedit pro me; et quodam modo alloquitur : Vos nolite irasci. « Non ego autem, sed gratia Dei » mecum (*b*). » Sic ergo et de passione sua imminente, cujus dies hodiernus solemnissimus agitur, quid dixit[5]? « Ego enim jam immolor, et tempus resolutionis meæ » instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, » fidem servavi. De cætero superest mihi corona justitiæ, » quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex (*c*). » Est enim cui reddat. « Bonum certamen certavi, cursum » consummavi, fidem servavi[6]. » Debetur quod redditur; sed non esset cui deberetur, nisi ei prærogaretur, quod non debebatur[7]. Certe audis modo de Dei debito præsu-

(*a*) 1 Cor. xv, 10. — (*b*) Ibid. — (*c*) 2 Tim. iv, 7, 8.

[1] Cod. cix habet *qui non deficiebat*, loco præcedentium; melior lectio prior subaudiendo *volebat prodesse*, juxta Apostoli verbum : *Omnia sustineo propter electos.* — [2] Cod. cix male *quid ergo? ipse didici.* Vide Serm. cccxxxiii, n. 5. — [3] In Cod. cxvii abest *non.* — [4] Id. male *cæperas.* — [5] Tota phrasis in Cod. cxvii desideratur. — [6] Deest media pars textus in eodem Cod. cxvii. — [7] In eodem Cod. male ponitur punctum post verbum *prærogaretur*; et post, non minus male scribitur interrogative *quid non deberetur?*

mentem ; audis modo Christum reddentem ; audi per ipsum Paulum indebita prærogantem. « Non sum, in- » quit, idoneus vocari Apostolus, quoniam[1] persecutus » sum Ecclesiam Dei (*a*). » Modo attende quid debebatur, cui vides jam parari coronam. Prius illum attende et vide nisi[2] factis dignam invenit pœnam ; persecutus est Ecclesiam Dei, qua cruce non dignus est? quæ illi puniendo tormenta sufficiant[3] ? « Non sum dignus, in- » quit, vocari Apostolatus. » Ego scio quid mihi debebatur ; Apostolatus mihi « qui persecutus sum Ecclesiam » Dei ! » Vide ergo Apostolum[4]? « Sed gratia Dei sum » id quod sum (*b*). » O gratia Dei, gratis data[5], non merces reddita[6] ! Invenit quod puniret, fecit quod coronaret.

V. Videte quod sequitur : « Gratia Dei sum id, in- » quit[7], quod sum, nam et ego Apostolus non sum ido- » neus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. » Supplicia expectabam, præmia invenio[8]. Unde ergo hoc mihi? quia « Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me » vacua non fuit ; sed plus omnibus illis laboravi[9]. » Iterum te erigere cœpisti? « Non autem ego, sed gratia » Dei mecum (*c*). » Bene, optime, non jam Saule, sed Paule ; non jam superbe, sed parve. Saulus ideo superbiæ nomen fuit, quia ille rex procerus, et tanto invidentior[10] quanto clarior, Saül vocabatur, qui sanctum David persequebatur[11], inde iste[12] nomen accepit, a Saüle Saulus

(*a*) 1 Cor. xv, 9. — (*b*) Ibid. 10. — (*c*) Ibid.

[1] Cod. cix *quia*. — [2] Id. *nisi quod*. — [3] Id. male *quia... sufficeret* : male item Cod. cxvii *punienda*. — [4] Id. male *apostolus*. — [5] Vide Serm. xxvi, n. 14. — [6] Tres ultimæ voces desiderantur in Cod. cix. — [7] *Inquit* deest in Cod. cxvii. — [8] Cod. cix *inveni*. — [9] Vide Serm. clxviii, n. 7. — [10] Cod. cix *elatior*. — [11] Vide Serm. ccl.xxv, n. 5, Serm. ccxcv, n. 7, et Serm. clxxv, n. 8. — [12] Cod. cxvii per errorem *est*.

congruum nomen persecutoris. Quid postea Paulus[1] ? Quid est Paulus? Modicus, minimus[2]. Recolite verbum qui litteras nostis; recolite etiam consuetudinem, qui liberales qui vocantur[3] libros non nostis. Paulus modicus est; post paululum te videbo; paululum post te videbo[4]. Paulo post, modicum post[5]. Ergo Paulum videte[6], jamdudum Saulum, sanguinem sitientem, et cædes anhelantem, modo autem Paulum[7]. « Ego autem » sum minimus[8] Apostolorum (*a*). » Prorsus minimus, sed saluberrimus.

VI. Forte in veste Domini minimus iste, fimbria fuit[9]; hanc mulier illa tetigit, et a fluxu sanguinis liberata est, in qua erat Ecclesiæ Gentium figura. Ad Gentes enim missus est Paulus, modicus cum salute. Denique hoc sciatis; ipsa mulier quæ tetigit fimbriam Domini, ignorata est a Domino, sed ignoratio[10] Domini figurata est. Quid enim ille nesciebat? Et tamen quia illa mulier Ecclesiam Gentium significabat, ubi Dominus præsentia corporali non erat[11], sed per Discipulos ibi erat, ubi fimbria vestimenti ejus tangeretur, ait : « Quis me tetigit? » Et Apostoli : « Turbæ te comprimunt, et affligunt[12], et dicis : » Quis me tetigit? Et ille : Tetigit me aliquis (*b*). » Turbæ premunt, fides tangit. Fratres, estote de tangentibus, non de prementibus[13]. « Quis me tetigit? et » tetigit me aliquis. » Ignoranti similis Christus signi-

(*a*) 1 Cor. xv, 9. — (*b*) Luc. viii, 45, 47.

[1] Cod. cix sine interrogatione *qui postea Paulus*. — [2] Vide Serm. ci, n. 1. — [3] *Qui vocantur* desunt in Cod. cix. — [4] Cod. cxvi male *video*.— [5] Vide Serm. clxviii, n. 7. — [6] Cod. cix male *paulo post modico; post ergo paululum. Videte jamdudum Saulum*. — [7] Vide Serm. cclxxix, n. 6, et Serm. sequentem n. 2. — [8] Cod. cix *novissimus*. — [9] Cod. cxvii male *fimbrium... hoc*. — [10] Cod. cix *ignorantia*. — [11] Vide Serm. ccxliii, n. 2. — [12] *Et affligunt* : hæc duo verba in Cod. cix non leguntur. — [13] d. Cod. male *præsumentibus*.

ficans; non mentiens, sed significans. Quid significans? « Populus quem non cognovi servivit mihi (*a*). »

VII. Dic ergo, Apostole[1], imminente passione, laboris impensor, coronæ jam exactor, dic: « Ego enim jam de- » libor[2], et tempus resolutionis meæ instat; bonum certa- » men certavi, cursum consummavi (*b*)[3] » Quid prodesset certamen, nisi victoria sequeretur? Dicis quia certasti, dic unde vicisti; alio loco interroga. « Gratias Deo qui dedit[4] » nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Chris- » tum (*c*). Cursum consummavi; » tu cursum consummasti? Recognosce illud: « Non volantis, neque currentis, » sed miserentis est Dei (*d*). » Dic aliud: « Fidem serva- » vi. » Fidem servasti, custodisti[5]? Sed « Nisi Dominus » custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt » eam (*e*). » Ut ergo fidem servares, ille adjuvit[6]; ille in te servavit, qui ei Apostolo tuo, cum quo unum[7] passionis habes diem, dixit, quod in Evangelio legisti: « Ego » rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua (*f*). » Exige ergo; paratum est præmium; dic; « Bonum certamen cer- » tavi, » verum est; « Cursum consummavi, » verum est; « Fidem servavi, » verum est[8]; « De cætero superest mihi » corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, » justus judex (*g*). » Exige quod debetur. Parata est prorsus corona tua, sed memento quia Dei dona sunt merita tua.

(*a*) Psal. xvii, 4. — (*b*) 2 Tim. iv, 7. — (*c*) 1 Cor. xv, 57. — (*d*) Rom. ix, 16. — (*e*) Psal. cxxvi, 1. — (*f*) Luc. xxi, 32. — (*g*) 2 Tim. iv, 7, 8.

[1] Vide Serm. ccxcviii, n. 3. — [2] Cod. cix *ego jam immolor.* — [3] Id. non habet *cursum consummavi.* — [4] Id. *dat.* — [5] Vide Serm. ccxcvii, n. 7; et Serm. cccxxxiii, n. 5. — [6] Cod. cix *adhibuit.* Non legitur *in te.* — [7] Id. *unus.* — [8] Hæc verba *fidem servavi, verum est* desunt in Cod. cxvii.

SERMO LII.

De Conversione sancti Pauli IV.

Eruitur ex Cod, CXLVI, *fol.* 226, *et tribuitur, nec immerito, sancto Augustino. Unicus nobis occurrit Codex et quidem in multis deficiens, atque ideo corrigendus in multis. Locus ejus in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* VI.

SYNOPSIS.

I. De duobus nominibus beati Pauli et ejus Conversione. II. De mirabili effectu gratiæ Dei in illa Conversione. III. De gratia et meritis in beato Paulo. IV. Conclusio.

I. Procedat nobis, Fratres charissimi, et beatus Paulus, ut paululum aliquid de Paulo dicamus. Etenim propterea Paulum si volueris nominare; nam prius Saulus, postea Paulus, quia prius superbus, postea humilis, recte primum nomen, et in eo persecutoris agnoscitur nomen [1]. Saulus a Saüle cognominatus est [2]. Saül inde appellatus est, quia persecutus sanctum David [3], in quo sanctus David figura erat Christi venturi ex semine David, per virginem Mariam secundum carnem [4]. Implevit partem Saülis

[1] Sic Codex; plura verba videntur abundare; legendum esse crediderim : *recte primum nomen in eo persecutoris agnoscitur.* — [2] Vide Serm. CCCXV, n. 7. — [3] Cod. male punctum habet post *nomen Saulus*. Male item *Saülem*, et post *sanctus David*, ut patet ex sensu. — [4] Male ponuntur puncta in Codice : *Christi venturi. Ex semine David secundum carnem implevit partem Saülis. Saulus*, etc... Error est manifestus.

Saulus quando persecutus est Christianos ; acerrimus fuerat persecutor, quia quando beatus Stephanus lapidatus est, ipse lapidantium vestimenta servavit, ut omnibus manibus lapidaret. Post passionem vero beatissimi Stephani, dispersi sunt fratres qui erant Jerosolymis ; et quia lumina erant, Spiritu Dei ardebant. Tunc videns Paulus Evangelium Christi crescere, impletus est zelo amarissimo. Accepit litteras a principibus Sacerdotum, et perrexit ad Doctores, legatus ad puniendos[1] quoscumque invenisset confiteri nomen Christi, et ibat anhelans cædes[2], sitiens sanguinem.

II. Sic sic cum iret, cum sanguinem sitiret, cum quos adduceret et (faceret) occidi quæreret, sic præ suis[3] quomodo erat persecutor, audivit vocem de cœlo. Fratres mei, quid meruerat boni? et tamen de cœlo una voce percussus est persecutor, erectus est prædicator : ecce Paulus post Saulum ; ecce jam prædicat ; ecce jam nobis quid fuisset et quid esset indicat : « Ego, inquit, sum » minimus Apostolorum (*a*). » Merito Paulus ; recolite latinum verbum ; Paulum, modicum dicitur ; sic certe loquitur post Paulus. Videte ergo ; Paulus minimus se confitetur tanquam in veste Domini fimbriam, quam tetigit languida mulier. Quippe illa, quæ fluxu sanguinis patiebatur, Ecclesiam Gentium significabat ; ad quas Gentes emissus est Paulus et minimus et novissimus ; quoniam fimbria vestimenti et minima pars est et novissima. Utrumque de se confessus est Paulus, et minimum se dixit et novissimum[4]. « Ego sum novissimus Apostolorum (*b*), et » minimus Apostolorum (*c*). » Ipse dixit[5], et si quid aliud

(*a*) 1 Cor. xv, 9. — (*b*) Ib., iv, 9, et xv, 8. — (*c*) Id., xv, 9.

[1] Codex evidenter male *legatos puniendos*. — [2] Cod. male *cædens, sitiens sanguine*. — [3] Cod. male *pro suis*. Desideratur etiam vox *faceret*. — [4] Cod. male *minimus... novissimus* — [5] Vide Serm. CCLXXIX, n. 5.

dixit, ipse dicat, ne nos facere videamus injuriam, quanquam non est ullo modo Pauli injuria, ubi commendatur Christi gratia: tamen, Fratres, ipsum audiamus: « Ego » sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dig- » nus vocari Apostolus (*a*); » ecce quod erat; « Non sum » dignus vocari Apostolus, » quare? « Quia persecutus » sum Ecclesiam Dei. » Et unde est Apostolus? « Sed gra- » tia Dei sum id quod sum; et gratia ejus in me vacua » non fuit; sed plus omnibus illis laboravi (*b*). »

III. Rogo te, sancte Paule; non intelligentes homines putant adhuc Saulum loqui: « Plus omnibus illis la- » boravi; » quasi benedictus [1] videtur, tamen vere dictum est. Quid autem sequitur? at ubi vidit se dixisse quod in celsitudinem quamdam cum posset afferre, « Plus illis, » inquit, omnibus illis laboravi, » et continuo: « Non » ego autem, sed gratia Dei mecum (*c*). » Cognovit, sed humilitas; tremuit infirmitas; confessa est donum Dei perfecta charitas; dic ergo, jam tanquam plenus gratia; tanquam plenus gratia, tanquam vas electionis, tanquam factus quod non eras dignus, dic; scribe ad Timotheum et denuntia diem justum. « Ego, inquit, jam immolor (*d*). » Modo lectum est de Epistola Pauli; hic lectum est quomodo dico. « Ego enim, inquit, jam immolor. » Imminet mihi immolatio; occisio enim Sanctorum Deo fecerat sacrificium; « Ego enim jam immolor, et tempus resolutio- » nis meæ instat; bonum certamen certavi, cursum con- » summavi, fidem servavi; de cætero reposita est mihi » corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die

(*a*) 1 Cor. xv, 9. — (*b*) Ibid., 10. — (*c*) Ibid. — (*d*) 2 Tim. iv, 6.

[1] Sensum esse crederem: *videtur quasi benedicens, id est, laudans seipsum, tamen vere dictum est.* Alludit sanctus Doctor ad verba *benedictus, et vere dictum est.*

» justus Judex (*a*). » Reddet meritum qui fecit merita, et factus est Apostolus qui non erat dignus, et non coronabitur nisi dignus. Ibi enim quando accepit gratiam ut non debitam, « Non sum, inquit, dignus[1] vocari Apostolus, sed » gratia Dei sum id quod sum (*b*); » modo autem debitum exigit[2]: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, » fidem servavi, de cætero reposita est mihi corona jus- » titiæ (*c*). » Debitum mihi; ut scias quod debitum: « Quam reddet mihi Dominus; » non dixit, Dat mihi, aut, Donat mihi, sed « Reddet mihi Dominus in illa die » justus Judex (*d*). » Misericors donavit mihi, justus reddet mihi.

IV. Video, beate Paule, quibus corona debetur meritis tuis[3]; sed respiciens quod fuisti, agnosce; Dei dona sunt ipsa merita tua. Dixisti: « Gratias Deo qui dat nobis » victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum (*e*). » Bonum certamen certavi (*f*); sed miserentis est Dei (*g*). » Dixisti; « Fidem servavi (*h*), » sed tu ipse dixisti: « Mise- » ricordiam consecutus sum, ut fidelis essem (*i*). » Videmus ergo Dei dona esse merita tua, et ideo gaudemus de corona tua.

(*a*) 2 Tim. IV, 6, 7, 8. — (*b*) 1 Cor. XV, 10. — (*c*) 2 Tim. IV, 7, 8. — (*d*) Ibid. — (*e*) 1 Cor. XV, 57. — (*f*) 2 Tim. IV, 7. — (*g*) Rom. IX, 16. — (*h*) 2 Tim. IV, 7. — (*i*) 1 Tim. I, 13, 14.

[1] In Cod. non legitur *dignus*. — [2] Vide Serm. CCXCIX, n. 6. — [3] Cod. male *corona debetur merita fœa*.

SERMO LIII.

De Conversione sancti Pauli V.

Sermo, qui sequitur, jam cum quibusdam discriminibus stampatus est in Appendice Maur. cum numero CCIV. *Maurinorum judicio sancto Doctori abjudicatur* 1° *quia in uno veteri Codice sancto Leoni tribuitur;* 2° *quia horum Doctorum eruditione et gravitate indignus est;* 3° *quia nonnulla habet Sermonis alicujus subsequentis. Rationes illæ infimæ videntur et invalidæ:* 1° *quidem unus Codex nomen habet sancti Leonis, sed præter alios, quos legerant Maurini, cum titulo sancti Augustini, titulum hunc expresse reperire est in nostro Codice, nempe* CXLVI, *fol.* 225. *Quid faciet unus contra multos?* 2° *Nihil in Sermone Maurinorum abjectum et sancto Doctore indignum occurrit præter exordium; exordium autem, quod non legitur in Codice nostro evidentissime adventitium est, et male ab ignaro amanuensi superadditum; reliqua autem magnam eloquentiam sapiunt, ut patebit omni legenti;* 3° *Sermo sequens in Editis ex plurimis diversorum Sermonum fragmentis coalescit, unde non mirum est in eo plures hujus veri Sermonis sententias reperiri. Non remanet igitur dubitandi locus quin Sermo iste ad sanctum Augustinum pertineat; unde hunc emendatum hic repræsentamus. Ponatur post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli* VII.

SYNOPSIS.

I. Mirabilis Dei gratia in conversione sancti Pauli. II. Mirabiles in sancto Paulo conversionis effectus. III. Conclusio.

I. Sicut in lectione Actuum Apostolorum, cum recitaretur, audivimus, beatissimus Paulus cœlesti voce prostratus est[1]. Dum furit Paulus[2] in lupina rabie exortus[3], dum quærit discerpere, aut vexare gregem, audivit altisonam vocem : « Saule, Saule, quid me persequeris (*a*)? » Quid frustra insanisti contra nomen meum, et occidisti Martyrem meum? Olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus oravit pro te. Et ille : « Quis es, Domine? » Et Dominus ad illum : « Ego sum[4] » Jesus Nazarenus quem tu persequeris (*b*). » Caput de cœlo pro membro[5] clamat. Inquietatur corpus, et de cœlo intonat Christus. « Saule, inquit, Saule, quid me » persequeris? » Quid est quod rugientis poli[6] mugit arcanum, et contra sævitiam Pauli militia conqueritur cœli, nisi (ut) qui non crediderat resurrectioni, saltem crederet in cœlo sedenti? nam dicitur Ananiæ : Accede ad eum, et signa eum caractere meo[7]. Et ille : « Domine,

(*a*) Act. IX, 4. — (*b*) Ibid., 5.

[1] In Sermone CLXXIX, n. 1. *Voce de cœlo prostratus est.* Et in alio Sermone de Apostolo Paulo in conversione cujusdam Fausti Pagani, tom. V, Maur. part. 2, p. 1518. *Et ipsi enim quædam necessitas impacta est : cœlesti voce prostratus est : ut lumen haberet, lumen perdidit.* Et Serm. CCXCIX, n. 6. *Prosternitur persecutor, erigitur prædicator.* — [2] Cod. male *fuerat.* Edit. habet *dum furit ad caulas.* — [3] Edit. *dum exosum sibi nomen innocentis agni persequitur.* — [4] Edit. *inquit.* — [5] Cod. male *membrum.* Edit. *clamat pro membris.* — [6] Sic Edit. Cod. male. *Quid est quod negante populo mugit arcanum, contra,* etc.; et postea, *qui non crediderat resurgentem, crederet in cœlo sedentem.* — [7] Edit. *Multa enim patietur pro nomine meo.*

» audivi de viro hoc, multa mala fecisse Sanctis tuis (*a*). » Ait illi Dominus : « Vade, quoniam vas electionis est » mihi (*b*). » O beate Anania, merito in timore te dares [1], si forte non esset cui militares [2]. Ideo prosternitur superbia, ut erigatur [3] sanctitas. Venit ergo Ananias, baptizavit Saulum, et fecit Paulum ; baptizavit lupum, et fecit agnum, et cœpimus habere prædicatorem, quem habuimus persecutorem [4].

II. Denique cœpit prædicare Christum, cui antea resistebat ; paratus pati pro eo contra quem ante [5] pugnabat : pati [6] Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est ; Saulus Christianos [7] virgis affecit, Paulus pro Christo « quinquies quadragenas una minus » accepit (*c*) ; » Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus sporta submissus est [8] ; Saulus vinxit, Paulus vinctus est ; et dum Saulus [9] quærit minuere numerum Christianorum, et jam [10] ipse accessit [11] ad numerum confessorum ; et dum infert aliis necem, suscepit ipse pro Christo [12] mortem ; dum intrat lupus rapax in stabula pecudis, et ipse factus est ovis.

III. Itaque quis jam desperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis ? Nam beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutus adorat excellentia imperatorum ; immanem credentium persecutorem Paulum veneratur Gentium multitudo credentium ; per Dominum nostrum Jesum Christum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen [13].

(*a*) Act. IX, 13. — (*b*) Ibid., 15. — (*c*) 2 Cor. XI, 14.

[1] Edit. *in timore trepidares.* — [2] Edit. *si fortis manu non esset.* — [3] Cod. male *eligatur.* — [4] *Quem habuimus persecutorem* ; hæc verba desunt in Cod. — [5] Edit. *antea.* — [6] Edit. *patitur.* — [7] Cod. male *christianis.* — [8] Edit. *submissus est in sporta.* — [9] Edit. *sæviens.* — [10] Edit. *etiam.* — [11] Cod. male *accersit.* — [12] Cod. male *pro eo.* — [13] Finis in Codice multum truncatus reperitur.

SERMO LIV.

De sancto Paulo apostolo.

Sermo hic perfectissimus eruitur ex Cod. CI, *fol.* 92. *Memoratur etiam in Bibl. Laurent. tom.* 1, *fol.* 49, *Cod.* IX. *Nomen sancti Augustini præfert, ideoque illi non videtur denegandus, quamvis non occurrant sententiæ adversantes, sicut beato Doctori solemne est. Ponatur post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. De sancto Paulo agendum, utpote exemplo zeli animarum. II. Pauli encomium. III. Paulus omnibus prædicans. IV. Paulus non vivens nisi fratribus et Christo.

I. Si penitus effugere maculam, Fratres dilectissimi, voluerimus, Petri fortasse vel Pauli sequenda sit doctrina, qui cum verbi et sapientiæ et gubernationis gratiam percipere a Christo meruissent, omnibus tamen « Omnia » facti sunt, ut omnes lucrifacerent (*a*) : » nobis vero satis est, si vel gubernari nos recte patiamur, et regi ab his quibus regendi gratia gubernandique concessa est. Verum quoniam Pauli et cæterorum similium ejus fecimus mentionem, omittentes, si videtur, cæteros omnes qui vel per legislationem, vel per prophetiam, vel per militiæ magisterium, vel per aliquam hujuscemodi procuratio-

(*a*) I Cor. IX, 22.

nem populis profuerunt : (sic Moyses, vel Aaron, vel Jesus, aut Elias, vel Elisæus, omnesque Judices, Samuël quoque et David, et multitudo cætera Prophetarum;) Joannem etiam Baptistam, sed et duodecim Discipulos Domini, atque eos qui vel cum ipsis vel per ipsos cum labore multo et sudore populis profuerunt temporibus suis singuli, omnes hos interim nunc omittentes, Paulum solum adhibemus ad attestationem verbi nostri, et in ipso ac per ipsum considerabimus quid et quantum sit cura ac diligentia animarum; vel si parum operis et prudentiæ requirit, aut parum consilii laborisque deposcit.

II. Videamus ergo quid Paulus dicit de Paulo, et ex ipso quid istud sit negotii, de quo agitur, addiscamus. Mitto enumerare « Labores et vigilias in siti et fame, mi» serias toleratas in frigore et nuditate. » Omitto illos extrinsecus insidiantes et intrinsecus resistentes. Omitto persecutiones, Judaïca consilia, carceres, vincula, accusatores, judicia, quotidianas et momentaneas mortes, « quod in sporta per murum dimissus est, quod » lapidatus est, quod virgis cæsus est. » Omitto circuitus orbis terræ, « pericula in mari, pericula in ter» ris, diei ac noctis, profundum naufragium, pericula » fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, » pericula in falsis fatribus (*a*); » manuum labore victum quæsitum (*b*); quod[1] sine sumptu Evangelium prædicabat (*c*), quod « theatrum factum est et homini» bus[2] et Angelis (*d*) » is qui medius Dei et hominum consistebat, pro omnibus quidem agones et certamina sustinens, Deo substantia populum comparans et acquirens. Præter hæc ergo omnia, quis digne exponere valeat

(*a*) 2 Cor. xi, 26, 28. — (*b*) 1 Cor. iv, 12. — (*c*) Id. ix, 18. — (*d*) Id. iv, 9.

[1] *Quod* in Cod. desideratur. — [2] Cod. male *hominum*.

quotidianam per singula providentiam, et sollicitudinem omnium Ecclesiarum (*a*). Erga omnes misericors, erga omnes fraterno distentus affectu. Offendiculum quis patiebatur, et Paulus infirmabatur; scandalizabatur alius, et Paulus urebatur (*b*).

III. Sed docendi enumerem studium ac laborem, figurarum varietatem? sed lenitatem dicam et iterum austeritatem, aut ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulceraret, neque nimia benignitate resolveret? Leges dat servis et dominis (*c*), principibus et subjectis (*d*), viris et mulieribus (*e*), parentibus et liberis (*f*), nuptis et innuptis (*g*), continentibus et luxuriosis (*h*), sapientibus et insipientibus (*i*), circumcisioni et præputio (*j*), Ecclesiæ et sæculo (*k*), viduis et virginibus (*l*), spiritui et carni (*m*). Pro aliis quidem lætatur et gratias agit (*n*); alios vero castigat et corripit (*o*); alios « Gaudium et coronam » nominat (*p*); alios vero stultitiæ notat (*q*); cum aliis quidem « bene currentibus » currit (*r*), alios autem male currentes refrenat et revocat (*s*); nunc separat de Ecclesia, nunc recipit, et confirmat charitatem (*t*); nunc luget aliquos, nunc lætificatur ex aliis (*u*); nunc lacte potat, nunc mysteria revelat (*v*); nunc se dejicit et exæquat humilibus, nunc secum erigit humiles et exaltat (*x*); nunc apponit spiritum mansuetudinis, nunc superbis et arrogantibus apostolicæ potestatis virgam minatur (*y*);

(*a*) 2 Cor. xi, 28. — (*b*) Ibid., 29. — (*c*) Ephes. vi, 5, 9. — (*d*) — Tit. iii, 1. 1 Tim. xvi, 18. — (*e*) Ephes. v, 22, 33. — (*f*) Id. vi, 1, 4. — (*g*) 1 Cor. vii, 25, 35. — (*h*) Gal. v, 19. — (*i*) Rom. i, 14, etc. — (*j*) Rom. a cap. ii ad cap. v. — (*k*) Epist. ad Tim., ad Tit., ad Cor., ad Hebr. — (*l*) 1 Tim. v, 5, 16. — (*m*) Rom. viii. — (*n*) Ephes. i, 16. Philip. i, 3, etc. — (*o*) 1 Cor. v. — (*p*) Philip. iv. 1. — (*q*) Gal. iii, 3. — (*r*) Id. v, 5. — (*s*) 1 Cor. ix, 24. — (*t*) Id. v, 5; 2 Cor. ii, 7. — (*u*) 1 Cor. xii, 21; Philip. ii, 17. — (*v*) 1 Cor. iii, 2; xv, 51. — (*x*) Id. xv, 9; 2 Cor. xi et xii. — (*y*) In utraque ad Cor.

nunc erigitur adversum erectos, nunc efficitur discipulis tanquam « Si nutrix foveat parvulos suos (*a*). » Nunc « Apostolorum est omnium minimus, » nunc « docu- » mentum sui » pollicetur « per eum qui in se loquitur » Christus (*b*); » nunc « resolvi desiderat, et esse cum » Christo, » nunc « permanere in carne propter eos » qui indigent, necessarium probat (*c*). « Non » enim « quærit » quæ sua sunt, sed quærit quæ » filiorum sunt eorum quos in Christo « per Evangelium genuit (*d*). » Quod utique singulariter observandum est iis qui spiritualibus populis præsunt, ut in omnibus quæ sua sunt negligant et contemnant pro utilitate cæterorum.

IV. « Gloriatur » ergo Paulus[1], sed « in infirmitati- » bus (*e*), » ac tribulationibus suis, et velut quodam monili mortificatione Christi adornatur. Excelsior est super omne quod carnale est; exultat in spiritualibus et gloriatur, et cum non sit « imperitus in scientia (*f*), » tamen « per speculum et in ænigmate videre (*g*) » se dicit. Confidit Spiritui, et tamen corpus affligit (*h*), velut clandestinum adversarium destruens; quid nos edocens per hæc, et quid erudiens? nisi nihil ex iis quæ deorsum sunt præsumere, neque inflari per scientiam, neque carnem adversus spiritum erigere. Pugnat ergo ille pro omnibus; orat pro omnibus; zelatur omnes; Dei zelo accenditur pro omnibus; et inflammatur pro iis qui extra legem sunt, pro iis qui in lege sunt. Magister Gentilium, Judæorum advocatus, pro quibus etiam audet aliquid ultra quam fas est (*i*), pro fratribus scilicet secundum carnem; ut et ego audeam simile aliquid dicere, ultra mandatum Dei

(*a*) 1 Thess. II, 7. — (*b*) 1 Cor. XV, 9; 2 Cor. XIII, 7. — (*c*) Philip. I, 23, 24. — (*d*) 2 Cor. XII, 14; 1 Cor. IV, 15. — (*e*) 2 Cor. XII, 9. — (*f*) Id. XI, 6. — (*g*) 1 Cor. XIII, 12. — (*h*) Id. IX, 27. — (*i*) 2 Cor. XI, 21.

[1] Cod. male *populus*.

nititur : nam proximos suos non sicut se, sed plus quam se diligit. Denique se etiam abjecto, illos pro se introduci orat ad Christum (*a*). O singularem mentis magnificentiam ! o cœlestem Spiritus calorem ! Imitatur et in hoc Christum, qui « Factus est pro nobis maledictum (*b*), » qui « Infirmitates nostras tulit, et languores nostros por- » tavit (*c*) : » et elegit, ut ita dicam, extra pietatem fieri pro pietate, dum « Anathema esse a Christo (*d*) » patitur, tantum ut illi salvi fiant. Et quid dicam per singula ? « Vi- » vit non sibi, sed Christo (*e*), » et prædicationi verbi. « Mundum sibi crucifixum et se mundo (*f*), » omnia parva dicit et exigua pro desiderio Christi : etiamsi ab Jerusalem in circuitu usque ad « Illyricum repleat » Evangelium (*g*); » etiamsi usque ad tertium cœlum raptus ascendat; etiamsi in paradisum deducatur, et ibi « Audiat verba quæ non licet hominibus loqui (*h*); » in his omnibus « non gloriatur nisi in infirmitatibus suis (*i*). » Sed hæc Paulus, et si qui forte sunt in spiritu similes ei.

SERMO LV.

In Natali Joannis Baptistæ I.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 226. *Vox* metatoris *videretur illum assignare sancto Chrysologo, aut sancto Chrysostomo ; cum autem nomen beati Doctoris habeat, illi hunc fœtum abnegare non audemus. Ponatur post Sermonem* CCXCIII, *cum numero in Natali Joannis Baptistæ* VIII.

(*a*) Rom. IX, 3. — (*b*) Gal. III, 13. — (*c*) Isaï. LIII, 4. — (*d*) Gal. III, 13. (*e*) Id. II, 20. — (*f*) Id. VI, 14. — (*g*) Rom. XV, 19. — (*h*) 2 Cor. XII, 2, 4. — (*i*) Ibid. 5.

SYNOPSIS.

I. Christus non obstante mundi principe in mundum venit. II. Venienti Christo Joannes præcursor. III. Joannes fœminæ impudicæ venumdatur. IV. Nativitatis S. Joannis Baptistæ miraculum. V. In ejus Nativitate gaudendum.

I. Rex noster de Virgine nasciturus fortissimum ante se præmiserat exercitum Prophetarum, ut mundus dudum principis sui edictis adversus, tandem Deo colla submitteret, et adventum imminentis judicis formidaret. Sed desperatio sumpsit audaciam, et contra Deum mortalitas rebelles animos extulit, quasi sine judice pugnaret[1], et auctori suo nec reconciliari cuperet, nec jussa obsequia redimeret; sed per secretas cœli vias et occultas arcani consilii regiones Christus ad patriam sæculi repente venturus, spretis optimatibus tantis (descendit)[2].

II. Joannem hodie jussit præcedere metatorem[3], ut tanto regi universæ nationes ac populi animarum hospitia præpararent. Audi cœlestem vocem, terribilemque regis magni præconem, quemadmodum tuba canat, aut quales et quantos impetus fistula regalis effundat : « Ego sum, inquit, vox » clamantis in eremo : Parate viam Domino, rectas facite » semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur et omnis » mons et collis humiliabitur, et erunt quæ prava in di» recta et quæ aspera in vias planas, et apparebit honor

[1] Cod. male *pugnatur*. — [2] Desideratur in Cod. vox *descendit*, aut alia similis necessario supplenda. — [3] De hujusmodi verbo *metatorem* usus est S. Chrysologus in Serm. CXXVII; videsis Bibl. Patrum, tom. VII, fol. 946. Vide etiam notas appositas Serm. ejusdem, fol. 139. Quin et in operibus sancti Chrysostomi ex variis in Matthæum Homil. XV, Joannes vocatur *metator Christi*. Vide Serm. CCLXXXVIII nostri Augustini.

» Domini, et videbit omnis caro salutare Domini Dei nos-
» tri (*a*). » Jam hodie Christus erat in utero, sed latebat; jam nunc beata Maria inter puros roseosque viscerum [1] sinus membra invisa tanti regis [2] paritura fovebat. Sed Vox primo nascitur, ut Verbum continuo subsequatur [3]. Convenit ergo Joannes sæculo, instat, clamat, urget terram : « Parate, inquit, viam Domino, rectas facite semitas Dei
» nostri. » Auferte, inquit, de cordibus pravitatem, distortam perfidiam corrigite, anfractuosos colles nequitiæ erroresque vagos, simplicitatis ac fidei operibus complanate. Adest Deus, imminet Christus; suscipite præsentem, quem contempsistis absentem. Ultro Deus venit offensus, cum desiderat esse placatus.

III. Sed humanum genus crudelibus animis ac torvo contempsit vultu Præconem usque adeo, ut sanguinem justi Joannis Herodias, impudicis rotata flexibus [4], mercaretur, et de innocentia piissimi Præcursoris libido secum furorque certarent [5], ut saltantis puellæ gressibus delicatis regis inflammata cupido [6] dum per impuras lasciviæ epulas solvitur, cruorem innocuum captivus Herodes non armato militi, sed impudicæ fœminæ venumdaret.

IV. Sed video, Fratres, quod cum de Nativitate beati Joannis loqui debueram, in ejus passione sermo transfudit. Ne partem tamen propositæ rei relinquam intactam, ac ne in longum elongetur disputationis oratio, prænotata potius statim [7] astringo. Congruit enim cursim breviterque rem propositam sine fastidio definire. Suffecerat

(*a*) Luc. III, 4, 6.

[1] Cod. male *pueros... viscera sinus.* — [2] Cod. male, ut videtur, *invitatis regis;* pro mediocritate nostra correximus. — [3] Vide Serm. CCLXXXVIII, n. II. — [4] Cod. male *flexibilis.* — [5] Cod. *atque innocentem piissimi Præcursoris libido secum furorque sentirent.* Videat lector utrum valeat correctio; meliorem, si possit, inveniat. — [6] Vide Serm. CCCVII, n. I. — [7] Codex *prænotam potestatis astringo.*

quidem evangelicæ lectionis prolixitas animos fidelium satiare, sed ne nostrum populo Dei otiosum videatur officium, pro statu summatimque, Domino dante, peragemus mysterium, cujus causa proponitur[1]. Cum igitur sacerdos pater divinis altaribus tremebundus astaret, sponte Gabriel angelus, æthere reserato, auras sparsit inanes, seque[2] retro videndum obtulit titubanti. Moxque jussu regis æterni pavido pectori secretis[3] affatibus infert : « Ne » timeas, inquit, Zacharia, ecce exaudita est oratio tua, » et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis no» men ejus Joannem; hic erit magnus et multi in nativi» tate ejus gaudebunt (*a*). » Erat autem Zacharias senectute marcidus, genitalibus forte privatus, deficientibus ab ævo[4] membris invalidus, ac tota pene compage corporis dissolutus[5]; ita erat neglecta conjux, infœcunda sterilisque; convenire impotentes juventutis flore siccato, infirmis actibus, exhausto naturali vigore cessaverant[6]. Igitur proh mira potentia majestatis! excursis[7] vitæ curriculis ad metas mortis senes accedunt; repente prolem in limine mortis generant, quam requirunt. Sed incredulus Zacharias, pondere videlicet judaïcæ senectutis oppressus, Angelo non credidit, quod audivit. Moxque legatus cœli Gabriel synagogæ incredulæ[8] sacerdotem justa increpatione corripuit, et vocem illi, quam infidelitas denegabat, abscidit.

V. Implet tamen Divinitas promissa sua, et Joannem

(*a*) Luc. I, 13, 14.

[1] Cod. sine sensu : *Prostrata summatimque, Deo dant; peragere mereamur causa propositum.* — [2] Cod. male *seroque.* — [3] Cod. male *pavido pectore secreto.* — [4] Cod. *a tuo.* — [5] Cod. male *dissolvantur.* — [6] Hæc phrasis in Codice prorsus inintelligibilis : *Convenerant in possessio juventutis flore siccato in curvis actibus exhausto naturali vigore lassaverat.* Lector videat correctionem et judicet. — [7] Cod. male *pro mira potentia majestatis, exceptis, etc.* — [8] Cod. male *incredulis.*

promissum infœcundis visceribus propagavit, qui etiam genitus adventum reverendi judicis suæ vocis præconio demonstravit. Ecce nunc tempus generationis adest. Nascitur hodie Joannes, sicut promiserat Deus, et patris linguam solvit filius generatus, ut et majestas quod decreverat perficeret, et pater in filii nativitate gauderet. Propterea et in nobis, Fratres, gaudia ista concurrant, ut qui patulis cordibus suscepimus Christum judicem, læti veneremur natum hodie metatorem. Frequentemus itaque hunc diem non obscœno [1] gentilis more erroris, sed simplici ac digno cultu, christianæ præcipue castitatis. Ne ullum in delubris sertum pendeat, aut insanientibus turbis [2]... petulantes rotæ concurrant, sed in Sancta sanctorum omnis fidelium numerus devoto conventu florescat.

SERMO LVI.

In Natali Joannis Baptistæ II.

Legitur in Cod. Cass. CXV, *fol.* 146, *cum nomine S. Augustini. Consimile exordium reperitur in Bibl. Medic., tom.* I, *fol.* 607, *inter Sermones sancti Ambrosii; reliqua differunt. Sapit Augustinum, cui tribuitur in nostro Codice. Locus ejus inter Editos post præcedentem cum numero in Natali Joannis Baptistæ* IX.

[1] Cod. sine sensu *obsticeno*. — [2] Hic legitur prorsus inintelligibiliter: *Plantarum quat zensum*. Non nobis possibile evasit hæc verba explicare.

SYNOPSIS.

I. Pretiosa sancti Joannis Baptistæ Nativitas; Elisabeth fides, Zachariæ dubitatio. II. Elisabeth, per miraculum, in senectute gravida. III. Joannes ex ventre matris propheta. IV. Joannes ostendit quem Prophetæ prædicaverant.

I. Sancti Joannis Baptistæ ac Præcursoris christianæ religionis et fidei, Natalis festivitas hodie ubique celebratur, cujus hinc vota persolvimus, dum, nostro studio, ejus memoriam recensemus. Hoc enim prophetica dignitate promeruit, ne laudes ejus sileret ingrata posteritas, cujus Deo dicatur ipsa Nativitas. Nam cum Sanctorum gloriam colimus, non eis aliquod beneficium præstamus, sed nobis maximum lucrum conquirimus. Hic enim, ut dixi, Joannes, Angelo nuntiante, concipitur, et divino præcepto in matris utero fœtus signatur, et in Jordanis sacramento Baptista dominicus sublimatur, quoniam Dominus per Angelum deputat filio Præcursorem, et Zacharias se confirmat incredulitatis auctorem. Modo, inquam, Elisabeth velut lampada accendatur, et Zacharias sacerdos corripiatur. Elisabeth lumen accipiebat, et Zacharias obmutescebat; illa accendebatur, et Zachariæ silentium imponebatur; Elisabeth fide concipiebat, et Zacharias sine fide obmutescebat, quod tale verbum emiserit : « Unde » hoc sciam ? inquit; ego sum senex, et uxor mea progre» ditur in diebus suis (*a*). » O mysterium in sacerdote ! Ipse pro aliis incensum offerebat, et Deum præsentem non agnoscebat. Sentit virtutem, et non accommodat fidem; merito tacet, quia non credit.

II. Repleta igitur Elisabeth pudore, egredi nolebat,

(*a*) Luc. I, 18.

quia quod habuit magna mirabilia, in se concipiebat. Concepit enim et miratur, sed quasi confundebatur. Jam enim in diebus suis processerat, hoc est, ætatis vires transierat. Hoc est quod mirabatur, quia senectus ejus gravida videbatur, et munus juventutis tempus protulit senectutis. Non peperit tempore quo volebat, et genuit tempore quando nolebat. Lactavit infantem in senectute quæ fuit sterilis in juventute ; gestavit in manibus puerum mulier annorum nonaginta, et eo amplius, sed hoc perfecit Pater et Filius et Spiritus sanctus. Sed hoc non est juventutis affectio, sed in senectute [1] divinæ majestatis promissio. Quando Zacharias voluit, tunc Elisabeth non potuit ; et ideo non potuit, quia non placuit. Deus enim nasci volebat, quem Prophetam mittere disponebat.

III. Nascitur ergo Joannes non sine patris invidia, quem præparavit suæ mentis præsidia ; non credidit pater divino præcepto, et vinctus est linguæ impedimento. Zacharias enim in ordine vicis suæ solita aris sacrificiorum offerens munera, cœpit mente, solito more, ubertatem precum diffundere ; sed lingua constrictus, nervorum vincula non poterat motitare [2]. Infans vero prope jam nasciturus, in alvo matris exultavit et de ejus ventre prophetavit. Cum enim venisset Mater Domini ad Elisabeth matrem Joannis, quid Elisabeth dixit : « Ecce ut facta est » vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit præ gau» dio infans in utero meo (*a*). » Et quid infans in utero prophetica voce exultavit? « Unde hoc, inquit, mihi, ut » veniat Mater Domini mei ad me (*b*)? » O magna humilitas ! Mater Salvatoris venit ad matrem Præcursoris. Salutavit Christum Joannes, et ambo non videbantur in

(*a*) Luc. 1, 44. — (*b*) Ibid. 43.

[1] Cod. male *sed senectutis divinæ majestatis promissio.* — [2] Cod *mutilare* ; forte ut diximus *motitare*.

carne. Christus enim in utero Mariæ hospitabatur, et Joannes in ventre Elisabeth morabatur. Merito voce divina dici potuit : « Antequam esses in utero matris tuæ » novi te, et in vulva sanctificavi te (*a*) : » quia necdum Elisabeth cœperat paritura, et jam cœperat prophetare. Locutæ sunt noctes, salutaverunt dies. Unde scriptum est : « Dies diei eructat Verbum et nox nocti profert (*b*) » Christum.

IV. Prophetia impletur, et quod obscurum fuerat revelatur ; id est, Joannes hodie nascitur, Joannis nomen scribitur, et patris lingua resolvitur. Ergo, Fratres charissimi, beati sunt tales pignorum susceptores ; beatæ quæ et istorum sunt genitrices : et vere quia beatæ erunt, quæ talium matres dici meruerunt. Fit hodie gaudium magnum, quia sterilis peperit filium, et pater qui erat mutus locutus est verbum. Præmittitur lucerna ante solem, servus ante dominum, amicus ante sponsum, præco ante judicem, Vox ante Verbum. Et ideo de se dicit : « Ego » sum vox clamantis in deserto (*c*). » Alii quidem Prophetarum adventum regis ante multa tempora prophetaverunt ; alii cito venturum esse prædicarunt ; ille vero cum venturum prædixit, venisse monstravit, et prophetia sua ipsum, quem annuntiavit, præsentem ostendit ; cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Jerem. I, 5. — (*b*) Psal. XVIII, 5. — (*c*) Matth. III, 33.

SERMO LVII.

De Joanne Baptista.

Admirabilem hunc Sermonem amplioris fragmentum tantum esse crediderim; extrahitur ex Cod. Cass. XII, *fol.* 230. *Totum repræsentat sublimitate Augustinum, cui tribuitur in Codice. Ponatur post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Christus longe major Joanne Baptista, simul inferior et æqualis Patri. II. Christus vere Patri æqualis. III. Christus quatenus homo, fit Patri inferior, major autem cunctis hominibus.

I. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum (*a*). » Numquid dedit alicui eorum, ut [1] diceretur de illo [2] : « Omnia per illum » facta sunt (*b*)? » Divinitatem apud se tenuit, gratiam donavit nobis. Hominem agnoscamus propter nos, Deum agnoscamus super nos; ipsum hominem; ipsum Deum. Sed ambos homines vides, et Joannem et Christum; sed quem vides hominem, Joanne major est, et tamen « Non » est dignus solvere corrigiam calceamenti ejus (*c*). » Hunc ergo intellige majorem; et tanto majorem, ut Joannes minor illo sit, quamvis major sit omnibus justis. Iste autem major terra et cœlo; major Angelis; major

(*a*) Joan. I, 1. — (*b*) Ibid. 3. — (*c*) Ibid. 27.

[1] Cod. male *usquis eorum diceretur*. — [2] Vide Serm. CCXCIII, n. 5; et Serm. CCCLXXX, n. 5.

omnibus Virtutibus; major omnibus Sedibus, Potestatibus, Dominationibus. Unde major? « Quia omnia per ip- » sum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*a*). » Per hoc æqualis Patri, per hominem minor Patre. Ipse enim dixit[1] : « Ego et Pater unum sumus (*b*), » qui dixit : « Pater major me est(*c*). » Ambæ sententiæ quasi contrariæ, et ambæ veræ. Cor tuum non litiget, et verba Domini non litigant. « Ego et Pater unum sumus, » æqualitatem ostendit; « Pater major me est, » imparilitatem ostendit.

II. Ubi « Ego et Pater unum sumus, » audi Apostolum sententiarum ambarum interpretem in uno loco : « Qui » cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est » esse se æqualem Deo (*d*), » quia hoc erat natus. Rapina est usurpati : sicut Adam, rapina illi facta sunt ista. Et ideo quia voluit rapere quod non erat, perdidit quod habebat. Quomodo rapinam voluit? Ait illi serpens, unde et ipse ceciderat : « Ponam sedem meam ad Aquilonem, » et ero similis Altissimo (*e*). » Ista cogitatio diabolum dejecit. (Per) istam suggestionem hominem diabolus fecit superbiæ illius suæ participem[2]. Invidit enim stantem, qui jam ceciderat; inde dejecit, unde ipse cecidit. Ecce quibus erat rapina. Illi autem non erat, quia natus æqualis, et ab æternitate in æternitatem manens, æqualis nunquam non fuit, nunquam non erit. Nec dicendum Fuit, Est et Erit, sed Est. Quod ergo dicitur Fuit, jam non est; quod autem dicitur Erit, nondum est. Ideo ipse ibi, quando mandavit famulo tuo Moysi, cum diceret illi Moyses : « Quid vocaris? et dixit : Quid dictu-

(*a*) Joan. I, 3. — (*b*) Id. X, 30. — (*c*) Id. XXIV, 28. — (*d*) Philip. II, 6. — (*e*) Isaï. XIV, 13, 14.

[1] Vide Serm. CCCXLI, n. 6. — [2] Cod male *ista suggestio homini Diabolus fecit per superbiam suam participem.*

» rus sum filiis Israël? respondit : Ego sum qui sum ; » dices itaque filiis Israël : Qui est misit me ad vos (*a*). » Ubi dicitur Est, germanum est, sincerum est, mutari nunquam et nusquam potest[1]. Hoc Deus, hoc Filius Dei, hoc Spiritus sanctus. Itaque, Fratres, hoc supra omnia ; et ideo æqualis Filius Patri ; unde Apostolus : « Non rapi- » nam arbitratus est esse se æqualem Deo (*b*). »

III. Unde est : « Pater major me est, sed semetipsum » exinanivit (*c*)? » Videte, distinguite verba : « Formam » servi accipiens (*d*). » Infigite hoc auribus, et discernite quomodo formam servi cum diceret, « Accipiens » dixit ; de forma autem Dei non dixit « Accipiens, » sed dixit : Qui » cum in forma Dei esset, formam servi accipiens, in » similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut » homo ; humiliavit se, factus obediens usque ad mor- » tem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus eum » exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne » nomen (*e*). » Secundum quod homo factus est, exalta- tus est. Secundum hoc exaltatus, secundum quod hu- milis ; nam secundum quod æqualis Patri, non exaltatus, quia nunquam humilis : secundum quod mortuus, resur- rexit : « Donavit illi nomen quod est super omne nomen. » Ecce Christus veniens, et tamen ibi erat ; resurrexit et ascendit in cœlum, et tamen inde non recesserat. Homi- nem putas, noli putare. Ecce homo « Quo nemo surrexit » major in natis mulierum (*f*). » Audi illum de se ipso homine : « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti » ejus (*g*). » Duos ergo homines intellige ; sed unum hominem Deum, alterum hominem bonum propter Deum (homo Deus, Christus, homo bonus propter Deum,

(*a*) Exod. III, 13, 14. — (*b*) Philip. II, 6. — (*c*) Ibid. 7. — (*d*) Ibid. — (*e*) Ibid. 7, 9. — (*f*) Matth. XI, 11. — (*g*) Joan. I, 27.

[1] Vide Serm. VI, n. 1.

Joannes); unum hominem Veritatem, alterum hominem ex Veritate veracem.

SERMO LVIII.

In Natali Apostolorum Petri et Pauli.

Sermo iste, qui cum nomine sancti Augustini legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 232, *sine nomine indicatur in Bibl. Laurent. tom.* IV, *fol.* 293; *et in Supplemento ejusdem tom.* I, *fol.* 434. *Locus ejus post Sermonem* CCXCIX, *cum numero in Natali Apostolorum* VI.

SYNOPSIS.

I. Beati Petrus et Paulus in vocatione sua simul conferuntur. II. Beatorum Apostolorum martyrium mystice laudatur.

I. NATALEM, juvante hodie Domino, Apostolorum celebramus, quorum memoriam universus mundus amplectitur, et æquali fide, dum finem in his sæculorum vitæ recolit, perpetuitatem cœlestis gloriæ confitetur. Pauli hodie natalis est. Et quis ista taceat? Petri festivitas vertitur. Quemadmodum ille verba non suggerat, qui adversus Simonem disputans, istius canis rabiosam[1] feritatem obsecundans, et loqui didicit et placare? Pretiosam plane in conspectu Domini mortem sanctorum felici suo exitu comprobarunt[2]. Paulus, inquam, vas electionis, Petrus

[1] Codex male *etiam canes regiosa feritas obsecundans.* — [2] De comparatione Petri et Pauli vide Serm. CCXLIX, n. 2 et CCCLXXXI, n. 1.

clavicularius Dominicæ mansionis ; unus piscator, alius persecutor. Paulus cæcatus est ut videret, Petrus negavit ut crederet. Paulus post resurrectionem Ecclesiæ ad fidem Christi Domini se convertens, tanto discipulus[1] factus est fortior veritatis, quanto pertinacior fuerat cultor erroris. Petrus piscator non posuit retia, sed mutavit, quia primus honore sacerdotii muneratus, fontes potius cœpit amare quam maria, ut non tam abstraheret quos occideret, sed mergeret quos levaret[2]. Beati plane in administratione doctrinæ positi[3], beatiores in mortis desiderio constituti. Ibi enim gloria nutritur, hic traditur[4]. In sæculo exercitium tribulationis est, in morte assumptio majestatis. Ecce per omnes transiit sonus eorum. Ubique laus utrisque colligitur; ubique linguis fidelium triumphorum materia explanatur.

II. Quis hos audeat mortuos appellare, quorum fide universus ad vitam mundus erigitur? Atqui (ad) illam superni luminis invisibilem mansionem talibus doctoribus, secura ambitione festinare[5] nemo dubitet, nemo assequi sibi impossibile suspicetur. Ibi enim Paulus est qui auxilium præstet conanti ; ibi Petrus est qui cœlum aperiat venienti. Libet etiam ipsa illustrium personarum victricia pensare tormenta. Paulus, inquam[6], decollatus est; Petrus retro versis pedibus crucifixus. Habet perfectum mysterium nobilium status[7] pœnarum. Decebat enim ut Paulus capite plecteretur, quia Gentibus caput fidei esse probatur; Petrus autem quia noverat caput viri Christum esse, Christo jam in cœlestibus constituto, caput suum præmisit, pedibus sequebatur, ut novo genere passionis, ligatis pedibus, manibus resolutis, et iter cœleste faceret, et

[1] Cod. sine sensu *humilis*. — [2] Forte *lavaret*. — [3] Id. male *posuisti*. — [4] Vide Serm. ccxcvm. — [5] Cod. *festinet*. — [6] Cod. male *inquit*. — [7] Cod. *iste*. Lector de correctione judicet.

oraret. Non sum, inquit[1], dignus sic crucifigi quemadmodum Dominus meus. Non his vocibus martyrium recusavit, sed triumphum Domini timuit usurpare, paratus ad pœnam, verecundus ad meritum. Melius ergo centumpliciter, melius profecto, beate Petre, suspenderis, quam Magus[2] volat. Ille alta petit ut profundius cadat; tu terræ caput applicas ut cœlum possideas interemptus; præsta, Domine[3], qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIX.

De Piscatione Petri.

Eruitur ex Cod. Cass. CIV, *fol.* 120, *ubi legitur absque titulo. Sed Biblioth. Laurent. illum sancto Doctori tribuit, nec immerito. Locus ejus in Editis post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Cymba Petri Ecclesia Christi. II. Petrus animas capiens.

I. Tempus admonet, Fratres, ut evangelicum capitulum, quod nuper lectum est, disseramus, in quo ait ad Petrum Dominus adhuc in ejus navicula constitutus: « Noli timere, » ex hoc jam eris homines vivificans (*a*). » Ex ista enim clausula possumus totius lectionis intelligere sacramentum. Quid enim erat causæ, cum in captura pis-

(*a*) Luc. v, 10.

[1] Cod. male *itaque*. — [2] Simonem intellige quem cœlo volare præsumentem precibus dejecisse creditur. — [3] Forte *præstante Domino, qui vivit et regnat.*

cium refertas naviculas Discipuli mirarentur, quod Salvator Petro non id permitteret quod poscebat, sed responderet, quod penitus ignorabat? Hoc est quod in ipsa, in qua erat, navicula non vivificari homines soleant, sed trepidare vestigio? Vide ergo ne ista navicula non sit navicula, quæ Petro regenda tribuitur, sed sit Ecclesia quæ Apostolo gubernanda committitur. Ipsa enim navis est, quæ de mundanis turbinibus, velut de fluctibus elevatos non necare, sed vivificare consuevit. Nam sicut cymba subtilis sublevatos pisciculos de gurgite salvat et retentat, ita et navis Ecclesiæ liberatos de turbine homines animat, cum capescit : animat intra se, inquam, Ecclesia, et velut mortuos vivificat. Nam vivificare verbum hoc significat; nihil enim vivificatur, nisi quod paulo ante fuerit in vita. Velut saucios ergo mundi turbinibus et præfocatos sæculi fluctibus homines vivificaturus dicitur Petrus ; et quia mirabatur refertam naviculam palpitantium piscium numerositate, viventium onustam Ecclesiam hominum multitudine plus miretur.

II. Tota igitur series lectionis mysticum continet intellectum ; nam et in superiori loco ubi sedens in navicula Dominus dicit Petro: « Duc in altum, et laxate retia ves» tra in capturam(*a*); » utique non tam eum docet piscationis in profundum instrumenta jacere, quam prædicationis in altum verba laxare. Quod etiam Paulus oris sui jaculo penetravit dicens: « O altitudo divitiarum sapientiæ » et scientiæ Dei (*b*)! » et reliqua. Non, inquam, eum docet lino pisciculos concludere, sed fide homines congregare. Hoc enim operatur fides in terris, quod rete operatur in fluctibus. Nam sicut rete, quos continet, vagari non patitur, ita et fides errare, quos colligit, non permittit: et sicut ibi captos sinu quodam perducit ad navim,

(*a*) Luc. v, 10. — (*b*) Rom. xi, 33.

ita et hic congregatos gremio quodam deducit ad requiem. Ut autem intelligas, quia de spirituali piscatione Dominus loquebatur, ait Petrus: « Præceptor, per totam noc- » tem laborantes nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo » retia (*a*); » velut si diceret: Quia per totam noctem frustra vigilantibus nobis non proficit nostra piscatio, piscabor non jam instrumento, sed gratia, non artis industria, sed devotionis instantia. « In tuo, inquit, verbo laxabo retia. » Legimus Verbum esse Dominum Salvatorem, sicut ait Evangelista: « In principio erat Verbum (*b*), » et reliqua. Ergo cum in verbo Petrus laxat retia, in Christo utique laxat eloquia, et cum illa contexta et composita in dicto Præceptoris lina explicat, magis distincta et convenientia in nomine Salvatoris verba dilatat, quibus possit non animantia[1] salvare, sed animas. « Per totam, inquit, noctem » laborantes, nihil cepimus (*c*). » Per noctem vere laboraverat Petrus, qui prius obscuritatem patiens sine Christo non poterat videre, quos caperet. At ubi lux Salvatoris illuxit, discussis tenebris, cœpit etiam in alto fidei cernere, quos oculis non videbat. Noctem plane passus est Petrus, donec dies ei qui Christus est non astiterat. Unde ait Apostolus: « Nox præcessit, dies autem appropinqua- » vit (*d*). »

(*a*) Luc. v, 5. — (*b*) Joan. i, 1. — (*c*) Luc. v, 5. — (*d*) Rom. xiii, 12.

[1] Cod. male *amantia*.

SERMO LX.

De Lapsu Petri.

Eruitur ex Cod. Cass. DXXXIV, *fol.* 199, *cum nomine beati Augustini, cui recte tribuendus est. Locus ejus inter Editos post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Petri præsumptio. II. Casu de propria infirmitate eruditur.

I. Audistis apostoli Petri, Domino interrogante, confessionem, cujus audieratis, ancilla terrente, negationem. Dictum enim erat præsumenti : « Negabis me (*a*); » dictum est diligenti : « Amas me (*b*)? » ut enim titubaret apostolus Petrus, præsumpsit de viribus animi sui. Jamvero olim reprehenderat Psalmus : « Qui confidunt in virtute » sua (*c*). » Factus ergo erat Petrus tanquam ille de quo cantatur in Psalmo : « Ego dixi in mea abundantia : Non » movebor in æternum (*d*). » In abundantia sua dixerat Christo : « Tecum sum usque ad mortem (*e*); » in abundantia sua dixerat : « Non movebor in æternum[1]. » Dominus tamen tanquam medicus et artifex, quid infirmo ageretur melius noverat, quam ipse infirmus. Faciunt hoc medici in valetudinibus corporum, quod Dominus potest etiam in valetudinibus animarum. Nam quid tibi videtur

(*a*) Matth. XXVI, 75. — (*b*) Joan. XXIII, 17. — (*c*) Psal. XLVIII, 7. — (*d*) Id. XXIX, 7. — (*e*) Luc. XXII, 33.

[1] Vide Serm. CCLXXXIV, n. 6, et Libr. de Corrept. et Grat. n. 24.

erogare, ut expectet æger audire a medico, quid in illo agatur[1]. Ipse enim dolores, quos patitur, potest nosse; utrum autem periculosi sint, et quas causas habeant, utrum possit, an non possit evadere, medicus venas inspicit, et quid in ægro agatur ipse ægroto renuntiat. Quando ergo Dominus beato Petro: « Ter me negabis (*a*), » dicebat, venam cordis ejus tangebat[2]. Ecce factum[3] est, quod prædixit medicus, et falsum inventum est, quod præsumpsit ægrotus.

II. Ibi enim in eodem Psalmo sequitur Spiritus et dicit. Cum dixisset: « In abundantia mea non movebor in » æternum, » quasi præsumens de viribus animi sui, continuo subjecit: « Domine, in voluntate tua præsti- » tisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, » et factus sum conturbatus (*b*). » Quid dixit? Quod habebam, abs te habebam, et a me esse credebam: « Aver- » tisti autem faciem tuam; » tulisti quod dedisti, et « Factus sum conturbatus; » inveni quis eram[4], quia tu recesseras. Dominus ergo Petrum, ut salubriter humilem faceret, ad tempus deseruit[5]. Quando illum respexit, tunc flevit, sic enim habes in Evangelio, postquam negavit: impletum est quod prædixerat Dominus. Quid scriptum est? « Respexit eum Dominus; et recordatus est Pe- » trus (*c*). » Si non respexisset, totum Petrus oblitus fuisset. « Respexit eum Dominus, et recordatus est Pe- « trus, quia dixerat ei Jesus: Antequam gallus cantet, » ter me negabis; et egressus foras, flevit amare (*d*). » Opus erat ergo Petro ad abluendum negationis peccatum

(*a*) Matth. xxvi, 75. — (*b*) Psal. xxix, 8. — (*c*) Luc. xxii, 61. — (*d*) Ibid. 62.

[1] Vide Serm. CCLXXXV, n. 3. — [2] Vide Enarrat. in Psal. CXXXVIII, n. 21. — [3] Cod. male *factus est*. — [4] Id. *qui erant*. — [5] Vide Serm. CXLVII, n. 3, et CCLXXXV, n. 3. Deseruit, non gratiam prorsus negando, sed tribuendo minorem.

baptismum lacrymarum. Sed unde hoc habere potuisset, nisi ei hoc ipsum Dominus dedisset?

SERMO LXI.

In Solemnitate sanctorum Machabæorum I.

Hic Sermo, qui eruitur e Cod. Cass. XII, *fol.* 239, *jam stampatus est inter opera S. Leonis tom* I, *fol* 244, *editionis Cacciari Rom.* 1753. *Sed sancto Augustino, cujus nomen præfert in Cod. Cassinensi, jure et merito restituendus est. Unde illum correctum et emendatum lectori benevolo repræsentamus. Locus ejus post Serm.* CCCII, *cum numero in solemnitate sanctorum Machabæorum* III.

SYNOPSIS.

I. Martyres Machabæi exemplum sunt omni sexui et ætati. II. Machabæorum mater in filiorum educatione laudanda. III. De martyrio primi fratris. IV. De aliorum quinque fratrum martyrio. V. Martyrium junioris fratrum præ cæteris extollitur.

I. AUDITA a vobis hodie, Dilectissimi, Machabæorum fratrum gloriosissima passione[1], rectissime, ut puto[2], apud Apostolicum hoc quod hodie lectum est a nobis, dicitur: « Hæc autem, Fratres, ad nostram correctionem scripta » sunt, in quos finis[3] sæculorum devenit (*a*). » Et vere omnia quæ in divinis paginis scripta sunt, ad eruditio-

(*a*) 1 Cor. x, 2.

[1] Cod. Male *auditam... passionem.* — [2] In Cod. male deest *puto.* — [3] Edit. *fines... devenerunt.*

nem nostram scripta sunt ac salutem, ut exempla aliorum nostri profectus sint; et dum magnorum virorum illustria facta legimus, ipsi fidei incitamenta capiamus. Et ideo lecto nobis hodie et beatæ fraternitatis, et beatæ matris triumpho, uterque Ecclesiæ populus[1] de sexu suo sumat exemplum; id est, ut et viri imitentur eximiam fratrum devotionem, et fœminæ piæ matris affectum, sicque et doceant filios quæ[2] docent, et sic obediant qui docentur. Discant ergo omnes, qui amant filios sic amare.

II. Beata Martyrum mater ab incunabulis filios suos bene instituens, et sancta docens, dum minora docuit, sublimiora concedit; ac sic et matre bene instituente, et filiis bene obediendo[3] obsecundantibus, sanctam fraternitatem, quam fides docuit, obedientia consecravit. Beata mater, cui super humana possibilitate[4] provehere sobolem suam datum est[5]! quæ dum docet filios suos religionem[6], duxit ad cœlum. Unde, licet ad ædificationem Ecclesiæ jam ista sufficiant, dicendum mihi tamen breviter etiam de singulorum passionibus puto; maxime quia in his[7] non laus tantum, et admiratio, sed et doctrina Ecclesiæ atque ædificatio continetur.

III. Videamus ergo quæ fuerit primi fratris vox in persecutione, vel passione[8]: « Quid quæris? inquit, ut » audistis, juvenis ad tyrannum, quid vis discere a no» bis[9]? Parati sumus mori, magis quam patrias leges præ» varicari (*a*). Parati ergo, inquit, sumus mori, » unus loquebatur, et pro omnibus respondebat. Intelligamus

(*a*) 2 Mach. VII, 2.

[1] Vide Serm. CCCI, n. 6. — [2] Edit. male *quos*. — [3] Vox *obediendo* deest in Edit. — [4] Edit. *supra humanam possibilitatem*. — [5] Verba *datum est* desunt in Edit. — [6] Edit. *religione sua*. — [7] Cod. habet solum *his*. — [8] Edit. *vel vox in persecutione vel passio*. — [9] Edit. male *discere nobis*.

utique in unius anima mentes fuisse cunctorum. Accensus ergo ac furens tyrannus abscindi[1] linguam loquentis jubet. O sævissimum incredulitatis artificem! Linguam tollere jubet[2], ut confessionem possit[3] auferre; nesciens devotionem et fidem non tam linguarum esse quam sensuum. Itaque beatissimus Martyr, etiamsi damnum sermonis pertulit, fidei tamen damna non sensit. Ore enim postea tacuit, sed mentis constantiam tenuit[4].

IV. Sed properemus ad cæteros. Interrogatus, inquit Scriptura, secundus, ut audistis, a persecutoribus « Si » manducaret carnes porcinas, respondit: Non faciam. » Propter quod ipse[5], inquit, sequenti loco, primi tor- » menta suscepit(*a*). » Bene cum secundo actum est æqualitate supplicii, ut quem majori fratri æquabat fides, æquaret et passio, ac sic[6], licet secundus esset nascendi ordine, et ipse tamen primus pœnarum fieret dignitate. « Post hunc, inquit Scriptura, tertius illudebatur(*b*). » Pulchre sermo divinus insidias dæmonis, verbo ludificationis expressit, quia semper artifex, quos non potuerit violentia vincere, quærit saltem illusione superare. Quartus autem cum torqueretur, truncatis jam pene omnibus membris, inter damna corporis, fidei tamen[7] damna non sentiens: « E cœlo[8], inquit, ista possideo(*c*). » O præclaram Martyris fidem[9], qui quod amittebat in terra, possidere se testabatur in cœlo! Merito ergo detrimentis membrorum non angebatur[10], cui quasi in lucrum damnum cedebat[11]; cum utique, quidquid temporaliter per-

(*a*) 2 Mach. VII, 8. — (*b*) Ibid. 10. — (*c*) Ibid. 11.

[1] Cod. *abscidi*. Unum et alterum indistincte pertinent ad purum latine loquendi modum. — [2] Edit. *linguam voluit tollere*. — [3] Cod. minus bene *posset*. — [4] Edit. *semper tamen mente clamavit*. — [5] Edit. *et iste*. — [6] *Sic* deest in Edit. — [7] Vox *tamen* in Edit. desideratur. — [8] Edit. male *in cœlo*. — [9] Edit. *O præclara Martyris fides*. — [10] Edit. et Cod. *agebatur*; corrigitur ex sensu. — [11] Cod. *cedebatur*.

deret, totum[1] æternaliter possideret. Non minus quoque[2] quinti fratris tam vox laudanda, quam virtus, qui inter supplicia acerbissima constitutus, fidem mentis etiam conscientia prædicationis ostendit, dicens tyranno: « Potestatem inter homines habes, cum sis corruptibilis; » noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelic- » tum; patienter sustine, et videbis magnam potestatem » illius, qualiter et te et semen tuum torquebit (*a*). » O perfectæ fidei admirandam securitatem[3], quæ persecutoribus non submittitur, quæ[4] torquentibus comminatur! Ita beatissimus Martyr, etiam cum membris non subsisteret, animo[5] tamen tortoribus suis fortior fuit. Inferior conditione, altior fide; minas non deposuit, cum supplicia sustineret. Ita, quantum in ipso fuit, dum cruciatur, cruciat; dum occiditur, vindicatur; ac sic, inter tormenta ipsa sublimior Martyr fide, quam tyrannus potestate, dum persecutionem patitur, ipsum judicat persequentem. Sextus autem, cum triumphalibus pœnis cœlum ascenderet, in ipso admodum jam beato exitu constitutus, sic ad tyrannum ait: « Noli frustra errare: nos enim propter » nos ipsos patimur, quia peccavimus in Dominum nos- » trum, et digna admiratione facta sunt in nobis (*b*). » Non fides tantum in sanctis Martyribus est admiranda, vel virtus, sed magis admodum religiosa mentium mansuetudo, et inter excellentes triumphos, humilitas magis eminens.

V. Nunc ad illam septimi fratris laudandam omnibus, venerandamque constantiam veniamus; qui ultimo inter fratres loco passus, obtinere hoc admirabili fide potuit, ut novam faceret post tot victorum fratrum bella victo-

(*a*) 2 Mach. VII, 16, 17. — (*b*) Ibid. 18.

[1] Edit. *totum id.* — [2] Edit. *non minus quoque est.* — [3] Edit. *admiranda securitas.* — [4] Edit. *qua* — [5] Edit. *anima.*

riam; nec immerito, quia cum fuerit inferior certo nascendi ordine, factus est pœnæ admirabilior passione; et minor ætate[1], major exemplo; quia hoc in pœna passio[2] plus admirationis exhibuit, quo minus fortitudinis puericia promisit; et tanto plus visus est, puto, ipse vincere[3], quanto minus putatus est posse pugnare. Accessit autem ad meritorum vincentium cumulum etiam crudelissimi tyranni fallax atque insidiosa tentatio, blandimentis magis periculosa quam pœnis; quia ætas puerilis ac tenerior, etiamsi possit par esse tormento, est tamen infirma consilio. Invenit enim tyrannus sævius[4] persequendi genus, ut indulgentia[5] plus noceret, advocans ad persuadendum filium fidelissimam ac piissimam matrem. Sciebat enim infirmissimam in tormentis esse pietatem, et quod etiam quæ sustinere in se quis potest, perferre[6] non possit mater in filio; quia infirmiores sunt animi diligentium quam membra tolerantium. Tentans ergo crudelissimus tyrannus filii animum in matris affectu[7], id egit, ut in matre[8] filius, et mater vinceretur in filio; callidissima utique crudelitate, qua si unum tentaret, et duos vinceret, hostis[9] nescis cujus magis[10], utrum illius quem a choro gloriosissimorum fratrum voluit[11] separare, an illius quam ita decipere conatus est, ut dum unius pignoris vitæ consulit[12], perderet quidquid in cunctis ante meruisset[13].

[1] Edit. *ævo*. — [2] Vox *passio* deest in Edit. — [3] Edit. *potuisse vincere*. — [4] Cod. *sævus*, minus bene. — [5] Edit. *indulgendo*. — [6] Cod. male *perferri*. — [7] Edit. *affectum*. — [8] Edit. *ut et in matre*. — [9] Edit. male *hostes*. — [10] Edit. *licitum... illiusque Machabæorum gloriosissimorum...* — [11] Codex male *voluisti*. — [12] Edit. *consuleret*. — [13] Sermo finem habere non videtur; unde in quibusdam Codicibus quibus usus fuerat Cacciari hic astruitur finis, et quidem finis ex sancto Augustino depromptus, nempe ex Homilia II in Machabæis, Serm. CCCII, quod quidem militat in gratiam authenticitatis hujus fragmenti.

SERMO LXII.

In Solemnitate sanctorum Machabæorum II.

Hic Sermo, qui, sicut præcedens, legitur jam stampatus in sancto Leone ex editione Cacciari Serm. LXXXVI, *fol.* 246, *legitur etiam in nostro Cod.* XII, *fol.* 244, *cum nomine sancti Augustini, cui certe videtur tribuendus. Sancto Leoni convenire non potest, cum Romæ non celebraretur festum sanctorum Machabæorum, quod celebratum fuisse apud Hipponem testantur alii plures sancti Augustini de illa solemnitate sermones. Accedit ad nostri Codicis auctoritatem sententiarum et styli cum Augustiniano genere conformitas. Ponatur correctus ad nostri Codicis variantes lectiones post præcedentem, cum numero in Solemnitate sanctorum Machabæorum* IV.

SYNOPSIS.

I. Post exordium laudatur mater Machabæorum, quod septem filios una die genuerit ad vitam æternam. II. Matris Machabæorum felicitas superextollitur. III. Fortiter contemplatur mater sex priorum tormenta. IV. Antiochus juniori blanditur, et matri jubet ut suadeat filio. V. Mater, Abraham mirabilior, ultimum filium hortatur ad martyrium. VI. Junior morte traditur, et post filium mater. VII. Ergo et nobismet ipsis cuncta pro Christo perferenda.

I. Si velimus, Fratres dilectissimi, de singulis istis sanctis, ac beatissimis septem fratribus, qui die una, cum sua gloriosa matre, passi sunt, laudes dicere, nec nos duramus loquendo, nec vos toleratis audiendo. Postremo, Fra-

tres, etsi vestra in audiendo persistat aviditas, nostra tamen dicendo fatigatur infirmitas. Quis enim, Dilectissimi, sufficiat digne laudare, digne prædicare, etsi non die una natos, tamen per confessionem die[1] una coronatos? Hoc eis sancta fecit confessio, quod non potest facere humana parturitio. Hoc, inquam, fecit divina gratia, quod non potest humana natura. Non enim potest quæcumque mulier die una generare septem fratres, quomodo hæc beata et gloriosa Machabæa genuit Christo per fidem, una die, septem martyres confessores. Gaudeamus, Fratres charissimi, quia fides facit quod naturalis progenies nunquam fecit. Gaudeamus ad Dei mirabilia, lætemur ad Dei magnalia, quia quidquid[2] non potuit simul edere uterus carnis, simul coronavit hodie Dominus majestatis.

II. O felix Mater quæ genuit tales, hoc est, carne et charitate, mundo et Deo, sæculo et Christo, terræ et cœlo! Sed quos primo cum tristitia et gemitu carne generaverat, nunc sicut Abraham tanquam holocaustum Deo in ara fidei cum lætitia singulos ad victimam offerebat. O felix Mater, quæ nullum filiorum suorum Deum negantem planxit, nullum titubantem aspexit, nullum dæmoniis sacrificantem congemuit! In singulis enim et ipsa patiebatur, sed in omnibus vincentibus, pro se et pro illis magnifice lætabatur. O mulier bona, quæ facta est arbor bona! Sic enim Dominus dixit[3]: « Arbor bona bonos » fructus facit (*a*). » Folia et fructus istius arboris, Fratres, verba sancta et[4] bona facta sunt. De tali sancta arbore dicit Propheta : « Filii tui[5] sicut novellæ olivarum » in circuitu mensæ tuæ (*b*). » Item, intenti estote, Fratres; arbor olivæ in hyeme invenitur fructuosa, in æstate

(*a*) Matth. VII, 18. — (*b*) Psal. CXXVII, 3.

[1] Cod. male *per confessionem Dei una coronatos*. — [2] Cod. minus bene *qui quod*. — [3] Edit. *dicit*. — [4] Edit. *ac*. — [5] Edit. *et rami tui*.

opaca; in hyeme agricolam pascit, in æstate ei refrigerium facit; oleo impinguat caput ejus, umbraculo defendit corpus ejus[1]. Sic denique dicit Propheta: « Impinguasti » in oleo caput meum (*a*); » Et iterum orat et dicit: « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini (*b*). » Hunc olivæ surculum columba invenit, et ad arcam, tempore diluvii, cum fructu revocavit. Isti ergo septem filii septem fructuosi sunt rami, qui tempore persecutionis inclinari potuerunt, frangi non potuerunt[2].

III. Cum ergo videret filios suos pro fide torqueri, frigi, incendi, et singillatim eorum membra abscindi[3], trucidari, et in ventos[4] disseminari, non timuit, non expavit, non saltem palluit; intrepide enim stabat, quam Deus pro sua lege pugnantem fortiter corroborabat. O quæ Deus huic beatæ mulieri concessit, Fratres, ut quæ nata est in ordine temporis prior filiis, simul cum eis juncta fuisset Angelis! et quæ fuerat mater, facta est soror in agone certaminis; et quæ prior nata viderat solem, una die cum filiis[5] passa, modo conspicit Salvatorem.

IV. Ideoque cum unus junior ex septem fratribus[6] remansisset, vocavit eum item perditus rex, et ei cœpit oblectando, multa etiam promittendo, ut a via recta eum traduceret, et a suis sanctis fratribus subdole separaret[7]. Promisit primum divitias, honores, dignitates; promisit aurum, argentum, regnum, imperium. Iste autem omnia irrisit, omnia conculcavit, quia Deum toto corde dilexit. Præparatæ[8] sunt minæ et cuncta genera tormentorum;

(*a*) Psal. xxii, 5. — (*b*) Id. li, 10.

[1] Vide Enarr. in Psal. cxxvii, n. 13, et Tract. vi in Joan. n. 19. — [2] Cod. minus bene *inclinari non potuerunt*. Reliqua desunt. — [3] Cod. *abscidi*. — [4] Id. *in vento*. — [5] Edit. *cum filiis suis*. — [6] Cod. *septem fratres*. — [7] Edit. *a via recta volens eum traducere et a sanctis suis fratribus subdole separare*. — [8] Edit. *prætentæ*.

nec sic timuit, nec ad munera declinare potuit, nec minas crudelissimi regis expavit. Cumque vidisset Antiochus rex ubique se victum, et ab omnibus superatum, vocavit matrem pueri, ut persuaderet filio suo, ne et ipse, sicut fratres ejus, ad majora tormenta perveniret. Dixit mulier se persuasuram filio suo[1]. Sed quid habuit persuadere illi qui remanserat, nisi quod persuaserat illis quos jam ad Dominum præmiserat? Jam enim[2] primo dixerat filiis suis : « Filii, nescio quomodo in ventrem meum » apparuistis[3], nec ego spiritum et animam dedi vobis; » non vultus et membra plasmavi; sed Deus qui fecit » cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et » omnium inquirit actuum[4] originem, ipse spiritum et ani- » mam vobis[5] donavit; ipse vultus et membra plasmavit, » et quia modo propter sanctas leges ejus traditis corpora » vestra, sed ipse iterum vos restituet in sua misericor- » dia (*a*). » Mater enim erat[6]; hoc noverat præstare filiis suis, quæ toto corde diligebat Deum.

V. Si miramur, Fratres, Abraham sanctum, quia Deo intrepidus obtulit filium, quanto magis hæc mirabilior extitit, quæ una die septem filios Martyres ad Deum cum tota devotione præmisit[7]? Igitur et isti novissimo filio[8] qui remanserat, dicebat : Tu, fili, superes mihi; tu summa votorum meorum, tu postremus clausisti partus meos; rogo et obsecro, comple gaudium meum[9]. Miserere mei, inquit, mi fili[10], quæ te in utero meo[11] tot mensium spatia por-

(*a*) 2 Mach. VII, 22, 23.

[1] Cod. male *dixit mulieri ut persuaderet filio suo.* — [2] Edit. *tum enim.* — [3] Edit. *paruistis.* — [4] Cod. evidenti errore *inquit tactuum.* — [5] *Vobis* deest in Cod., sed legitur in Edit. — [6] Edit. *mater enim erat, non noverca.* Deinde verbum *hoc* desideratur. — [7] Edit. *remisit.* — [8] Cod. minus bene *et in isto minimo filio.* — [9] Edit. *gaudia mea.* — [10] Edit. *miserere, inquit, mei filii.* — [11] In Edit. deest vox *meo.*

tavi. Ne uno momento confundas senectutem meam ; ne decolores tot fratrum tuorum trophæa ; ne[1] sacrum eorum comitatum relinquas, nec consortium deseras. « Aspice, » inquit, Fili, in cœlum (*a*), » unde spiritum et animam accepisti ; « aspice in terram[2], » quæ tibi alimenta salutis subministravit ; aspice fratres, qui collegam expectant ; aspice matrem[3], « quæ tibi lac per trienne tempus de- » dit (*b*). » Redde mercedem pii sanguinis ; noli a fratribus separari, et[4] quæ te parturivit, matre divelli[5]. Rogo, Fili, temporales tibi divitias promittit Antiochus rex, et[6] temporales honores ; sed omnia vide et proba quia vana sunt, temporalia et inania ; æterna[7] non sunt. Solus Deus æterna promittit, qui neminem decipit, neminem fallit. Fili, recordare verba Domini Dei tui ; recordare, inquam, quod legisti vel[8] audisti ; quid Deus dicat per Prophetam : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*c*). » O Fili, noli timere Antiochum regem, qui tuum corpus ad tempus[9] occidit, sed time Deum tuum, qui corpus et animam cum tuis fratribus resuscitabit[10]. Vos itaque mihi septem dierum lumina Deus dedit. Jam sextum diem conclusi, quia sex tuos fratres ad Dominum præmisi, et omnium opera valde bona vidi. Debes et[11] tu sequi fratres tuos[12], Fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te septimum requiescam, quia et Dominus Deus ad quem curritis[13] et pergitis, septimo die requievit ab omnibus operibus suis, et ego requiescam in te ab omnibus lacrymis meis.

VI. Tali ergo[14] et isto materno hortamento admonitus[15]

(*a*) 2 Mach. VII, 28. — (*b*) Ibid. 27. — (*c*) Eccle. I, 2.

[1] Edit. *nec*. — [2] Edit. *in terra*. — [3] Vide Serm. CCC, n. 7. — [4] Cod. male *ætate*. — [5] Id. male *debelli*. — [6] *Et* deest in Cod. — [7] Cod. *et æterna*. — [8] Edit. *et*. — [9] Desunt in Edit. verba *ad tempus*. — [10] Edit. *sed Deum, qui tamen corpus et animam cum tuis fratribus resuscitabit*. — [11] Deest verbum *et* in Edit. — [12] Tria hæc verba in Cod. non leguntur. — [13] Edit. *itis*. — [14] Edit. *igitur*. — [15] Edit. *armatus*.

repletus Spiritu sancto ait : « Quem speratis? quem sustine- » tis? Non consentio neque obedio imperio falsi regis, sed » obedio Deo (*a*) ; » et cætera quæ audistis. Igitur et ipse[1], mundus et purus, spiritum tradidit. Post omnes mortua est et mater ; mortua in mundo, sed vivit in Deo. Non enim mori potuit, quæ filios suos pro amore Dei martyrium perpeti fecit. Omnes enim vivunt sub ara cœlorum, « quia » non est Deus mortuorum, sed vivorum (*b*). »

VII. Ergo, Fratres, si[2] antiqui justi pro illis divinis sacramentis multa passi sunt : si tres pueros et Danielem laudamus et prædicamus, quia de mensa regis contaminari noluerunt ; si istos sanctos Machabæos, de quibus tanta locuti sumus, et cum ingenti admirationis[3] fama proferimus, qui cibum vel escam, quibus nunc Christiani licite utuntur, ipsi accipere noluerunt ; nos, pro Christo, pro baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, et pro signo Christi, quæ pati, aut quæ[4] tolerare debemus, cum illæ fuerunt promissiones rerum complendarum, hæc sunt indicia completarum? Tunc enim erat fides occulta, modo manifesta. Nam eadem credebant, eademque sperabant omnes sancti et justi. Sustineamus ergo et nos, Fratres, quæ illi pro Deo sustinuerunt ; contemnamus quæ illi[5] contempserunt, ut cum ipsis accipiamus vitam æternam, quam speramus.

(*a*) 2 Mach. VII, 30 et seqq. — (*b*) Luc. XX, 38.

[1] Edit. *iste*. — [2] *Si* deest in Cod. — [3] Cod. male *admiratione*. — [4] Vox *quæ* deest in Edit. — [5] Verbum *illi* in Cod. non legitur.

SERMO LXIII.

In Solemnitate sanctorum Machabæorum III.

Eruitur ex vetustissimo lectionario manuscripto Vaticano 3836, *ubi legitur:* Incipit Sermo S. Augustini de SS. Machabæorum Kal. August. *Prius jam legebatur stampatus inter Leoninos Serm.* LXXXII; *sed immerito. Unde fratres Ballerini in sua editione sancti Leonis illum in appendicem rejecerunt, quia, ut aiunt, non Leonis, sed Augustini est. Hic igitur vero suo auctori vindicatur. Locus ejus post præcedentem cum numero in solemnitate sanctorum Machabæorum* V.

SYNOPSIS.

I. Festivitas dedicationis Ecclesiæ et Martyrum. II. Conflictus Christianorum. III. Martyrum solemnitas sanctitate celebranda. IV. Conclusio.

I. Gratias, Dilectissimi, Domino Deo nostro[1], quod quanta sit hujus diei solemnitas, etiamsi ego taceam, conventus noster ostendit; cum conspiranti enim studio et devoto animo convenistis, ut festivitatis[2] magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur. Et recte : duplex enim causa lætitiæ est, in qua et natalem Ecclesiæ colimus, et Martyrum passione gaudemus; nec immerito digne Ecclesia horum exultat martyrio, quorum ornatur exemplo. Causam ergo solemnita-

[1] Edit. priores male *agamus*. — [2] Cod. Barb. *solemnitatis*.

tis hodiernæ, Dilectissimi, plenissime sacræ historiæ lectione didicistis, nec latere vos potuit, quem in tanto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cum gloriosam septem Martyrum matrem exultanti et non tacito honoraretis affectu, in singulis quidem filiis passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, quos invicto præmisit hortatu[1]. Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo. Nam cum in illo ordine mortium[2], et in illa dispositione pœnarum, id sævissimi regis excogitasset impietas, ut victoriam sibi et de primis promitteret, quos sine tolerantiæ cruciaret exemplo, et de postremis, quos in supplicio torqueret alieno : multiplicatæ sunt Martyrum palmæ, et dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisivere septenas.

II. Sed hæc ad fructuosam[3] recolenda sunt aurium voluptatem. Inflat scientia, nisi ædificet obedientia : gravant audita, nisi suscipiantur imitanda. Nec enim quia cessavit persecutor et tortor, quia omnes[4] jam Deo militant potestates, desunt Christianis, quas superent passiones. « Fili, inquit, accedens ad servitutem Dei sta in jus- » titia et timore, et præpara animam tuam ad tentatio- » nem (*a*). » Et Apostolus dicit : « Quicumque in Christo » pie volunt vivere, persecutionem patiuntur propter jus- » titiam (*b*). » Qui ergo putas quievisse persecutionem, et nullum cum hostibus esse conflictum, intimum cordis tui scrutare secretum, et omnes recessus[5] animæ tuæ diligens explorator ingredere : et vide si nulla te impugnat

(*a*) Eccle. II, 1. — (*b*) 2 Tim. III, 12.

[1] Cod. Casanat. *quos munitos præmisit ornatu*. Id. habet Cod. Barb. — [2] Cod. Casanat. *morientium*. — [3] Cod. Casanat. et Barb. *ad infructuosam*. — [4] Verbum *omnes* deest in aliquibus manuscriptis. — [5] Edit. priores *recursus*, perperam.

adversitas, si nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari; noli cum avaritia pacem firmare, et iniquorum quæstuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega, et magis time in gloriam suscipi quam in humilitate calcari. Dissociare ab ira [1], nec dolorem inflammet invidiæ cupido vindictæ; renuntia voluptati, avertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, abstine a falsitate [2] : et cum videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator Martyrum, numerosam quære victoriam. Toties enim peccatis moriemur, quoties in nobis peccata moriuntur : « Et pretiosa in conspectu Domini » etiam ista mors Sanctorum ejus (*a*), » ubi homo occiditur mundo, non interitu sensuum [3], sed fine vitiorum.

III. Si ergo, Charissimi, non « Ducitis cum infidelibus » jugum (*b*), » si peccatores esse desistitis, et nullis carnalium cupiditatum tentationibus ceditis [4], solemnem hanc diem legitime [5] celebratis : et non solum Martyres ac Martyrum matrem, sed etiam illius [6] memoriam, justo honore, veneramini, qui hoc die antiquam festivitatem hujus loci consecratione geminavit : magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus [7] institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, et habitando quod condidit, et faciendo quod docuit.

(*a*) Psal. cxv, 15. — (*b*) 2 Cor. vi, 14.

[1] Cod. Barb. *dissocia te ab ira.* — [2] Edit. priores *omitte falsitatem* — [3] Ibid. *non terminatione sensuum.* — [4] Alias *creditis.* — [5] Additur ex probatis Codicibus. — [6] In opinione Quesnelli et aliorum qui hunc sermonem sancto Leoni tribuunt, agebatur hic de Sixto III; cum autem certum sit Sermonem hunc non sancto Leoni, sed beato Augustino esse tribuendum, evanescit prorsus illa sententia, et credendum manet hic oratorem tractare de quodam suo prædecessore, ecclesiæ sanctorum Machabæorum fundatore. — [7] Cod. Barb. *utilitate.*

IV. Omnia ergo, Dilectissimi, quæ oculis cernitis, mente meministis, ad profectum[1] vestræ ædificationis assumite, et ita unusquisque vestrum præparato a majoribus utatur habitaculo, ut in se ipso meminerit templum Dei esse fundatum. Nihil structuræ suæ pravum, nihil supponat[2] infirmum; sed vivis et electis lapidibus congruendo[3], per indissolubilem connexionem crescat in Dominici corporis unitatem : auxiliante ipso angulari lapide Deo[4] et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIV.

In Natali Martyrum.

Sermo sancto Augustino merito ascribendus, utpote qui eruatur ex Cod. XII, *fol.* 258, *cum nomine beati Doctoris. Ponatur inter Editos post sermonem* CCCXXXV, *cum numero in Natali Martyrum* XI.

SYNOPSIS.

I. Pretiosa mors sanctorum Martyrum, eo quod præsertim supplicio, ut Christus, affecti fuerint. II. Nil timendum pro Christo ob futurorum expectationem. III. Conclusio.

I. CANTABIMUS et cum summa dilectione cantabimus spiritualis Psalmi dulcissimam cantilenam; et Sanctorum

[1] Quesnellus male *et ad profectum;* conjunctio *et* abundare videtur, et plurimis rejicitur manuscriptis. — [2] Cod. Vat. *superponat.* — [3] Cod. Barb. *congerendo.* — [4] *Ipso angulari lapide Deo et;* hæ voces adjectæ fuerunt ex Cod. Vaticano.

mortem consona voce præconabimus [1] ; et cum Prophetæ psalterio, Spiritus sancti canore, multifidum officium nostræ vocis adjungemus [2] dicentes : « Pretiosa » in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*a*). » Exerat licet diabolus per complices suos in sanctos Dei ingeniosa crudelitate supplicia, fustibus quatiat, plumbis elidat, in equuleos extendat, ungulis effodiat, et excarnificata corpora facibus impietatis exurat, ut post exusta corporum atrocitatibus membra [3], deformem ad mortem ignibus videatur exhibere frixuram. Cruces statuat, stipites figat, bestias admoveat, præcipitiaque componat; in vanum laborat; quia qui desiderio regnorum cœlestium capiuntur, qui promissa futuri temporis concupiscunt, præsentia cuncta despiciunt ; nec possunt temporalem vitam quærere, quos amor vitæ æternæ cœperit possidere. Qui enim tulerit crucem suam, et sequitur Christum, amare non potest mundum, quia vorago est omnium vitiorum. Hoc denique Dominus in Evangelio ait : « Si quis voluerit post me venire, abneget » se sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me (*b*). Tol» lat, inquit, crucem suam, » hoc est dicere : Tollat crucem meam [4] ; quia qui tulerit meam, faciet eam crucem suam. Commune ergo habet cum Christo præmium virtutis, qui crucem tulerit Salvatoris. Gloriosis enim mentibus mors ista compendium est.

II. Jam vero si accesserint afflictamenta pœnarum, plena sumitur palma virtutum, quæ patientem perducat ad conspectum Domini coronatum. « Si quis vult, inquit, post

(*a*) Psal. cxv, 15. — (*b*) Matth. xvi, 24.

[1] Vide Serm. cccxxvm, n. 1; et cccxxix, n. 1 et 2. — [2] Cod. male *adjunximus*. — [3] Cod. *ut post exurat a corporum atrocitatibus membra*; textus mutilus; judicet Lector an legitime restituatur. — [4] Vide Serm. cccxxix, n. 2.

» me venire, abneget se sibi. » O zelantem Dominum vere! quia sicut scriptum est: Deus zelans, ita te vult se amare, ut te incipias odisse : ama, inquit, me, noli te; abnega te tibi, et serva te mihi; esto meus, noli tuus; vita tua pendeat ex cruce mea, quia crux mea servat vitam tuam. Nolo te ames; me ama; quia si me amaveris, te amabis; nam si te sine me amaveris, odisse te incipis. Amas hanc vitam? Ama magis eum qui tibi dedit ipsam vitam[1]. Amas corpus tuum? ama magis Creatorem tuum, qui creavit corpus tuum. Quid amas quod periturum est? ama quod semper est. Amor præsentium caducus est; amor futurorum æternus est; quia præsentium amor tempore incipiente finitur; imo per ipsam mortem, ad immortalitatis præmium pervenitur. Sic Prophetæ sancti amantes Dominum, oderunt mundum. Sic tres illi invicti Pueri despexerunt vitam suam, et vicerunt fornacis flammam. Sic Daniel feras regno sanctitatis edomavit, quia voluptates mundi cum vita ista damnavit. Sic Eleazarus senex, maturiore[2] consilio, virtutes obtinuit, quia mundum et in juventute calcavit. Sic Machabæa beata cum filiis, imo in filiis torta, et affectum sprevit et sexum, ac sacrificavit naturæ ipsius pietatem[3] ex mortibus filiorum. Sic venerandi Apostoli docuerunt, et quæ docuerunt impleverunt, quia pro Christo mori quam sæculo vivere maluerunt, et ad patiendi felicitatem credentium animos armaverunt. Sic sancti Martyres gloriosi pro Christo suas animas posuerunt, et abnegaverunt se sibi, ut totos se proprio traderent Creatori. Sprevere supplicia, contempsere tormenta, cruces, ignes, patibula, bestias, nec potuit in eorum sensibus exercere ullum supplicium dominatum,

[1] Vide Serm. CCCLXVIII. — [2] Cod. *matuorioso;* evidens patet error. — [3] Cod. *pietatis*.

in quorum mentibus amor dominicus obtinuit principatum.

III. Ergo cum despiciant Sancti mundi istius incolatum, et pro Domino velint se addicere cruciatibus tormentorum, merito eorum « Mors in conspectu Dei dicitur » pretiosa(*a*); » quibus nihil charius in hoc mundo in comparatione rerum omnium perducetur. In cruce pendeant, bestiis subjaceant, qualiscumque mors pro Dei confessione initur, pretiosa est; quia « Etsi coram homi- » nibus, inquit Salomon, tormenta passi sunt, spes illo- » rum immortalitate plena est; et in paucis vexati, in » multis bene disponentur(*b*). » Unde et Apostolus his concinens: « Quis nos, inquit, secernit a charitate Christi[1]? » tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nu- » ditas, an periculum, an gladius, sicut scriptum est, » quoniam propter te morte damnamur, omni die æsti- » mati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus evin- » cimus propter diligentem nos. Certus sum enim quia » neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtutes, » neque superbia, neque altitudo, neque præsentia, neque » futura, sed nec creatura alia poterit nos separare a di- » lectione Dei, quæ[2] est in Christo Jesu, Domino nos- » tro(*c*)[3]. »

(*a*) Psal. cxv, 15. — (*b*) Sap. III, 4, 5. — (*c*) Rom. VIII, 35-39.

[1] Vide Serm. CCCXXXV, n. 1. — [2] Cod. *quod*. — [3] Hæc versio speciali est; non reperitur in versionibus antiquis apud Sabathier in Epist. ad Romanos VIII, 35, 36, 37, etc.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

SERMONES INEDITI.

CLASSIS IV.

SERMONES DE DIVERSIS.

SERMO LXV.

De Pœnitentia.

Eruitur ex Cod. XII, *fol.* 198. *Nihil obstare videtur quin S. Augustino tribuatur. Verum est quidem auctorem asserere Niniven post triduum esse destruendam; sed huic sententiæ B. Doctor non repugnat, ut videre est de Civit. Dei, lib.* XVIII, *cap.* XLIV. *De hac sententia videri etiam potest S. Hieronymus in Jonam. Idem sermo in Bibl. Laurent. tom.* 1, *fol.* 403, *laudatur, sed sine nomine. Locus ejus post sermonem* CCCLII, *cum numero de Pœnitentia* III.

SYNOPSIS.

I. Pœnitentia cunctis necessaria est. II. Pœnitentiæ necessitas probatur ex statu conscientiæ et exemplo Ninivitarum. III. Pœnitentia ab ipsismet innocentibus adoptanda. IV. Nemo se potest excusando dicere innocentem, quin imo eo quod se talem dicat fit culpabilis. V. Conclusio.

I. Evangelica lectio, Fratres charissimi, cum legeretur, audivimus[1] : « Pœnitentiam, inquit, agite, appropinqua-» vit enim regnum cœlorum (*a*). » Regnum cœlorum Christus est, qui est cognitor bonorum ac malorum, et arbitrum[2] omnium constat esse causarum. Præveniamus itaque Deo, in confessione peccati, et ante judicium omnes animæ castigemus errores. Ad periculum autem pertinet, si nescias qua libet curatione emendare peccatum ; præsertim cum nos causas negligentiæ intelligamus redempturos, pœnitentiam agere debemus. Agnoscite, Dilectissimi, quanta sit circa nos Domini Dei nostri pietas, ut admissi criminis culpam ante judicium velit satisfactione componi. Nam ideo semper justus judex admonitionem præmittit, ne quando quidem jus severitatis exerceat. Non abs re est ideo[3], quod a nobis Deus noster fontes exigat lacrymarum, ut quod negligentia perdidit, pœnitentia[4] reparet. Scit enim Dominus noster non semper hominis[5] integrum stare consilium ; frequenter peccare corpore, aut vacillare sermone ; ideo pœnitentiam docuit, per quam possit et destructa corrigere et lapsa reparare. Securus itaque de venia homo, debet semper suspirare de culpa. Quamvis

(*a*) Matth. IV, 17.

[1] In Indiculo Possidii numeratur Tractatus ex Evangelio : *Agite pœnitentiam*, tom. X, fol. 293, Maurinorum. — [2] Cod. male *ut arbitror*. — [3] Id. male *Deo*. — [4] Id. *negligentia*. — [5] Id. *hominem*.

autem multis vulneribus conditio humana laboret, tamen nemo desperet, quia Dominus satis largus est circa omnes languentes misericordiæ suæ bona libenter impendere.

II. Sed forte dicit aliquis non se habere quod plangat. Recurrat unusquisque ad conscientiam suam, et inveniet in pectore suo interpellare peccatum. Unus cordis plaga, alter corporis laborat injuria; uni dominatur superbia, alterum inflammat cupiditas; unum arguit falsitas, alterum, per avaritiam, maculat aliena paupertas; unus per effusionem sanguinis humani polluitur, alter vilissimæ mulieris amore sordidatur. Ad has tantas ac tam præcipuas sive mentis sive corporis plagas quomodo non est qui ingemiscat? vel qui non supplices lacrymas fundat? Neminem ergo pudeat Deo offerre vulnera sua. Nunquam ad remedium pervenit, qui curari erubescit. Omnes ægritudines, aliæ faciliores sunt, aliæ difficiles. Nullum gravius infirmantium genus est, quam aliquem morbos suos nolle sanare. Docent hoc Litteræ sacræ. Nullus qui quæsivit remedium, periit; nullus qui contempsit, evasit. Peritura post triduum Ninivitarum civitas erat, nisi ad pœnitentiam confugisset. Quid enim Propheta dixit? « Adhuc triduum » et Ninive subvertetur. Et verbum pervenit ad regem » Ninive, et surrexit de sede sua, et posuit vestimenta sua » a se et operuit se cilicio, et sedit super cinerem (*a*). » Magna satisfactio, Dilectissimi; deposuit vestimenta regalia, et operuit se cilicio. Maluit enim in cilicio evadere, quam in purpuris deperire. Ubi erat tunc illa regni sublimitas? ut evaderet pœnam superbiæ, confugit ad auxilium humilitatis; ut intelligamus Deo plus esse humilitatem quam potestatem. Omnium enim Ninivitarum[1] regnum tunc interiisset nisi illud[2] pœnitentia patrona servasset.

(*a*) Jon. III, 4, 6.

[1] Cod. *Ninivitici*; forte *principis Ninivitici*. — [2] Cod. *eum*.

III. Sed adhuc additur in illa Ninivitarum satisfactione, ut et infantes simul et animalia jejunassent. Sed cur parvuli jejunarunt, qui nihil mali fecerant? Jejunabant utique innocentes, ut evaderent peccatores. Clamabat parvulus, ut senior non periret. Si etiam infantum jejunium fuerat necessarium, cur etiam et pecudum et jumentorum? Utique ut pœnitentiam hominum etiam fames probaret animalium, et rugientes ad Deum in gravitate, quod ab aliquibus patratum [1] fuerat, ab omnibus solveretur. Ita et nos, Fratres charissimi, consentientibus animis et conspiranti fide clamemus ad Dominum Deum nostrum. Illi clamabant, etiam post reatum; nos clamemus ne rei simus. Beatus ille, Dilectissimi, cui timor Dei [2] est pro flagello; quem non pœna corrigit, sed [3] disciplina. Nunquam tormenta patitur, qui timet ne aliquando patiatur.

IV. Sed dicit forte aliquis in populo : Cur timeam, qui nihil mali facio [4]? Audi Joannem apostolum prædicantem : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos se- » ducimus, et veritas in nobis non est (*a*).» Nemo ergo seducat vos, Dilectissimi; pessimum genus peccati est non intelligere peccata. Omnes quidem agnoscentes crimina sua, reconciliari Domino per pœnitentiam possunt. Nullus magis de peccatoribus plangi dignus est, quam qui putat se non habere quod plangat. Multa enim delictorum genera, Dilectissimi, et hæc periculosiora quædam, quæ levia esse creduntur; illa sunt magis noxia, quia quibusdam æstimantur non esse peccata. Nullum enim malum facilius

(*a*) 1 Joan. 1, 8.

[1] Cod. habet solummodo *quod aliquibus fuerat.* Videat correctionem Lector, et judicet; quanquam phrasis etiamnum remaneat incompleta ob verbum *rugientes*, forte pro *rugientibus illis.* — [2] Cod. male *tuus.* — [3] Cod. *corrigisset;* evidenter pro *corrigit, sed.* — [4] Vide Epist. de Perfectione justitiæ hominis, n. XLV.

decipit, quam cum non intelligimus malum esse. Itaque ego nunc non dico de homicidiis, non de adulteriis, non de malis persuasionibus; absit enim ut Christianorum hæc aliquis admittat, aut si forte commiserit, cecidisse et corruisse non statim plangat. Sed de illis utique loquor, quæ minora multo ac leviora creduntur. Quis autem vestrum est, Dilectissimi, quem vel ebrietas non polluerit, vel ambitio non rapuerit, vel invidia non exusserit[1], vel cupiditas non incenderit, vel avaritia non vulneraverit? Unde admoneo, Dilectissimi, ut juxta quod scriptum est, humiliemini vos sub illa potentissima manu Dei; et quia nullus est sine peccato, nullus sit sine satisfactione; quia hoc ipso[2] quis nocens est, si se innocentem esse præsumat. Potest quis culpæ minoris esse, sed non[3] inculpabilis; « Nemo » est immunis a reatu (*a*). »

V. Et ideo, Dilectissimi, qui gravius offenderunt, fidelius veniam petant. Qui autem a malis acerbioribus impolluti sunt, orent ne polluantur; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVI.

De Jejunio I.

Erutus hic Sermo e Cod. Cass. XII, *fol.* 95, *propter nonnullam styli duritiem quibusdam abjudicandus sancto Augustino visus est; propter autem manuscripti auctoritatem illi tribuendus nobis videtur. Locus ejus post Sermonem* CCCXLVII.

(*a*) Job. XIV, 4.

[1] Cod. male *exurit*. — [2] Id. *qui hoc ipse*. — [3] Ibid. deest *non*.

SYNOPSIS.

I. Jejunii utilitas et necessitas probatur medicorum auctoritate. II. Auctoritate philosophorum et sancti Pauli. III. Exemplis Sanctorum et Christi. IV. Conclusio.

1. Quotiescumque, Fratres dilectissimi, devotionis vestræ jejunia prænuntiantes indicimus, toties ut observetis et faciatis hortantes commonemus. Multi enim non tam delicati quam pigri, non vitiosi corporibus, sed potius mentibus indevoti, animorum suorum vitia mentientes excusant ægritudine aliqua viscerum, aut imbecillitate membrorum, et quanquam, ut dixi, confingant, tamen etsi habent aliquod vitium, eo magis currere debent[1] ad jejunium. Sicut enim deliciæ generant morbos, ita jejunii est posita medicina, morborum causa. Dominus autem hoc providens sic prædicit ut devota jejunia et vitiosis indicat. Tale denique nomen jejuniis imposuit, ut ea non audeant nec debiles recusare. Sacerdotes proinde suos his verbis instruxit per Joël prophetam dicentem : « Sanctificate jejunium, curationem prædicate (*a*). » Curatio igitur quid est nisi corporum medicina? Si medici ægris jejunia impertiunt, ut curentur corpora, eademque languentibus pro medela succedunt, humanaque omnis infirmitas ægra est suorum calore vitiorum; cur non ipsa infirmitas corporum jejuniis legitimis recuratur, quæ contra omnia vitia mentium simul et corporum præcipit salubris institutio sacerdotum? Nam ut eadem plenius repetamus, hæc dicit : « Sanctificate, inquit, je- » junium, et prædicate curationem : colligite majores » natu, et habitantes terram in domo Domini Dei vestri,

(*a*) Joël. I, 14, et II, 15, juxta versionem Vulgatæ antiquæ.

[1] Codex male *currerint*.

» et exclamate ad Dominum Deum vestrum instanter » et exaudiet vos (*a*). » Quid ad hæc respondetis, ventris cultores? Qui jejunare non vultis, exaudiri quomodo (non)[1] vultis? cur stomachos vestros epulis oneratis? cur dapibus multis et vino viscera cultâ distenditis? cur cruditates et crapulas jejunantibus populis exhalatis? Ægritudo est ista, non digestio. Jejunate igitur Deo dum jubet, ne, quod absit, medicis jejunetis. Inter nos namque et medicos convenit, quia humores et sanguinis impetus jejunio temperantur.

II. Philosophi quoque æthereos animos in jejuniis purgant a contaminationibus pessimis corporum terrenorum, carnemque hic puniunt, ut in ea macerentur. Apud nos vero jejunia corporum quasi lima sunt animarum. Exculpunt culpas conscientiæ, peccata contrahunt, ut splendescere faciant animas, quas rubigo colore maculaverat sordescentium delictorum. Cum igitur omne sapientiæ jejunium judicet corporum medicina, quid vos æstimem nescio, qui populo jejunante prandetis? Notat vos tamen apostolus Paulus et dicit: « Esca ventri et venter es- » cis (*a*): » Et iterum: « Unus jejunat et alter ebrius » est (*b*); » et rursum: « Laudo vos, in hoc non laudo, quod » non in melius, sed in deterius convenitis (*c*). » David autem vehementer vos accusat his verbis: » Domine, inquit, » de absconditis adimpletus est venter eorum; saturati » sunt porcina, et reliquerunt quæ superfuerunt parvulis » suis. Ego satiabor jejunio, ut manifestetur mihi gloria » tua (*d*)[2]. »

(*a*) Joël. I, 14. — (*b*) I Cor. VI, 13. — (*c*) Id. XI, 17, 22. — (*c*) Psal. XVI, 14, 15.

[1] Particula *non* in Codice videtur abundare et sensum vitiare. — [2] De hac versione usus est S. Augustinus in Enarratione circa Psalmum XVI, n. 14, et Epist. CXLIX ad Paulinum, n. 3 et 4.

III. Jejuniorum denique sic probata merita monstrantur. Moyses primum ut legem a Domino acciperet, jejunavit, meruitque de Domino, ut loqueretur cum Domino[1]. Elias tempore siccitatis suo pluviam[2] jejunio de mitigato Domino extorsit. Daniel impastis leonibus famem suo jejunio mitigavit[3]. Tres pueri in[4] camini flammantis incendio, suo jejunio alienos deos negaverunt. David quotiescumque fecit Deo jejunia, toties de hostibus reportabat victoriam. Ninivitæ suo jejunio iracundiam Dei in indulgentiam converterunt; quibus tam fuit timoris astutia, ut pecora sua secum facerent jejunare, tantumque illis hoc profuit, ut Deus juste commotus hominum pecorumque jejunio, commixtis vocibus placaretur. Novum miraculi genus, Fratres mei! quod[5] homines solent præstare pecoribus, pecora hominibus præstiterunt. Dominus omnium Christus, ut diabolum vinceret, jejunavit. Apostoli jejunando Paracletum Spiritum sanctum accipere de cœlo meruerunt. Sed quid in viris hæc laudo, cum sit jejunii virtus etiam fœminarum[6]. Judith, armata jejunio, caput tyranni Holofernis abscidit. Susanna a falsis testibus jejunio suo absoluta est. Esther regina jejunio suo, ne persecutoris tyranni nequitia prævaleret, pacem populis impetravit. Sunt quidem hujusmodi legis exempla diversis ornata meritis personarum: sunt e diverso contraria, quæ demonstrant quot mala[7] præstiterunt non custodita jejunia. Jonathan filius regis Saül, cum pater suum indixisset

[1] Hæc exempla etiam reperiuntur in Homilia IX Chrysostomi in Matthæum, et in Homilia Origenis, quamvis sit potius alterius, ut notatur in Bibliotheca Concionatoria Combefisii, tom. II, fol. 5. — [2] Codex male *placavit*, et postea *extorsisset*. — [3] Item male *in pastu... fame... geminavit*. — [4] Ibid. deest vox necessaria *in*. — [5] Codex male *cum*. — [6] De jejunio fœminarum, vide S. Augustinum de Moribus Ecclesiæ catholicæ lib. I, n. 70. — [7] Cod. *quotiens*, credo pro *quot mala*. Postea desideratur particula *non*, sed perperam.

jejunium, ignorans sceptro suo mel attigit et gustavit; tantumque hæc culpa gravavit exercitum, ut cum ipse solus peccasset, omnis militia gravaretur, et nisi vindicta procederet, non esset facinus expiatum. Cum igitur reus esset Jonathan filius regis, quia jejunium nescius violavit, multo magis rei sunt illi qui indicta sibi jejunia non facienda contemnunt.

IV. Jejunate igitur, Fratres charissimi, ne dissimulatio vestra, quod absit, sacrilega judicetur a Domino nostro Jesu Christo qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVII.

De Jejunio II.

Hic Sermo, qui legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 96, *cum nomine sancti Augustini, jam quoad majorem partem stampatus habetur in Editis apud Appendicem Serm.* CLXXV; *sed adjunctum habet exordium, quod omnino suppositum crediderim, utpote quod fere totum coalescat ex uno Isaïæ textu longissimo, qui postea totus repræsentatur iterum in sermone, ita ut sermo iste brevissimus nihil aliud quam textum hunc bis repræsentatum recitare videatur. Adde quod phrasis, qua sermo noster incipit, principium sermonis omnino sapiat, et numerus primus Edit. quasi pannus male assutus appareat. Unde fit ut Sermo, qui, sicut legitur in Maurinis, prorsus abjiciendus videretur, qualis apud nostrum legitur codicem prorsus videatur admittendus. Ponatur in Editis post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Jejunandum non solum corpore, sed mente. II. Jejunio jungenda sunt opera misericordiæ. III. Quæ Deo accepta jejunia?

I. Legimus Spiritum sanctum per Isaïam prophetam taliter imperfectos[1] increpantem : « Jejunia vestra[2] et » diem magnum non sustineo, dicit Dominus (*a*). » Jejunium est quod probat Altissimus, non solum intermissa corporis refectio, verumetiam a malis actibus facta discessio. Itaque cura, ne mens tua gravetur oppressa peccatis, neque animus tuus vitiorum illecebris delectetur, et digna Deo exolvisti jejunia. Cæterum si corpus tuum inedia longa consumpsit[3], atque illi subtraxeris cibum cui non detraxeris vitia[4], in malis perseverans, magis horreris[5], quam placeas Deo. Tunc erunt Domino accepta jejunia, si operibus sanctis fuerit expiata conscientia[6]. Cur enim corpus fame discrucias, cui turpiter peccando blandiris? Principaliter ergo animus jejunet a malis, et sic corpus subeat exercenda jejunia. Nam cum sit jejunium animæ humiliatio, quale est humiliari cibo et augeri peccato? Qui igitur corpori suo jejunia devotus indicit, principaliter renuntiet vitiis, cupiditatum fomites comprimat, frangat impetus mentis, libidinis vincat faces, avaritiæ ardentes flammas extinguat[7], latiusque facti sui dilectionem[8] extendat, atque in alimenta pauperum ab-

(*a*) Isaï. 1, 13.

[1] Cod. male *perfectos*. — [2] Edit. *ncomenias vestras et sabbatum et diem magnum*, etc. — [3] Cod. male *consumeris*. Edit. *jejunia longa consumpserint*. — [4] Edit. *cum detralis vitia*. — [5] Edit. *horres*. — [6] Cod. male *sententia*. — [7] Edit. *libidines vincat, faces avaritiæ ardentis extinguat*. — [8] Edit. *factis vim dilectionis extendat*.

rupti apparatus impendia largiatur. Omnia ergo corporis nefanda peccata animi virtute calcentur, ut et anima sanctitate corporis adjuvetur. Tunc enim et impetrari[1] poterit quod optatur, si corpus castum animusque devotus[2] ad officia sanctitatis implenda per curam observationis incedat[3]. Hæc sunt quæ divinam commovent pietatem, quæ ad impetrandam precibus sanctitatem[4] semper aditum faciunt.

II. Cæterum si caput[5] substernas, atque cinerem desuper spargas, si denique collum tuum velut circulum torqueas, atque ad exorandam clementiam Dei largos fletus effundas, nihil proficies. Commovere enim divinam non poteris pietatem, quia circa proximos tuos neglexisti debitam charitatem; scriptum est enim: « Non tale jeju- » nium ego elegi, dicit Dominus, nec si flectas ut circu- » lum cervicem tuam, cilicium[6] substernas, nec sic vo- » cabo, inquit, jejunium acceptum, sed solve omnem » nodum iniquitatis et obstinationem malorum; dimitte » quassatos in requiem et omnem iniquam contentionem[7] » dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenos » sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, » vesti, et domesticos seminis tui ne despicias. Tunc » enim[8] erumpet temporaneum lumen tuum, et vesti- » menta tua cito orientur, et præibit ante te justitia[9], et » claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis et Domi- » nus exaudiet te; dum adhuc loqueris dicet[10]: Ecce ad- » sum (*a*). » Hæc sunt enim quibus homo et refectus cibo frequenter impetrat quod exoptat, et jejunans majora præmia consequitur sanctitatis.

(*a*) Isaï LVIII, 58, 59.

[1] Cod. male *impetrare*. — [2] Id. *animumque devotum*. — [3] Id. *incidat*. — [4] Id. *sanctitatis*. — [5] Id. *capite*. — [6] Edit. *cilicium autem et cinerem*. — [7] Edit. *conventionem*. — [8] *Enim* deest in Edit. — [9] Edit. *justitia tua*. — [10] Cod. minus bene *dicit*.

III. Tale jejunium desiderat Christus; tali denique delectatur omnipotens Deus, quem ad jejunandum non immanium delictorum frequens reatus impellit, non denique adipiscendæ gloriæ temporalis, vel cumulandi patrimonii cupiditas inanis incendit, sed urget semper religionis affectus, et devota sinceritas; quam cum fuerint comitata plenæ pietatis officia[1], quantum ille proficiet? Merebitur statim præsentem Dominum propitium quærere[2]. Imple ergo miserationis officia, et sanctificasti jejunia. Sagina pauperum viscera, et anima tua muneribus sanctitatis pinguescit. Vesti nudum, et tua peccata contecta sunt. Peregrinum hospitio contende suscipere, ut et te Deus in cœlorum regna suscipiat[3] per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

SERMO LXVIII.

De falso amico.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol* 123; *nihil repugnat sententiis et dictioni Augustinianæ. Unde admittendus, et post sermonem* CCCLX *inter sermones de diversis ponendus.*

[1] Id. male *quæ cum fuerint comita plena pietatis officia;* et statim Edit. *quantum ille valebit, quantum ille proficiet? Taliter agendo merebitur,* etc... — [2] Edit. *sentire.* — [3] Cod. minus bene *et Deus te suscipiat.* Reliqua desunt in Edit.

SYNOPSIS.

I. Falsus amicus pejor aperto inimico. II. Falsi amici exprobratio. III. Judæ falsi amici proditio. IV. Judæ et Petri comparatio, et conclusio.

I. Protector omnium et nutritor Spiritus sanctus, qui cupit servare quod creavit, cautum facit a periculis innocentem, ne simplicitate sua decipiatur incauta simplicitas. Sic enim per Salomonem exhortatur Dominus, et monet dicens : « Non credas inimico tuo in æternum (*a*). » Sed dicit aliquis : Adversus inimicum me facio cautum ; quid facio de ficto amico[1] ? dicam et ego, quod David propheta dixit : « Non timeam. » Quia nec ille timuit, non timeamus, sed pariter cum illo dicamus : « Dominus mihi ad- » jutor est, non timebo quid faciat mihi homo (*b*). » Sed dicis : Inimici malitia in aperto est ; nam falsi amici sævitia in occulto est : in inimico quod caveam video ; numquid possum videre cor falsi amici quem diligo ? nam certior est inimici publicata malitia, quam istius fictitia[2] amicitia. Nam in inimico quod caveam video ; in amico falso quod observem non video. Nam in inimico, quod video fugio : in falso amico quomodo possum videre quid observem ? Nam istius amicitia dolosa me illudet, ut et credam. Adversus ejusmodi David dicit : « Eripe me, Domine, ab ho- » mine malo, a viro iniquo libera me (*c*). » Inimicus enim, cum se ostenderit, faciet te cautum in omnibus ; nam falsus amicus in occulto tibi molitur negotium crudelitatis sub imagine charitatis. Non pertimescas inimici nequitiam, cujus malitiam vides ; sed cave te a falso

(*a*) Eccle. XII, 10. — (*b*) Psal. LV, 11. — (*c*) Id. CXXXIX, 2.

[1] De falso amico vide de Civitate Dei lib. XIX, cap. 15. — [2] Cod. male *factiosa*. Inferius, perperam, duplicatur vox *falso*.

amico. Falsus vero amicus tunc vehementius nocet, quando amicitiæ blandimenta molitur. Nam inimicus in verbis agnoscitur; falsus vero amicus quando in verbis benignitatem demonstrat, intus crudelitatem occultat. Nam solus Dominus hoc bene novit, qui discutit omnium corda; nam homo, quod videre credit, sæpe non videt[1], Deus autem, et quæ non videntur « a longe cognoscit (*a*). » Sed homo, ut noceat, corde aliud cogitat, aliud profert verbis.

II. Noli, Amice, noli, Frater, cum fictionibus[2] verba adulatoria loqui cum proximo ad faciem, et cum dorsum ab eo verteris, vitam ejus lacerare ore vipereo. Terreat te Psalmi sententia, ubi dictum est: « Labia dolosa in corde, » et corde locuti sunt mala (*b*). » Sic enim implet voluntatem diaboli, quia falsus amicus in verbis benignitatem demonstrat, et in corde venenum habet inclusum. Verba pacis sonat os, et cor ejus dolum occultat[3]. De talibus autem dicit Propheta in Psalmo : « Qui loquitur pacem cum » proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum (*c*). » Dum pacem loquitur, percutit; et dum blanditur, interficit, quia in corde tenet malitiam. Nubem vultus tui timeo, quia quod intus cogitas, non cognosco : blandiris, et sævis[4]; obsequeris, et occidis; dulces habes sermones, sed veneno conditos. Timeo obsequium tuum, false Amice, timeo colloquium tuum, quia ore famularis, et corde insidiaris. Mihi quidem bene loqueris, auribus meis audio; malum autem quod intus cogitas Deus novit, qui est « Scrutator renum, et cordium (*d*); » quia « Homo » videt in facie, et Deus intuetur corda (*e*). »

(*a*) Psal. CXXXVII, 6. — (*b*) Id. XI, 3. — (*c*) Id. XXVII, 3. — (*d*) Jerem. XVII, 10. — (*e*) I Reg. XVI, 7.

[1] In Cod. desiderantur hæc verba, *sæpe non videt*, quæ sensus evidenter requirit. — [2] Cod. male *confractionibus*. — [3] Cod. male *sonantem... occultantem*. — [4] Vide Serm. XLIX, n. 4.

III. Nam et Judas, mercator sacri vulneris, Dominum Jesum dum salutat vendidit, dum osculatur tradidit. Malus enim traditor hujusmodi dederat signum ; dixit enim : « Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete » eum (*a*), » et hinc licet immortalis vincet, et victor a mortuis resurrexit, tamen malitia[1] traditoris malum, quod conceperat, peperit, quia conceptum verbum evanescentium[2] gladium latere non poterat. Ad tantam enim sceleris persecutionem nullum impedimentum habuit, quia patrem suum diabolum habuit adjutorem. Ecce inter cibos, et potus propinavit Magistro latrocinium, et ferrum pro pane ruminavit, et buccella verborum panem intinctum accepit, et Domini traditionem propinavit. Christus bonus bonum dedit, sed Judas malus bonum male accepit; judicium sibi acquisivit, quia in traditionem Domini et Magistri properavit[3] magister crudelitatis, et domesticus latro. Solus hoc Dominus agnovit quem tradidit ; ad quem sic ait Dominus Christus : « Ad quid venisti, » Amice (*b*)? » Istud est quod gravavit plus Judam traditorem. In illa amicitia tantum mali operatus est, ut Dominum, et Magistrum traderet. Quid enim nefandius[4] aliquis cogitare possit? Considerate si quantum dulce nomen amici, tam gravitas et acerbitas homicidii penetrare potuit. De talibus enim dicit Salomon : « Amicus qui con- » vertitur ad inimicitiam (*c*). » Judas conviva crudelis buccellam glutivit, et gladium evomuit, sicut in Psalmo : « Etenim homo pacis, in quo speravi, qui edebat panes » meos, ampliavit adversum me supplantationem (*d*). »

(*a*) Matth. xxvi, 48. — (*b*) Id. xxvi, 50. — (*c*) Eccli. vi, 8. — (*d*) Psal. xi, 10.

[1] Cod. male *mortalis*. — [2] Sic Codex. Forte *evomentis*, ut infra : *Buccellam glutivit, et gladium evomuit*. — [3] Cod. male jungit *in* cum *properavit, improperavit*. — [4] Cod. male *miratus*.

Cum cæteris Discipulis erat, et solus de traditione Domini cogitabat, ipso Domino dicente : « Intinctum panem cui » dedero, ipse me tradet (*a*). » Accepit conviva insidias; discubuit; jucunditatem homo insidians in bella convertit[1]. O discipulum qui falsum osculum propinavit Magistro! sicut scriptum est : « Meliora sunt vulnera inimici, » quam falsa oscula amici (*b*). » Qui osculatur, huic[2] dicitur : « Ad quid venisti, Amice? »

IV. Petrus vulneratus emendatus est, cui dictum est : « Vade[3] post me, Satana (*c*). » Judas osculo condemnatur, et Petrus vulneratus, sanatus est. Judæ oscula proditionis veneno funduntur, et Petri lacrymis culpa lavatur. Judas dum osculatur tradidit Dominum suum, et non gustavit pretium; reddidit Judæis argentum, et festinavit ad gladium; digne laqueo se suspendit, quia pretium sancti sanguinis concupivit. Fuge, fuge, Amice, quantocius; habes exemplum, quem timeas. Si tanto Magistro, et Domino non pepercit malus discipulus, quomodo aliquando parcere poterit falsus amicus. Quantum enim cavenda est falsa amicitia, cujus lingua pacem sonat, et cor ejus dolum occultat! Ad hujusmodi hominem ipsum Dominum habeamus in omnibus protectorem : qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Joan. XIII, 26. — (*b*) Prov. XXVII, 6. — (*c*) Matth. IV, 10.

[1] Cod. *jucundatur homo insidia in bella convertit.* — [2] Cod. male *cui.* — [3] Cod. male *redi.*

APPENDIX

SERMONUM INEDITORUM

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI.

SERMO I.

In Sexagesima I.

Hic Sermo extrahitur ex Cod. Cass. CVI. *Sancto Augustino, licet ejus nomen præferat, ideo non videtur ascribendus, quod de Sexagesima loquatur, de qua nulla fit apud beatum Doctorem mentio; utpote quæ non nisi longo post tempore in usum fuerit recepta. Vide Joan. Grancolas Comment. Histor. in Brev. Roman. Locus ejus in Appendice post Sermonem* CXXXIX *cum numero in Sexagesima* I.

SYNOPSIS.

I. Jejunium præveniendum. II. Jejunium nemini negligendum. III. Ad Ecclesiam confugiendum, sicut ad arcam Noë.

I. PRÆMONITOS vos esse credo, Fratres charissimi, cur a superiore dominica Quadragesimam procuremus, et cum hac die sit ejus exordium, quod festivitatem ejus ante unam hebdomadam celebrare cœperimus, reprehendi non potest observantia ista. Per opera devotionis judicium est prius legem exequi, quam legis sta-

tuta cognoscas, et ante obedire præceptis, quam [1] obedientiæ præcepta compellant: illud enim amoris est, hoc timoris: hoc imperative exigitur, illud religiose defertur: hic debitum solvitur, ibi donum muneris exhibetur. Unde et nos religiosum munus exhibuimus Deo, dum amplius jejunavimus. Reprehendi enim non potest festivata festivitas; semper enim in gaudiis solemnitatis vota præveniunt, et futuram lætitiam devotio, dum exoptat, anticipat. Semper enim in rebus ambiguis oportet addere amplius aliquid ad cautelam, quia quod est amplius recidi potest, quod minus est non potest prolongari, sicut in hac observatione factum est. Nec quod propter Quadragesimam plus jejunamus, non minuimus Quadragesimam; integra enim nobis manet: quod si minus jejunassemus, a numero redintegrare non poteramus ad numerum.

II. Sed fortasse cum illud jejunium, quod jejunavimus, non proficiat nobis ad Quadragesimam, non [2] proficit ad salutem; si non proficit ad Quadragesimam, proficit ad meritum. Cui enim unquam non profuit orare, legere, jejunare? Cui non profuit castitas? nisi quod illos magis reprehendi puto, qui postea quam parati fuerint jejunare, postea quam audierint solemnitates, ambiguum neglexerunt jejunare. Demonstrabunt itaque non volentes religiose vivere, sed coacti; veriti, credo, ne quinque dierum jejuniis prolongatis, caro eorum [3] corpusque defecerit, et exiles hactenus Quadragesimæ dies tolerare non possint. Audiant igitur refecti pariter ac robusti, tenues atque pallentes, quia hodie est Quadragesima. Audiant illi, inquam, ut jejunare incipiant, ut illi abstinere non desinant, et communiter in arcam Christi intrare festinent. Imo festinent amplius, qui tardius abstinere cœperunt, ut castigatiores rigidioresque introeant, quia arca Dei in periculis jejunum sustentare prævalet, temulentum sustinere non novit.

III. Monemus ergo nos, sicut antea jam diximus, nostri temporis homines, ut in his mundi turbinibus, ad domum Dei certatim unusquisque confugiat, sicut et sui temporis homines Noë justus admonuit. Admonuit enim illos, sed futurum diluvium prædicare non destitit, et licet vox prædicationis non sit audita, tamen et si [4] tacebat lingua, opere loquebatur, et si silebat voce, arca personabat [5]. Cum enim ædificabat tam grande opus arcæ illius, causam cur fieret, ipsa opera testabantur; testabantur enim ipso apparatu nova taber-

[1] Cod. male *quoniam*. — [2] in Cod. deest *non*. — [3] Id. *ejus*. — [4] Il. *et non*. — [5] Vide Serm. Append. Maur. CXLV, n. 3.

nacula, novis periculis profutura. Sapiens enim quisque intelligere poterat naufragii nescio quid timere[1], cum domus talis fuerit quæ non traheretur[2] in terra, sed nataret in gurgite, cum hujusmodi pararetur quod nec pavimenti solo deficeret, nec fluctibus unda submergeret. Quis, inquam, sapiens non intelligeret adesse diluvium, cum videret tale domicilium fieri quod susceptos intra se non tam clauderet quam portaret, quod non tam pluviarum imbres repelleret, quam naufragii procellas arceret? Quis, inquam, ex hospitio non animadverteret periculum homini, in quo hospitio non habitandum esset, sed[3] potius exulandum, in qualibet parte mundi futurum esset cum ipsis habitaculis peregrinandum[4]? Ipse ergo hoc opere populis prædicabat, et dicebat illud evangelicum Domini dictum: « Si mihi non creditis, vel operibus credite (*a*). »

SERMO II.

In Sexagesima II.

Contra Cupiditatem.

Non est sancti Augustini. Laudatur enim S. Gregorius qui floruit multo post Augustinum; imo et ipsemet Augustinus. Sunt autem hinc et inde sæpius sparsæ B. Augustini sententiæ, a Beda forsitan, vel a quovis alio delibatæ. Eruitur ex Cod. Cass. CLXIX, *fol.* 79. *Locus ejus in Appendice post præcedentem cum numero in Sexagesima* II.

SYNOPSIS.

I. Ager Ecclesia; tribuli fructus cupiditatis. II. Ex cupiditate superbia, et ex superbia cupiditas prodit. III. Quomodo cupiditas sit idolorum servitus. IV. Cupiditas insatiabilis est. V. Primum virgultum cupiditatis invidia. VI. Ex cupiditate oriuntur homicidia et læsiones proximi cum perjuriis. VII. De oppressione pauperum per injustitiam. VIII. Oppressores pauperum a Deo puniuntur. IX. Contra illos qui justitiam vendunt. X. Præmium illius qui justitiam sine præmio reddit. XI. Vanæ solvuntur excusationes. XII. Continuatio solutionum. XIII. Vanitas divitiarum ostenditur, quia breves sunt.

(*a*) Joan. x, 38.

[1] Cod. male *emere*. — [2] Id. *haberetur*. — [3] In Cod. legitur *non*, sed abundat. — [4] Cod. male *peregrinum*.

XIV. Divitiarum vanitas quia deducunt ad infernum. XV. Divitiarum vanitas quia non auferuntur a mundo. XVI. Divites vocantur ad meditationem mortis. XVII. Vocantur iidem ad meditationem inferni. XVIII. Cogitatio judicii XIX. Æternitatis meditatio. XX. Per arctam viam ambulandum. XXI. Eleemosynarum efficacia. XXII. Eleemosyna ex propriis substantiis facienda. XXIII. Cœli meditatio ad justitiam impellit. XXIV. Conclusio.

I. SANCTORUM Ecclesiam, Fratres charissimi, esse Dei agrum quis dubitet? cum Apostolus clamet: « Dei agricultura estis (*a*); » et Dominus in Evangelio de jacto semine testetur: « Aliud cecidit in » terram bonam et ortum fecit fructum centuplum (*b*). » Si ergo ager est, ut Apostolus docet, cultura indiget; cultura autem non indigeret, nisi spinas vitiorum germinaret. Et quidem apta comparatio de agro ad corda hominum trahitur, quia sicut ille corporales, ita hæc spirituales spinas et tribulos gignunt. Unde et in prima maledictione figuraliter expressum est: « Spinas et tribulos germi- » nabit tibi (*c*). » Sed hoc habuit inter se dissimilitudinis, quod in ruribus terræ ex multis radicibus plures germinantur spinarum aculei; a terrenorum vero cordibus hominum, vitiorum punctiones ex una produnt radice cupiditatis. Cum enim aliud sit vitium gastrimargiæ, aliud fornicationis, aliud invidiæ, aliud tristitiæ, aliud cænodoxiæ, aliud superbiæ, multaque ex ipsis atque innumera proferantur genimina, ex una tamen, ut dictum est, pullulant cupiditatis radice, Apostolo attestante, qui ait: « Radix omnium malorum » cupiditas (*d*); » quam videlicet sanctæ Ecclesiæ prædicatores, sive in Veteri, sive in Novo Testamento tanquam fortes agricolæ, modo increpationibus, modo persuasionibus, modo terroribus, modo blanditiis, quasi quibusdam aratris, fossoriis, rastris, surculis, conati sunt a terrenorum cordibus funditus evellere; sed non potuerunt, etiam cum multum in hoc opere desudarent. Inextricabile enim, atque, ut ita dixerim, ineradicabile malum, cujus ramos quo magis amputare quæsieris, eo amplius multipliciora gignit virgulta quæ amputes. Quamobrem quæ funditus eradicari non potest, semper ramorum ejus copia succidenda est. Et quia nostris modo temporibus jam pene totum occupasse cernitur, libet pro viribus semper acceptis nos quoque in ejus extirpatione, quo valuerimus, ingenio desudare.

II. Sed occurrit nobis interim quæstio, quomodo, ut de cæteris

(*a*) 1 Cor. III, 9. — (*b*) Luc. VIII, 8. — (*c*) Gen. III, 18. — (*d*) 2 Tim. VI, 10.

taceam, ex cupiditate superbia prodire credatur, cum alia Scriptura aperte testetur : « Initium omnis peccati superbia (*a*). » Si enim initium omnis peccati superbia, quomodo radix omnium malorum cupiditas, nisi quia unum sunt et utraque a se invicem prodeunt, cum et cupiditas superbiam, et superbia cupiditatem gignit. Quod in primo parente evenisse cognoscimus, in quo scilicet nisi cupiditas illa præcessisset, nequaquam talia appetere præsumpsisset. Quæ duo principalia vitia ita conjungit, ita describit Joannes apostolus, ut postpositis aliis, quasi hæc sola in mundo esse fateatur, ex quibus illa omnia originem ducere probantur [1] ; ait enim : « Omne quod » in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculo» rum et superbia vitæ (*b*). » Quanquam autem ubi concupiscentia sonet, ibi consequenter et superbia intelligatur [2], nobis tamen nunc de una disputandum, contra unam cupiditatem discernendum; quæ nimirum cujus mentem plene possederit, eam protinus idolorum cultricem efficit. Occidendus talia docens, lapidandus talia promens, nisi hæc eadem et Apostolus Gentium testetur ; ipse enim ait : « Et » avaritia, quæ est idolorum servitus (*c*). » Quis autem, rogo, Christianorum qui libenter audiat, si eum aliquis infidelem et simulacris deditum vocet? et tamen cupit esse, quod, quia sit, non vult audire.

III. Dicet fortasse quilibet ex ipsis : Quomodo idolis serviat, qui terrenis æstuat? Audi, quisquis ille es, rationem breviter. Deus fide colendus est; fides autem in cognitione Dei consistit; cognitio vero Dei in obedientia præceptorum intelligitur, quia et Paulus de quibusdam dicit : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*d*). » Et Joannes in Epistola sua hæc eadem attestatur : « Qui dicit se » nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*e*). » Deus itaque jubet abstinentiam, antiquus hostis persuadet voracitatem : ille imperat sobrietatem, iste ebrietatem : ille castitatem, iste fornicationem : ille humilitatem, iste superbiam : ille concordiam, iste discordiam : ille pacem, iste litem : ille mansuetudinem, iste iracundiam : ille dilectionem, iste odium : ille largitatem, iste tenacitatem : ille eleemosyuam, iste rapinam : ille veritatem, iste mendacium : ille non jurandum, iste perjuriis insistendum : ille a fraude abstinendum, iste falsis testimoniis inhærendum : ille mandat de ligno scien-

(*a*) Eccli. x, 15. — (*b*) 1 Joan. ii, 16. — (*c*) Coloss. iii, 5. — (*d*) Tit. i, 16. — (*e*) 1 Joan. ii, 4.

[1] Vide de vera Religione n. 70, et Confess. lib. x, n. 54. — [2] Vide Operis imperfecti contra Julian. lib. iv, n. 22.

tiæ boni et mali ne comedat, iste contra : « In quocumque die co-
» mederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scien-
» tes bonum et malum (*a*) : » ille jubet : « Non concupisces uxorem
» proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam,
» non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt (*b*) ; » iste vero
suadet : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me (*c*). »

IV. Age nunc, videamus cui cultor homo existat, ei cui verbo mentitur, an cujus imperium perficere videtur ? et quis non videat quia ipse hominis famulatus cultorem eum faciat, cui deservit ? Ex quibus nimirum verbis, patet, innuitur eos, qui cupiditati student, dæmonum cultores existere, etiamsi hoc beatus Paulus non affirmaret. Hujus cupiditatis malum, quod cuncta præcellit atque exuperat, et a quo omnia mala pullulant, alibi alia Scriptura ita detestando prodit dicens : « Auro nihil est scelestius (*d*) ; » rursumque : « Nihil iniquius quam amare pecuniam (*e*). » Quid mirum si eamdem cupiditatem culturam Apostolus vocet ? quod videlicet cupiditatis multimodum malum nequius divitum corda quam pauperum devastat ; quia etsi multa in hoc sæculo pauperes habere concupiscunt, non tamen multa assequi possunt, ac per hoc illis effectus concupiscentiæ minor redditur, nocendi quoque malitia temperatur : divites vero quia plura adipisci desiderant, ut plura inveniant, multipliciora peccandi argumenta inquirunt. Quasi enim quidam ignis est cupiditas, quæ etsi in aliis magis, in aliis minus ardet, ubi tamen ardere cœperit, « Nunquam dicit : Sufficit (*f*) ; » exemplo ignis temporalis qui tanto vehementius flammas multiplicat, quanto abundantius multitudinem lignorum acceperit. Hinc enim scriptum est : « Avarus pecuniis non implebitur (*g*). »

V. Hæc certe « Radix omnium malorum (*h*), » primum virgultum invidiam gignit, Jacobo attestante, qui ait : « An putatis quia ina-
» niter Scriptura dicit : Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habi-
» tat in vobis (*i*). » Hinc per Salomonem dicitur : « Contemplatus
» sum omnes labores hominum, et industrias animadverti et patere
» invidiæ proximi (*j*). » Constat namque et verum est, quia in hoc aliis invidemus, quod illos sive in rebus temporalibus, sive in mundi honoribus æquare volumus. Unde qui mortiferum invidiæ virus quærit extinguere, studeat necesse est in hoc sæculo nihil quod transit

(*a*) Gen. IV, 11. — (*b*) Id. V, 21. — (*c*) Matth. IV, 9. — (*d*) Eccli. V, 9. — (*e*) Ibid. X, 10. — (*f*) Prov. XXX, 15. — (*g*) Eccle. V, 9. — (*h*) 2. Tim, VI, 9. — (*i*) Jacob. IV, 5. — (*j*) Eccle. IV, 4.

desiderio quærere. Audiat denique cujus membrum sit, quisquis hoc vitium cavere intelligit; scriptum quippe est : « Invidia diaboli » mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui ex » parte illius sunt (*a*). » Inter hæc autem sciendum est nobis, quia sunt nonnulli, qui in divitiis vel honoribus, aliis quidem præcellere volunt, sed tamen eos, quos anteire non possunt minime insequuntur; nonnulli vero tantæ invidentiæ flamma adversus eos accenduntur, ut æquo animo, vel rectis oculis nequaquam illos respicere possint.

VI. Hinc etiam exoritur homicidii meditatio, et nisi effectus divinitus subtrahatur, aut occulta veneni suffocatione, vel quolibet ingenio, aut aperte isto materiali gladio vita talium perimitur. Quod videlicet non idcirco quidem peragunt, ut illis qualibet arte bona aliena, lucra, vel mysteria assequantur, sed tantum ut illi, quibus invident, eadem amittant. Quod si etiam illorum vitam extinguere nequeant, tenentur tamen jam homicidii rei ex ipsa odii meditatione. Unde Joannes in Epistola sua dicit : « Omnis qui odit » fratrem suum homicida est, et scitis quia omnis homicida non ha- » bet hæreditatem in regno Christi et Dei (*b*). » Ubi autem jugis odii meditatio insederit, nocendi quoque malitia non deerit. Inquirit namque semper infelix in quo viventem lædere possit, quem, ut voluit, perimere funditus non potuit. Jungit semetipsum amicitiis inimico vel causidico illius, cui fortassis pridem nec loqui volebat. Et cum pro certo sciat quod sine causa calumniam illi intorqueant, non veretur tamen, dum contra unum sævit, pro altero perjurium vel falsum testimonium perpetrare; nec recordatur illius sententiæ, qua dicitur : « Neque perjuri regnum Dei possidebunt (*c*); » et illud : « Testis falsus non erit impunitus (*d*). »

VII. Jam vero qualiter pauperes a divitibus opprimantur, quibusve modis atque ingeniis, laboribus suis fraudentur, plenius vel illi qui cogunt, vel illi qui patiuntur, sciunt, quam nos qui hæc partim ex divinis voluminibus, partim ex opprimentium erumpentibus foras nequissimis machinationum signis addiscere quærimus. Alii namque, et maxime hujus sæculi principes, humana tantum gratia quorumdam, justitiam subvertunt, ne judicum suorum animos offendant. Timent etiam, seditionis causa, temporalem amittere honorem, nisi juxta ministrorum suorum agant voluntatem. Derivant subtili-

(*a*) Sap. II, 24. — (*b*) I Joan. III, 15. — (*c*) I Cor. VI, 10. — (*d*) Prov. XIX, 5, 9.

tatis ingenio leges quas vel ipsi vel alii promulgaverunt, ad aliud quod ipsæ non sonant, et tandiu calliditatum argumentis insistunt, usquequo quod justum est quasi recte pervertant. Ita namque præfatam edicti legem arte diabolica rimantur, ut etiam, illa repugnante, apertum justitiæ, ad quod voluerint iniquitatis, sermonem inflectant. Quibus nimirum recte per Isaïam a Domino dicitur : « Væ qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras » lucem et lucem tenebras, ponentes amarum dulce et dulce amarum (*a*). » Et de quibus : « Væ qui condunt leges iniquas; scribentes injustitiam scripserunt ut opprimerent in judicio pauperes, » ut essent viduæ præda eorum, et vim facerent causæ humilium » populi mei, et pupillos diriperent (*b*). » Leges enim iniquas condunt, et scribentes injustitiam scribunt, qui locutionis suæ stylo ante humanos oculos prave disserunt, quod intus in cordibus suis recte noverunt. Ad quos profecto lamentabili voce idem Propheta sermonem dirigit, cum subjungit : « Quid facietis in die visitationis » et calamitatis de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium? et » ubi derelinquetis gloriam vestram (*c*)? »Quibus etiam comminando per quemdam Sapientem Sermo divinus loquitur dicens: « Audite, » Reges, et intelligite; discite, Judices finium terræ; præbete aures, » vos qui continetis multitudinem, et placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; » quoniam cum magistri essetis regni illius, non recte judicastis legem justitiæ neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam durissimum in his qui præsunt judicium fiet, et potentes potenter tormenta patientur, et » fortioribus fortior instat cruciatus (*d*). » Alii vero sola rerum temporalium cupiditate judicium rectum modo pervertunt, modo conservant, quia et uni justitiam protrahunt, et eamdem alteri vendunt. De illis etenim qui muneris acceptione rectum pervertunt judicium per Prophetam Judæorum : « Principes tui infideles, socii » furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; pupillo » non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos (*e*). » Ac de quolibet eorum Spiritus sanctus per Salomonem dicit : « Qui cognos- » cit in judicio faciem, non facit bene, et pro buccella panis deserit veritatem (*f*). » Et rursum : « Accipere personam impii non est

(*a*) Isaï. v, 20. — (*b*) Id. x, 1, 2. — (*c*) Ibid. 3. — (*d*) Sap. vi, 2, 9. — (*e*) Isaï. i, 23. — (*f*) Prov. xxviii, 21.

» bonum, ut declines a veritate judicii (*a*). » Tales nimirum vitandos esse in eodem libro eloquium Dei admonet, cum dicit: « Ne æmule- » ris viros malos, nec desideres esse cum eis, quia ad rapinas me- » ditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur (*b*). »

VIII. Qualis autem retributio illos obsequatur, ibi manifestatur, cum dicitur: « Rapina impiorum detrahet eos, quia noluerunt fa- » cere judicium (*c*). » Horum oppressionibus ad vindictam judicii Dominus provocatur, sicut ipse per Psalmistam testatur dicens: « Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam, » dicit Dominus (*d*). » O dives cupiditate cæcus! O judex perversus! Si pauperem jacentem sub pedibus tuis despicis, Dominum ejus et tuum exurgentem adversus te iratum, cur non expavescis? Solet enim plerumque de vobis vindicta subita fieri, ossa etiam vestra et carnes, sicut cuidam nuper contigisse enarratur, in sepulcris igne consumi. Sed cum unus ad damnationem subtrahitur, cum gehennæ incendiis spiritu mancipatur, etiam corpore in monumento crematur, alter ad oppressionem nequius inflammatur. Audi terrenis felicitatibus dives, cœlestibus bonis egenus; audi quid tibi judex omnium Deus dicat: « Non facies violentiam pauperi, quia » pauper est, neque conteras egenum in porta, quia Dominus dijudicabit causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam » ejus (*e*). »

IX. At contra ii, qui causam recti judicii præmio non immutant, sed vendunt, nil se tali in facto deliquisse existimant. Proponunt enim sibi quasdam risui dignas fabulas et dicunt: Causam cujuslibet facere et munus accipere humanum est; non facere et accipere diabolicum est[1]. Quos ego interrogare studeo, utrum hoc quod humanum dicunt, peccatum sit an non. Dic, quæso, si mandata Dei violare peccatum sit, an non sit; et certe in verbis Dei in lege divina generaliter cunctis sub uno præcipitur: « Non accipies munera, » quia munera excæcant cor sapientum, et mutant verba justo- » rum (*f*). » Atque iterum: « Juste quod justum est exequeris (*g*). » Quomodo enim juste quod justum est exequitur, qui non propter ipsam justitiam, sed propter pecuniam in judicio rectam sententiam proferre videtur. Cur non videtis, miseri, in quantum vestra desi-

(*a*) Prov. XVIII, 5. — (*b*) Id. XXIV, 1, 2. — (*c*) Id. XXI, 7. — (*d*) Psal. XI, 6. — (*e*) Prov. XXII, 23. — (*f*) Deut. XVI, 19. — (*g*) Ibid. 20.

[1] Vide Enarrat. in Psal. XXV, n. 13.

piat locutio? qui dum malorum angelorum facta verbo detestamini, bonorumque dicta laudatis, operibus blasphematis. Cur quod laudatis, non imitamini, sicut quod vituperatis, detestamini? Sed non diabolicum est omnino quidquid a præceptis Dei videtur deviare? A quo contra de justo judice alibi dicitur: « Qui excutit manus suas « ab omni munere, iste in excelsis habitat (*a*). » Ubi subaudiendum est, quia si is, qui manus suas ab omni munere excutit, in excelsis habitat, qui hoc non facit, non in excelsis cœlorum, sed in inferioribus terræ, quibus inferi declarantur, manebit.

X. Ab hac muneris acceptione immunem se Samuël ostendebat, cum de principatu plebis Israëliticæ dejectus dicebat: « Conversa- » tus coram vobis ad adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce » præsto sum; loquimini de me coram Christo ejus; si de manu » cujusquam munus accepi, et contemnam illum hodie, restituam- » que vobis (*b*). » Et ne forte is, qui sine præmio dationis, legum justitiam recte defendit, sine divina recompensatione inops spiritualium munerum existere crederetur, occurrit Dominus et per Prophetam admonendo repromisit, dicens: « Quærite judicium, subve- » nite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, venite, et ar- » guite me, dicit Dominus, et si fuerint peccata vestra rubra quasi » vermiculus, velut lana alba erunt (*c*). » Hinc per Salomonem inextinguibili pietatis affectu loquitur, et dicit: « In judicando esto » misericors pupillis ut pater, et pro viro matri illorum, et eris » velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam » mater (*d*). » Sed, ut fornax succensa, o avaritiæ æstibus mens inflammata, magis stipulam, quæ te succendat, quam abolitionem peccatorum, quæ te ab igne defendat, inquiris. Quid est, quæso, quod acquiris? quid est quod amittis? res utique peritura, quam acquiris; res semper mansura, quam amittis. Dic, inquam, quid tibi majus præmium repromittere potuit, quam ut te pro solo ejus amore rectas judicii sententias proferentem in filium assumens, non solum tanquam mater foveat, verumetiam plus quam mater internis visceribus suis misereatur.

XI. At, inquiunt multi, non accipimus de iis, qui inopia paupertatis laborant, sed de iis qui divitiis abundant. Quibus e contra nos dicimus, quoniam nihil interest, utrum diviti, an pauperi, justitiam Dei quis vendat. Simili enim ex utroque pœna plectitur, si quod

(*a*) Isaï. xxxiii, 15, 16. — (*b*) 1 Reg. xii, 2, 3. — (*c*) Isaï. i, 17, 18. — (*d*) Eccli. iv, 10, 11.

Dei est, non gratis exolverit, sed suis usibus, lucris, atque negotiis applicaverit. Solent quoque muneris ipsius nomen immutare, et dicunt se non munus accepisse, sed salutationes. Quos utique nescio utrum magis stultos, an etiam versutos appellem ; quibus nimirum dicendum est, ut attendant quid est quod acceperunt, et non sibi applaudant ex eo quod novum illi nomen inserunt. At, inquiunt, nos dationem non requirimus, ipsi enim sponte sua tribuunt. Quid ad vos pertinet, si voluntarie donum impendant ? Quibus e contra nos respondemus : Verum est omnino quod dicitis ; sponte sua tribuunt, quia aliter justitiam non invenient ; nam noluerint utique dare, si aliter ad justitiam potuissent pervenire. At per hoc, et voluntarie quodam modo, et inviti, dationem vobis exolvunt.

XII. Dumque his et quamplurimis Scripturarum testimoniis tales convincimus non eos jam debere qualibet arte, quolibet ingenio munus vel salutationes appetere, amissa fronte pudoris, in querelam prosiliunt dicentes : Si hæc ita se habent, quomodo palatia stabunt, quomodo judices dominis suis placebunt? Quos contra, nos veraciter dicimus, quia inde magis palatia ruunt, unde, secundum vestram sententiam, quasi stare videntur. Inde enim « Gens » supra gentem venit ; inde regnum contra regnum[1] consurgit (*a*) ; » inde natio cadit coram alia ; inde clades, inde fames, inde excidia, inde oriuntur discrimina ; et unde dominus terrenus placatur, inde Dominus cœlestis ad iracundiam provocatur. Hac de causa beatus Apostolus dicit : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentatio- » nes[2], et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, » quæ mergunt homines in interitum et perditionem (*b*). » Ac per Salomonem dicitur : « Qui festinat ditari non erit innocens (*c*) ; » et rursum : « Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam » divitem in regnum cœlorum intrare (*d*). » Quæ videlicet Scripturarum testimonia cum hesterna die cuidam hujus sæculi opulentissimo principi proponerem, respondit mihi, non de substantivis pecuniis, sed de divitiis intelligi debere. Sed parce tibi, quæso, optime Amice ; adime vanam securitatem ; intuere quid in his Hieronymus, quid Ambrosius, quid Augustinus, quid senserit beatus Gregorius. Illis crede qui Apostolum sequentes, « Radicem omnium malorum, » cupiditatem (*e*) » esse pecuniarum dixerunt, non divites accusan-

(*a*) Matth. XXVII, 7. — (*b*) 1 Tim. VI, 9. — (*c*) Prov. XXVIII, 22. — (*d*) Matth. XIX, 24. — (*e*) 1 Tim. VI, 10.

[1] Desunt in Cod. verba *contra regnum*. — [2] Cod. *in tentationibus*.

tes, sed appetitus divitiarum condemnantes. Vera enim est Scripturæ sententia Spiritu Dei prolata, qua dicitur : « Nihil est iniquius, » quam amare pecuniam (*a*). » Quod contra, beatus Apostolus dilectum apostolum admonet dicens : « Divitibus hujus sæculi præcipe » non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo » vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum ; benefa- » cere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, » thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehen- » dant veram vitam (*b*). »

XIII. Ego autem ut cœptum extirpandæ cupiditatis non refugiam laborem, ecce, Cupidi, multum qualibet arte acquisistis, multum quolibet ingenio coacervastis. Sed numquid Salomoni vos adæquari potuistis? Quid nunc ille possidet in iis in quibus laboravit? Numquid non ille dixit : « Totum quod laboravi, vanitas fuit. » Ipse enim ait : « Magnificavi opera mea ; ædificavi mihi domos ; plantavi » vineas ; feci hortos et pomaria, et consepi ea cuncti generis arbo- » ribus ; extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarent sylvam ligno- » rum germinantium ; possedi servos ; ancillas multas, multamque » familiam habui : armenta quoque et magnos ovium greges ultra » omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi mihi argen- » tum et aurum, et substantias regum ac provinciarum ; feci mihi can- » tores, et cantatrices et delicias filiorum hominum ; scyphos et ur- » ceos in ministerium ad vina fundenda ; et supergressus sum opibus » omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem ; et omnia quæ desidera- » verunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum quod omni » voluptate frueretur et oblectaret se in illis quæ paraverat, et hanc » ratus sum partem meam, si uterer labore meo ; cumque me ver tis- » sem ad universa opera quæ fecerat manus mea, et ad labores in » quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflic tio- » nem animi, et nihil permanere sub sole (*c*). » Quid itaque hac vanitate pejus, quam ibi hominem toto mentis desiderio velle divitias congregare, ubi eum non licet in perpetuum congregare? Quos contra Dominus admonet dicens : « Thesaurizate vobis thesauros in » cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effo- » diunt, nec furantur (*d*). »

XIV. Quid etiam infelicius pene cunctam mundi felicitatem acquirere, et in punctum ad inferna descendere? Talium dementiam

(*a*) Eccli. x, 10. — (*b*) 1 Tim. vi, 17, 18. — (*c*) Eccle. ii, 4, 12. — (*d*) Matth. vi, 29.

beatus Job conquirendo redarguit dicens : « Quare impii prospe-
» rantur, confortatique sunt divitiis; semen eorum permanet co-
» ram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum;
» domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei
» super illos? Bos eorum concepit et non abortivit; vacca peperit
» et non est privata fœtu suo; egrediuntur quasi greges parvuli
» eorum, exultant lusibus, tenent tympanum et cytharam, et gau-
» dent in sonitu organi; ducunt in bonis dies suos, et in punctum
» ad infernum descendunt (*a*).» Hinc Dominus in Evangelio[1], hæreditatem dividere cupientibus, ut ab omni cupiditate caverent, ait duobus fratribus : « Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager
» attulit, et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quod non ha-
» beo quo congregem fructus meos? et dixit : Hoc faciam; destruam
» horrea mea, et majora faciam, et illic congregabo omnia, quæ
» nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes
» multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe,
» et epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte repetunt ani-
» mam tuam a te; quæ parasti, cujus erunt (*b*)? »

XV. Quid quoque dementius quam[2] in acquisitione etiam totius mundi lætari, et unius animæ in perditionem incurrere? Unde et Dominus in Evangelio dicit : « Quid prodest homini si universum
» mundum lucretur, et animæ suæ detrimentum patiatur (*c*) ? » Et rursum : « Quam dabit homo commutationem pro anima sua (*d*)?» Tu autem, o Babylonis incendium, animam tuam terrenis venditans, pauperi dicis : Da, da hoc aut illud, quia si nunc dare nolueris, gaudebis postea si dare potueris; renitentique crimen impingis. Sic repugnantem vinculis astringis, verberas et cædis, et sic[3] quoque pacto ad rem desideratam pertingis. Hæc insatiabilis lues. Ecce quantum concupisti, forte tantum acquisisti; puto quia somnum vidisti; non est verum quod vidisti; non est tuum quod possedisti, quia sicut in hunc mundum veniens nihil defers, sic nec rediens de mundo aliquid tolles. Pauli vox[4] te convenit : « Nihil intulimus in
» hunc mundum, sed nec auferre quid possemus (*e*). » Job quoque similiter : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus

(*a*) Job. XXI, 7, 13. — (*b*) Luc. XII, 16, 20. — (*c*) Matth. XVI, 26. — (*d*) Ibid. — (*e*) 1 Tim. VI, 7.

[1] Vide Serm. CVII, n. 5. — [2] Cod. male *qui*. — [3] Forte *et hoc quoque pacto*. — [4] Vide Serm. XXXIX, n. 2; Serm. LXI, n. 9, et Serm. CLXXVII integrum.

» revertar illuc (*a*). » Hinc idem de quolibet opulento ad futura prospiciente dicit : « Dives, cum dormierit, nihil auferet; aperiet » oculos suos et nihil inveniet; apprehendet eum, quasi aqua, ino- » pia; nocte opprimet eum tempestas; tollet eum ventus urens et » velut turbo rapiet eum de loco suo (*b*). » Hinc per Psalmistam dicitur : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes » viri divitiarum in manibus suis (*c*). » Et rursum : « Ne timueris, » cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria » ejus, quoniam non sumet omnia, neque simul descendet cum » eo gloria domus ejus (*d*). » Unde præmiserat : « Relinquet alienis » divitias suas; sepulcra eorum domus illorum in æternum (*e*). »

XVI. Cur itaque, o infelices, non attenditis quod habetis, quod estis, quod post modicum futuri estis? Hoc certe quod temporaliter habetis non est vestrum, quia vox Veritatis est dicentis : « Si in » alieno fideles non estis, quod vestrum est quis dabit vobis (*f*)? » Quid autem estis? si solliciti attenditis, vaporem, ventum et umbram vos invenietis; quia Jacobus dixit : « Quæ enim est vita vestra? » vapor est ad modicum parens (*g*). » Job quoque prosequitur : « Memento quia ventus est vita mea (*h*). » Baldath etiam occurrit, veraque sententia dicit : « Ignoramus quoniam sicut umbra dies » nostri sunt super terram (*i*). » Hinc per Psalmistam dicitur : « Dies » mei sicut umbra declinaverunt (*j*); » atque de quolibet impio sententiam proferens idem Psalmista ait : « Vidi impium super- » exaltatum et elevatum super cedros Libani; transivi et ecce non » erat; quæsivi eum et non est inventus locus ejus (*k*). » Hinc supra memoratus Job loquitur dicens : « Homo cum mortuus fuerit » et nudatus, ubi quæso est (*l*)? » Quid vero post modicum futuri sitis, mortuorum ossa, et cinis in sepulcris demonstravit. Vade itaque, o Dives, ad monumenta regum et divitum, et ibi te inspice; ibi gloriam temporalem, quam ipsi amaverunt, quamque tu anxius exequeris, inquire. Numquid non tibi videtur non quidem verbis, sed exemplis homo mortuus loqui de sepulcro : Quod tu es ego fui; quod ego sum, tu quoque post modicum futurus es. Ego enim quondam opulentus et pinguis, post lascivientes et innumeras hujus vitæ voluptates ad mortem carnis perveni, post mortem car-

(*a*) Job. I, 11. — (*b*) Id. XXVII, 19, 21. — (*c*) Psal. LXXV, 6. — (*d*) Id. XLVIII, 17, 18. — (*e*) Ibid. 12. — (*f*) Luc. XVI, 12. — (*g*) Jacob. IV, 14. — (*h*) Job. VII, 7. — (*i*) Id. VIII, 9. — (*j*) Psal. CII, 12. — (*k*) Id. XXXVI, 35, 36. — (*l*) Job. XIV, 10,

nis in vermes, post vermes in pulverem redactus sum. Ubi nunc est superbia vitæ? ubi illecebræ ac voluptates vitiorum? ubi blandiens uxoris affectus? ubi increscens filiorum profectus? ubi obediens famulorum apparatus? ubi annuatim cedens[1] agrorum, vinearum nemorumque redditus? ubi thesaurorum gravissimum pondus? ubi vestium diverso schemate, auro, gemmis ac margaritis fulgens ornatus? ubi, inquam, hæc omnia sunt? Attendis nimirum, nisi cæcus es, quia mecum jam non sunt.

XVII. Utinam autem et illius, cujus exemplum talia quodam modo clamat, et vestra, quibus talia clamat, hæc sola damnatio esset, et non potius æternum subsequens tormentum. Audite quæ sit impiorum habitatio; quæ sit, post hujus vitæ excessum, reproborum damnatio. De illorum namque sempiterna mansione scriptum est: « Convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in picem ar- » dentem; nocte et die non extinguetur in sempiternum; ascendet » fumus ejus a generatione in generationem (*a*). » Ad hanc terram impiorum, ad hanc reproborum damnationem ante adventum Mediatoris nostri, etsi nequaquam eorum pœna plectendi, illi etiam post mortem descendebant, qui in hac vita pie vivebant. Unde beatus quoque Job supplicans dicit: « Dimitte me ut plangam paululum, » antequam vadam ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligi- » ne, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus » ordo, sed sempiternus horror inhabitat (*b*).» De hac malorum habitatione per Isaïam dicitur: « Dilatavit infernus animam suam, et » aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus et » populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum (*c*).» De hac in Apocalypsi Angelus ait: « Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis; » hæc est mors secunda; et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, » missus est in stagnum ignis (*d*).» De hac quoque Deus in Evangelio dicit: « Mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stri- » dor dentium (*e*). » Hanc certe habitationem non solum impiorum animæ, verumetiam qui eorum corpora dilanient immortales vermes hæreditabunt, sacra Scriptura attestante, quæ ait: « Dominus om- » nipotens vindicavit in eis; in die judicii visitavit eos; dabit enim » ignem et vermes in carne eorum, ut urantur et sentiant usque » in sempiternum (*f*). » Et rursum: « Vermis eorum non moritur,

(*a*) Isaï. xxxiv, 9, 10. — (*b*) Job. x, 20, 22. — (*c*) Isaï. v, 14. — (*d*) Apoc. xx, 14, 15. — (*e*) Matth. xxii, 13. — (*f*) Judith. xvi, 20, 21.

[1] Cod. male *animam discedens*.

» et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem vi-» sionis omni carni (*a*). » Pavete, miseri, torrentem in pice, quia subito rapit, et eos quos rapuerit ad ambulandum liberos gressus habere minime permittit. Pavete humum sulfuris, quia intolerabilem fœtorem exhalat. Pertimescite terram in picem ardentem, quia quos suscipit, exurit simul et compeditos reddit. Formidate terram miseriæ, quia omnis indigentia ibi erit. Pertimescite os inferni absque ullo termino patefactum, quia crudeliter atque insatiabiliter cunctos devorans, nec saturari, nec, Sufficit, dicere novit. Fugite stagnum ignis, quia quos suscipit, demergit, necat et urit. Cavete tenebras exteriores, quia nullum ad eas lumen accedit. Evadere curate fletum et stridorem dentium, quibus finis nunquam aderit. Timete vermes immortales, quia in manducandum carnes vestras nulla eis satietas erit, et cum tot ac tanta vobis in æternum adhæserint tormenta, nunquam erit avaritiæ omniumque ulterior exercitatio.

XVIII. Unde et per Jacobum vobis dicitur : « Agite nunc, di-» vites, plorate ululantes in miseriis quæ advenerunt vobis; divitiæ » vestræ putrefactæ sunt; vestimenta vestra a tineis comesta sunt : » aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testi-» monium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis (*b*). » Vobismetipsis itaque consulentes recordamini, quæsumus, talia recordantes, ne incidatis in talia, et qui non solum digitum unum in ignem ad modicum tenere, verumetiam famem et sitim, frigorem vel nuditatem tolerare refugitis, tot ac tanta, quæ præmisimus, in perpetuum sustinere, vehementissime paventes, formidate. Sed nec diei judicii expectatio formidabilis a memoria vestra recedat, si quoquo modo, donante Domino Jesu Christo, ab amore præsentis sæculi intentio vestra semel se disjungat. De illo etenim die scriptum in Propheta legimus : « Juxta est dies Domini, juxta et velox nimis : » vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis; dies iræ, dies illa, » dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies te-» nebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clango-» ris (*c*). » De illo per Petrum dicitur : « Adveniet dies Domini sicut » fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero a calore » solventur (*d*). » Hinc Psalmista ait : « Ignis in conspectu ejus arde-» bit, et in circuitu ejus tempestas valida (*e*). » Hinc Propheta ex persona Judicis nostri loquens : « Expecta me, dicit Dominus, in die

(*a*) Isaï. LXVI, 24. — (*b*) Jacob. V, 1, — 3. — (*c*) Soph. I, 14, 15. — (*d*) 2 Petr. III, 10. — (*e*) Psal. XLIX, 3.

» resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congre-
» gem gentes et colligam regna, et effundam super eos indignatio-
» nem meam, omnem iram furoris mei; in igne zeli mei devorabitur
» omnis terra (*a*). » Ecce enim ira, tribulatio et angustia, calamitates, miseria, tenebræ et caligo, nebula et turbo, tuba et clangor, ignis elementa consumens, tempestas valida cuncta devastans, ira Judicis intolerabilis, furor importabilis.

XIX. Et quis peccator talia non pertimescat, si Paulus, Sanctorum labores et virtutes exuperans, talia formidat? Ipse ille timebundus clamat : « Terribilis quædam expectatio judicii, et ignis
» æmulatio, quæ consumptura est adversarios ; horrendum est in-
» cidere in manus Dei viventis (*b*). » Ibi certe ad vindictam malorum innumerabilis apparebit multitudo Angelorum, et cœlis ac terris ardentibus, Domino quoque atque Apostolis sedentibus, separabunt malos de medio justorum ; et quodam modo zizaniam a tritico separantes, alligabunt fasciculos ad comburendum ; dum pares paribus,id est, avaros cum avaris, adulteros cum adulteris, homicidas cum homicidis, fornicatores cum fornicatoribus, fures cum furibus, raptores cum raptoribus, mendaces cum mendacibus, perjuros cum perjuris, voraces cum voracibus, ebriosos cum ebriosis, elatos cum elatis, superbos cum superbis aptaverint atque conjunxerint, ut par ibi sit manens supplicium, quorum in hac vita par extitit conversatio. Sed nec ullus erit ultra reditus ad veniam, quia « Ibunt in supplicium æternum (*c*); » nec precibus iram Judicis ad misericordiam aliquis inflectet, quia « Omnibus secundum opera
» sua reddet (*d*) ; » et quidem preces multiplicabunt, et ejulantes miseri clamabunt : « Domine, aperi nobis ; » et tamen ab intus illis respondebitur : « Amen dico vobis, nescio vos, qui estis; discedite a me
» operarii iniquitatis ; ibi erit fletus et stridor dentium (*e*). »

XX. Dicent fortasse tales, pro quibus talia ex divinis eloquiis proferimus : Ecce terruisti nos, et jam pene decumbimus desperatione. Si hæc ita se habent, « Quis nostrum salvabitur (*f*)? » Quid agendum est nobis? Respondeo non meis, sed Domini verbis : « Intrate
» per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ
» ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam
» angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt,

(*a*) Soph. III, 8. — (*b*) Hebr. X, 27, — 31. — (*c*) Matth. XXV, 46. — (*d*) Apoc. XXII, 12. — (*e*) Luc. XIII, 25, 28. — (*f*) Matth. XIX, 26.

» qui inveniunt eam (*a*). » At, inquiunt, arcta via et angusta porta illis proponitur, qui sæculum derelinquunt, qui « domos, agros, uxo- » res, filios (*b*), » servos atque ancillas, et omnia quæ terreni affectus sunt sæcularis abdicant [1], ut ei placeant, « cui sese probaverunt (*c*). » Verum quod dicitis; sed et vobis juxta modulum ordinis vestri, secundum vires mensuræ vestræ, arcta via et angusta objicitur : quia duas Dominus tantum portas, ac duas vias proposuit; per latam portam et spatiosam viam multos dixit tendere ad perditionem, per angustam portam et arctam viam paucos intrare ad vitam. Nec tertiam portam, nec tertiam viam ostendit; quærite vos tertiam, sicubi invenire potestis, et ambulate atque intrate per eam. Sed nolite vos fallere; non est amplius; non superest alia ad vitam intrare per eam. Arcta illa via et angusta porta, sæcularibus viris est : Aliena non concupiscere, non furto, non fraude, non mendacio, non perjurio, non falso testimonio, non præmio vel qualibet salutatione præripere, et propriis laboribus ac justis redditibus contentum esse; non plus quam unius animæ exigit indigentia congregare; nullos nisi propriæ uxoris concubitus miscere, a propria etiam uxore illicitis temporibus abstinere [2], indictum quoque Quadragesimæ dierum jejunium illibatum observare : spectaculis mundi postpositis, Ecclesiæ liminibus insistere; sumptus eleemosynarum non ad voluptatem, sed ad necessitatem carnis percipere; et super hæc omnia pro quotidianis ac minutis excessibus, vel etiam gravioribus peccatis eleemosinariæ largitati deditum esse.

XXI. Quæ procul dubio iis qui terrena possident eminentior virtus specialisque delictorum abolitio est, si tamen peccare quisque desistat, dum hanc misericordiam indigentibus administrat; unde scriptum est : « Sicut aqua extinguit ignem; ita eleemosyna » extinguit peccatum (*d*). » Hinc etiam Dominus in Evangelio admonet dicens : « Verum quod superest, date eleemosynam, et ecce » omnia munda sunt vobis (*e*). » Hinc per quemdam Justum dicitur : « Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patitur « animam ire ad tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo

(*a*) Math. VII, 13, 14 — (*b*). Id. XIX, 29. — (*c*) 2 Tim. I, 4. — (*d*) Eccli. III, 33. — (*e*) Luc. XI, 41.

[1] Cod. male *sæcularibus implicant.* — [2] *Nota quod uxorati tenentur in Quadragesima et aliis festivis diebus abstinere ab uxoribus.* Sic Codex; quæ tamen nota, sive sententia, propria est Augustini; uti videre est in Sermonibus CCVIII, n. 1, CCIX, n. 3, et CCX, n. 9.

» eleemosyna omnibus qui faciunt eam (*a*).» Quibus etiam attestante Evangelio in finem dicitur: « Venite, Benedicti Patris mei, perci- » pite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: esurivi » enim et dedistis mihi manducare, hospes eram et collegistis me, » nudus et operuistis me, infirmus et visitastis me, in carcere eram » et venistis ad me (*b*). » Ipsa autem misericordiæ erogatio ex voto atque hilaritate debet pendere, non ex tristitia, quia « Hilarem » datorem diligit Deus (*c*). » In tantum etiam hæc decet profusius impendi, in quantum quisque se obreptum fuisse cognoscit. Unde rursum quidam Homo Dei unicam prolem admonet dicens: «Quo- » modo potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter » tribue; si autem exiguum fuerit, etiam libenter exiguum imper- » tiri stude; præmium bonum tibi thesaurizas in die necessita- » tis (*d*). »

XXII. Quod vero nihil prosit quemlibet eleemosynis insistere, nisi studuerit a malis actibus declinare, quidam Sapiens testatur dicens: « Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit mortuum, quid » proficit lavatio ejus (*e*)? » Hinc per Isaïam Dominus admonens ait: « Lavamini, mundi estote (*f*). » Hinc Psalmista dicit: « Declina » a malo, et fac bonum (*g*); » quod autem magis lugendum, quam laudandum est, nonnulli ideo plura diripiunt, ut habeant unde Largitori omnium pauca tribuant. Sed quanta sit detestanda illorum oblatio Scriptura sancta indicat, quæ dicit: « Qui offert sacrificium » de rapina pauperis, tanquam si immolet filium in conspectu pa- » tris sui (*h*). » Sicut enim interfectio filii, atque effusio sanguinis ejus coram oculis patris qui hunc genuit placere potuit, ita omnipotenti Deo oblatio de malis acquisita. Hinc per Isaïam de talibus dicitur: « Qui offert oblationem ex substantia pauperis [1], quasi » qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris, quasi qui » benedicat idolo (*i*).» Nihil certe in Veteri Testamento tam odibile quam oblatio sanguinis suilli; nil tam execrabile in Novo et Veteri quam benedicere idolo; et tamen misericordia de rapinis pauperum oblata iis merito comparatur. Quos contra sancta Scriptura præcipit dicens: « Ex substantia tua fac eleemosynam et noli avertere fa-

(*a*) Tob. IV, 11, 12. — (*b*) Matth. XXV, 34, 36. — (*c*) 2 Cor. IX, 7. — (*d*) Tob. IV, 8, 9. —(*e*) Eccli. XXXIV, 30.— (*f*) Isaï. I, 16.— (*g*) Psal. XXXVI, 27. — (*h*) Eccli. XXXIV, 24. — (*i*) Isaï. LXVI, 3.

[1] Hæc verba *ex substantia pauperis* in Vulgata non leguntur.

» ciem tuam ab ullo paupere (*a*). Ex substantia, inquit, tua, » non ex aliena, quia sicut ex tua misericordiam Dei invenis, ita ex aliena iram incurris.

XXIII. Apte autem hoc in loco illud etiam occurrit, quod supra memoriæ defuisse cognosco, quia nonnulli ex justis quidem laboribus atque redditibus præparant, quæ omnipotenti Deo offerant, in proprios tamen usus male acquisita assumunt. Quibus dicendum est, quia quamvis putent justa, non tamen possunt placere summo Bono illorum munera, qui non studuerint immaculatam servare vitam. Quid enim est pretiosius Conditori nostro? anima nostra, an dona nostra? quod si anima sorduerit, ac de his numquid munus aliud exterius placebit? restat igitur vobis ut nihil ex iniquitate Largitori vestro assumatis vos, sed ex justis laboribus ac justis redditibus et illi offeratis, et vos vivatis. Restat etiam ut sit res temporalis in usum, solus ille qui et vos creavit et bona temporalia præparavit in desiderium; ut cum [1] vos pariter cum illis transieritis quæ dedit, perveniatis ad illum qui dedit; cum quo sine fine gaudeatis, sine fine regnetis, « In cujus regno sicut sol fulgeatis (*b*), » ut lilia et rosæ vernantes redoleatis, omnibus divitiis perenniter affluatis, ubi sanctis Deumque timentibus civitas præparata est, cujus fundamenta omnium lapidum pretiosorum ornatu [2] subsistunt; quæ « Ha- » bet portas ex singulis margaritis; cujus platea ex auro mundissimo » constat; per cujus medium flumen aquæ vivæ decurrunt, et ex » utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per » menses duodecim. » Manna absconsum et panis Angelorum edentibus datur, qui sic saturitatem affert, ut nunquam fastidium inferat; sic esuriem tollit ut nunquam edenti cupiditatem adimat; ubi « Nul- » lus sole, nullus luna, » nullus lucerna « egebit, quia nox ibi non » erit, et Dominus Deus omnipotens lumen omnium erit (*c*). » Ab illa autem luce, quam tunc Sancti videbunt, hæc quam modo videmus, solummodo accepta est. Ista longe eminentior, longe præstantior, quam illa, quia illa creatrix, ista creata; illa lux mentium, hæc lux corporum. Non ergo illa talis quam videre consuevimus oculis carnis, sed nec illa bona quæ præmisimus talia erunt qualia vel videre in hac vita, vel audire, vel cogitare aliquis potest, sed multo excellentiora, multoque beatiora, quia ut Scriptura ait: « Nec » oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ » præparavit Deus diligentibus se (*d*). »

(*a*) Tob. IV, 7. — (*b*) Matth. XIII, 43. — (*c*) Apoc. XXI, 19, 23. — (*d*) 1 Cor. II, 9.

[1] Cod. male *imo*. — [2] Cod. male *ortus*.

XXIV. Illam igitur inquirite; illam desiderate; ad illam mentis desiderio tendite. Ego certe nullum adulatione decipere audeo; nulli quod utile est subtrahere quæro, quia hæc præmissa sunt non contra avaros, sed contra avaritiam; non contra naturam, sed contra vitium protuli. Quod melius consilium dare possim, non invenio; quique etsi ad extirpationem cupiditatis totum, ut potui, laborem non exhibui, tamen octoginta et amplius Scripturarum testimoniis quasi quibusdam letibus (*sic*) surculos ejus incidendo percutiens, a mercede vacuus non ero, fidelem retinens promissorem « Mediatorem » Dei et hominum Christum Jesum (*a*), » qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De Pascha I.

Eruitur ex Cod. Cass. XII, *fol* 160, *et quidem sine nomine; nec immerito; quamvis enim extrahatur ex illo Codice, qui non aliud ferme continet, quam beati Doctoris fœtus, accedunt ad nominis absentiam sententiæ minime connexæ, stylusque rhetoris, cui potius tribuendus est, quam sancto Augustino. Incompletus videtur; finis deest. Locus ejus in Appendice post Serm.* CLXXI, *cum numero de Pascha* XIV.

SYNOPSIS.

I. Mortem Christi elementa senserunt. II. Eidem fecerunt exequias. III. Discipulorum expectationem consolatur Resurrectio. IV. Conclusio.

I. Post inclytam Domini Christi passionem, qua vivit occisus, post falsum pacis initium, osculum traditoris, quo pessimus proditor pacem, quam acceperat, perdidit bellaturus; post palmas in faciem quas excepit Dominus Christus, revera palmifer, cui de mortis sublimi occasu victrix Resurrectio parabatur; post flagella, si fas est, a nequissimis servis in Dominum perversa lege vibrata, post crucis sublime supplicium, videtis quid senserint perfidi. Dicimus

(*a*) 1 Tim. II, 5.

tamen quid elementa senserunt. Media die passionis per omnem mundum tenebræ factæ sunt. Diem sceleris perdidit sacrilegus inimicus; Evangelista dicente : « Ab hora diei sexta, tenebræ factæ » sunt super omnem terram usque ad horam nonam; contene- » bratus est sol; velum templi scissum est (*a*). »

II. Et clamavit voce magna Jesus : « Pater, in manus tuas com- » mendo spiritum meum. Et hæc dicens, emisit spiritum (*b*). » Inquit : Tibi commendo, dum redeo, deposito recepto[1]. Discat nunc incredulitas fidem, et omnis mundana perfidia, et ipsius mundi mentem quam diligit imitetur (*sic*). Agnoscat Filium Dei per fidem, quem omnia elementa suspensum senserunt. Iterum corporis[2] lugubre cœlum fecit exequias, et in medium diei tempus nox turbata conscendit, atque ut sacrum funus justa perciperet, secretum in publicum tenebræ corpori præbuerunt. Mixti sunt pavor et luctus; omnisque natura sibi tunc timuit, cum Dominum videret occisum.

III. Dixerat namque Apostolis ante passionem : « Ecce ascendimus » Jerosolymam[3], et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum » et scribis, et condemnabunt eum morte. Tradent eum gentibus » illudi, flagellari, crucifigi, sed tertia die resurget (*c*). » Ab hora passionis ecce jam triduum est; reddant nobis vigiliæ resurgentem. Post hæc cruci suspenditur, occiditur, sepelitur; et non[4] venit ut promisit. Sabbato nascitur dies; Apostolos omnes terror, metus, fuga, luctus exagitat; et non venit ut promisit. Nox sabbatum sequitur, mœret pervigil cura, et mœstos fletibus oculos somnus invidus captat[5]. Eia, Fides, evigila; modo veniet qui speratur; scriptum est enim : Post tres dies sabbati « venit Jesus ad Discipulos suos, » dixitque illis; Pax vobiscum (*d*). » Videtis, Fratres, speciem resurgentis. Gerit vulnera, quæ gerebat, et ne aliquis putet spiritum fuisse qui apparuit, dixit Apostolis suis : « Videte quia spiritus ossa et car- » nem non habet, sicut me videtis habentem (*e*). »

IV. Hoc est Pascha quod colimus, hoc novamus; hoc diem nocti conjungimus, hoc præteritum redit in præsens, hoc volvitur in futurum resurrectionis. Namque natalis est dies qui ex hac nocte nascetur....

(*a*) Luc. XXIII, 44, 45. — (*b*) Ibid. 46. — (*c*) Luc. XVIII, 31, 32. — (*d*) Id. XXIV, 36. — (*e*) Ibid. 39.

[1] Cod. male *recepturo*. — [2] Id. *corpus*. — [3] Id. *Jerosolymis*. — [4] Id. *nunc*; legendum est *non*, ut patet ex repetitione in sequentibus, *et non venit*. — [5] Vide in Appendice Serm. CLI, n. 5.

SERMO IV.

De Pascha II.

Super Evangelium : *Thomas qui dicitur Didymus.*

Sermo iste qui legitur in Cod. Cass. CXVII, *fol.* 43, *jam partim reperitur stampatus in Appendice Maurinorum ; finis autem prorsus differt ; titulus autem est de Pascha. Maurini illum Semipelagiano tribuunt, sed falso quidem : hanc enim accusationem ex eo deducunt quod præcedens sit Semipelagiani, et sequens ad præcedentem referatur. At in nostro Codice sermo præcedens est Augustinianus in S. Joannem* CXXI, *unde melius concludi posset illum esse genuinum sancti Doctoris fœtum, cum præsertim ne unum quidem verbum deprehendatur, quod errorem semipelagianum sapiat. Unum autem me ab isto B. Doctori tribuendo deterret, ista nempe sententia qua Thomam* Sanctum, Fidelem *et* Justum *eo ipso tempore vocat, quo dubitaret, aut potius quo dubitare videretur, cum ex eodem Auctore minime dubitaverit, sed propter nos quasi dubitans egerit. Contrarium affirmat B. Augustinus in ipso sermone supra citato, ad quem hunc proxime pertinere crederetur : cum dicit illum* credidisse quia viderat, et dubitationem removisse ; *et alibi nempe Serm.* CCLVIII, *n.* III, *ubi illum interpellans dicit* ; Evangelistæ tibi annuntiant et non credis. Illis credidit mundus, et non credit discipulus, etc. *Adde quod in ipso sermone dubitasse Thomas supponitur, quando dicitur :* Venit Jesus januis clausis ; sic oportuit venire ubi cor incredulitate clausum erat, etc. *Unde illum in Appendicem deputamus, sed propter diversitatem, quæ inter hunc et alterum in Maurinorum Appendice stampatum intercedit, typis submittendum esse credidimus. Ponatur in locum Sermonis* CLXII, *Appendicis Maurinensis.*

SYNOPSIS.

I. Thomæ sollicitudo fidem omnium firmavit. II. Primogenitus ex mortuis Christus. III. Thomas, viso Domino, illum Deum agnoscit.

I. RETINET sanctitas vestra, Fratres, superiorem tractatum, in quo scripsimus sanctum Thomam apostolum, ad confirmandam fidem omnium, post resurrectionem, Dominici corporis membra palpasse, et ad repellendam ambiguitatem universorum, vulnerum ejus cicatrices scrutari voluisse. Non enim propterea tantum hoc operatus est beatus Apostolus; sed quod sibi gessit, cunctis profuit. Cum suam enim exercuit sollicitudinem, fidem omnium confirmavit. Quis enim ex hoc dubitet rediisse a mortuis Salvatorem, cujus post inferos præsentiam agnoscat oculus, attrectet manus, digitus perscrutetur? Quamvis igitur modicæ fidei homo, quamvis imbecillis ingenii Christianus, nunquam sollicitudinem suam inquisitioni Thomæ æquiparare potuisset. Nunquam enim post agnitionem, conversationem, loquelam, ausus esset petere, ut etiam tactu Christum perscrutaretur in Christo, et in ipso homine quem cerneret, hominis corpus inquireret, et resurrectionem ejus non tam mirabilium gloria crederet, quam passionis injuria comprobaret. Thomas ergo cum esset sanctus, fidelis et justus, hæc omnia sollicite requisivit: non quod ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem credulitatis excluderet. Nam sufficerat illi ad fidem propriam, vidisse quem noverat: sed nobis operatus est, ut tangeret quem videbat; ut si forte diceremus delusos esse ejus oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. Constat enim veritatis testimonio, rediisse ab inferis Salvatorem.

II. Quis non spem suam in Christo collocet? Quis non fidem suam ponet in Domino; ut dum illum credit ab inferis, ipse resurgat a mortuis? Dicit beatus Apostolus: « Si enim mortui non resurgunt, » neque Christus resurrexit. » Quia ergo surrexit Christus, suscitabuntur et mortui: quia resurrexit Dominus, et servuli reviviscent. Ipse enim est, sicut ait Apostolus, « Primogenitus ex mortuis. » Sicut enim est apud superos primogenitus in multis fratribus, ita et ab inferis est primogenitus ex defunctis. Primogenitus autem dicitur quis, ex eo quod secuturis aliis primus gignitur. Primogenitus ergo Christus vocatur ex mortuis, quod primum illum ex inferni tene-

bris in lucem, resurrectionis partus ediderit. Partus enim dicendus est, ubi permutatione quadam anima tartari legibus moritur, ut redivivo corporis usui renascatur. Nativitas enim resurrectionis apud superos, mors quædam est inferorum.

III. « Post dies octo iterum erant Discipuli intus et Thomas (*a*) » ille qui tunc cum eis non fuerat, quando « Gavisi sunt Discipuli viso Do- » mino (*b*), » et qui referentibus postea Discipulis dixit : « Nisi videro » fixuras clavorum, et mittam digitum meum in latus non credam(*c*).» Hoc ergo hodie cum Discipulis reliquis posito, venit Jesus januis clausis : sic oportuit venire, ubi cor incredulitate clausum, erat fidei luce reserandum. Non immerito ergo etiam octavus dies pari vi, pene pari devotione celebratur, qua ille celebratus est, a quo octavus dies iste numeratur. In illo enim resurrectio acta, in hoc confirmata est, nec minus dura atque tenebrosa hic incredulitatis janua, quia illic inferni porta prærumpitur. « Venit ergo, inquit, Jesus januis « clausis (*d*) ; » est quod nos quoque cum Thoma dubitemus, nisi facti respiciamus auctorem. Sed si Deum esse de quo loquitur, cogitemus, cui nihil invium, cui humanum quoque pectus pervium confitemur, cui hoc idem corpus non solum januis clausis [1]... In ipsa statim salutatione : « Pax vobis (*e*) ; » hanc ergo nobis semper affe- rat, hanc a nobis reposcat ; hanc a nobis inveniat, hanc relinquat. Deinde dicit Thomæ : « Infer digitum tuum huc, et vide manus » meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse » incredulus, sed fidelis (*f*). » Non est meum meos ludificare phan- tasmate; vanam imaginem visus timeat, veritatem corporis manus et digitus exploret. Potest fortasse aliquando oculos caligo decipere, veritatem corporis manus et digitus explorent. Potest for- tasse aliquando oculos caligo decipere ; palpatio corporis verum corpus agnoscat. « Spiritus, inquit, carnem et ossa non habet, » sicut me videtis habere (*g*). » Quod ostia clausa penetravit, sola est virtus divini Spiritus, non sola carnalis substantia ; alioquin quid profuit me suscepisse hominem, si piguit suscepisse. Respon- deamus ergo et nos, et fateamur cum Thoma, in quo miraculum divinæ virtutis exposuit : « Tu Dominus meus et Deus meus (*h*). » Nobis enim ille dubitavit, nobis exploravit, nobis in illo Dominus manus et lateris vulnera contrectanda permisit. Dicit ei Deus : « Quia vidisti

(*a*) Joan. xx, 26. — (*b*) Ibid. 20. — (*c*) Ibid. 25. — (*d*) Ibid. 26. — (*e*) Ibid. — (*f*) Ibid. 27. — (*g*) Luc. xx, 39. — (*h*) Joan. xx, 28.

[1] Hic aliquid desiderari videtur.

« me credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt (*a*). » Habemus ergo et firmitatem palpata credentium, et beatitudinem non visa credentium.

SERMO V.

De Ascensione Domini I.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 201, *sine nomine. Indignus est sancto Augustino, utpote ridicule scriptus. Opus est rhetoris, et quidem indocti. Similitudo exordii eumdem auctorem indicat, ac sermonis præcedentis. Locus ejus in Appendice post Sermon.* CLXXXI, *cum numero de Ascensione* VII.

SYNOPSIS.

I. Christum ascendentem in cœlos celebrare convenit. II. Mira Christi Ascensio describitur. III. Continuatur Ascensionis descriptio.

I. LIBENTIUS, Fratres, clariusque convenit nostri aciem cordis sursum avidius intentare, quia hodie per ipsius ætheris crassam mollitiem nubium distenduntur insignitæ cortinæ, cum Christus hominem suum, post tenacem machinam validi ligni, post versatilem illam clavorum figuram, post magnifici monumenti custodem, post petrinam thecam [1], Christus hominem suum triduano curriculo vivo somno sepultum, compilatis inferis, interposita majestate subduxit. Hunc in isto dierum decem quadrangulo coruscæ nubi imposuit, et sine scissura aërea, aut venti tempestiva jactura, candens nubalis evectio, plaudentibus auris, dedicato gestamine, ad sidera usque transvexit. Jam enim David ille Psalmorum cantor musicorum, multo ante cecinerat dicens : « Qui ponit nubem as-» censionem suam, qui ambulat super pennas ventorum (*b*). »

II. Mira, dilectissimi Fratres, in ascensu Primogeniti virtus in-

(*a*) Joan. XX, 29. — (*b*) Psal. CIII, 3.

[1] Sic corrigitur ex sensu; Codex enim sine sensu *cœlo petrina theca*.

floruit. Non nube reclinatus, sedere in dextera aut læva succubuit, nec ipsa ventorum pennata alacritas, reclinato climate, elanguit, sed æqua lance candidissima nubes assumpti hominis corpus ad cœli provinciam feriata assumptione revexit. Numquid sensit bella viscerum, cum ipsum evectum cœlis hodie corpus in uteralis urnæ gestaret hospitium? numquid passa est puerpera parata pudoris in ipso solemni partu naufragium? Ita-ne nubes hodie velaminis sui vel leve sensit dispendium, quia corpus advexit, non turgido peccati onere prægravatum, sed Verbum caro factum, cœlesti utique generantis chrismate levigatum? Nunc itaque post resurrectionis speratæ salutis repentinam lætitiam, post scholæ illius spiritualis insignia, sophiæ inaccessibilis munimenta, hodierna ut comperimus die, cœlos unde nunquam aberat, repetiit. Stabat namque cohors illa undecimæ classis obtutu suspensa post flagrantem currum victoriæ nubis, et mœsta ora mœrentium, post magistri dulcem ascensum, has[1] referre creduntur avidas voces sitientium animorum : Ubinam noster Jesus, subita claritudine præsentiæ venustæ[2] potentiam sustulisti? Ecce videmus ventos pluvialibus palleis fimbriali flamine salutare. Cernimus cœlum in ascensum corporis tui quadrijugo cardine reserari, et nos in ista telluris barbarie quid faciemus, tali pastore, corporali absentia, derelicto? Licet tenemus sponsionis tuæ pactum veridicum, quia alium dirigere incipies advocatum, tamen quia recursus, tuus thronus pacis, cœlestium potestatum, nec nostro deseras in isto exilio peculiare tui muneris nutrimentum. Sicut Elisæus ille, cum patrem videret absentem flamma transferri, talia post eum legitur acclamasse : « Pater mi, » pater mi, currus Israël et auriga ejus, cui me dimisisti (*a*) ?» Ita et nostri illustres[3] Apostoli, cum Salvatoris nostri nubiferum in aëre carrucæ speculantur ascensum, parem attollebant ejulantium cordium unijugem gemitum, quibus occultata nube paulatim altiusque subducta, ingenti licet aviditate auscultantibus, duo leguntur Cœlites astare stolis in albis, qui consolandis pandunt et apta eis verba profundunt : Usquequo, viri Galilæi, mortalibus oculis ad alienos lares inani levamine fatigatis? Quandiu pupillas exiles, lacrymarum imbre confectas, ad divini culminis sedem incassum attollitis? Cœlestem extensam cameram, sicut fumum, semipleno aspectu intueri potestis. Cœlos autem cœlorum, ubi vester Dominus, teste oriente,

(*a*) 4 Reg. XIII, 14.

[1] Cod. *quas*. — [2] Id. *venustrice*. — [3] Id. male *illustri*.

conscendit, speculare his nequaquam vultibus poteritis. Spondemus tamen vobis hujus fœderis inviolabilem veritatem, quia noster Dominus, cum quo subiit ad sidera corpore, cum eodem rediet, incarnata apertius veritate.

III. Ecce enim ex prisco psalmi organo comperimus, quid in ascensum Christi mirabiliter gaudeamus, cum in altum conscendit, et captivam captivitatem absque militum turmis, aut catenarum stridente ferrugine duxit[1]. Exortus est in cœlo maximus de amore clamor descendens, quando metantes Angeli nubem corporis Christi, janitoribus exclamant Angelis : « Attollite portas Principis vestri, et » elevamini portæ æternales, » ut cum portarum obices reseraveritis, gaudium vestrum nostro gaudio communi societate nectatis, « et introibit rex gloriæ. » Illi autem qui cœlestibus foribus leguntur fore prætores : « Quis est iste, aiunt, Rex gloriæ (*b*)? » Quibus edocentur nuntiorum responsis : « Dominus fortis, » velut leo transglutiens mortem, « potens (*c*) » in patibulo crucis, potentior « in » bello (*d*) » tyranni inaniter decertantis[2]. « Ipse est rex gloriæ ; » qui descendit in inferiora corda terrarum, et ascendit laureatus, repetens hodie suæ majestatis stadium. Quando voluntarie descendit, indixerat stella astriferi signi corona ; cum vero victor hodie ascendit, nubes emicuit candida, in qua veherentur membra passioni, non morti, creata. Fit obvia Cherubim apte vectrix ineffabilis sedes in occursum advolans, Seraphim salutantibus alis, et throno revertens Filius in dextera promicat Patris[3] ; fit unicæ Trinitatis inhærens sibimet osculum, et ad recursum Domini venientis cuncta tripudiat toga cœlorum. Ita et nos ipsius quadragesimæ Ascensionis cœleste consoletur curriculum, ut gratiorem etiam Pentecosten redhibeamus nostræ devotioni, debiti sermonis officiosum servitium, per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum consedentem ad dexteram Patris, et regnantem cum eo, et cum Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Psal. xxiii, 7. — (*b*) Ibid. 8. — (*c*) Ibid. — (*d*) Ibid. 28.

[1] Vide Serm. cclxi n. 11, et Serm. cccLxxvii. — [2] Vide Serm. cccLxviii, et Enar. in Psal. xxiii, n. 8. — [3] Cod. sine sensu *et throno revertenti Filio in dextera promicat Patris.*

SERMO VI.

De Ascensione Domini II [1],

In Manichæos.

Sermo pulcher admodum et eloquens; legitur in duobus Codicibus, nempe II, *fol.* 227, *et* III, *fol.* 41. *Non foret certe Beato Augustino, cujus nomen præfert, indignus, nisi obstaret elegantes nimium et rotundæ sententiæ; unde nulla styli convenientia. Illum sancto Leoni tribuere mallem, si adesset alicujus Codicis auctoritas. In dubio sufficiat annotare non prætereundum esse leviter, sed attentius legendum. Locus ejus in Appendice post præcedentem cum numero de Ascensione* VIII.

SYNOPSIS.

I. Dies Ascensionis, dies lætitiæ. II. Detestabilis Manichæorum error. III. Virgo Maria concepit et peperit. IV. Christus ut vere natus, sic et vere passus. V. Christus resurgendo veram carnem demonstrat.

I. FRATRES dilectissimi, dies isti cœlestes, quibus mortales in Christo resurgunt, lætitiam imitantur angelicam, et a vobis exigunt devotissimi conventus frequentiam, et a nobis expetunt spiritalis alloquii, tanquam nitidi convivii paraturam. Sic se [2] post laborem requies nova permittit [3]; sic succurrunt refrigeria fatigatis; sic post mortem vita, post tenebras lux, post amaritudines mundi cœlestis dulcedo consequitur, si in hoc sæculo fides non derelinquitur, sed tenetur; sicut in Evangelio scriptum est: « Qui perse- » veraverit usque in finem, hic salvus erit (*a*). » His diebus post resurrectionem suam Christus est conversatus in mundo, cum carnem suam redivivam ex mortuis immortalitatis honore vestiret, et Deus inter homines approbatis virtutibus habitaret: nec aliter posset caro glorificari, nisi ante appeteret crucifigi. Quæ igitur causa

(*a*) Matth. XXIV, 13.

[1] Cod. III *de dominica Ascensione*. — [2] Id. male *sæpius*. — [3] Cod. II minus bene *mittit*.

fuerit, ut post resurrectionem suam Christus quadraginta diebus conversaretur in sæculo, paulisper audite.

II. Posset, Fratres charissimi, dubia semper mortalitas ac rerum nescia divinarum, resurrectionem Domini Christi aut falsam existimare, si mox de sepulcro ascendisset in cœlum, aut imaginariam et illusoriam credere, nisi eam omnes præsentem cernerent, et dierum prolixitas comprobaret. Sic de ea Thomas primus incredulus dubitavit. Sic hodie Manichæorum pagana infelicitas credit, quippe cum nec nativitatem Domini, nec passionem, nec mortem veram æstiment, sed totum studio falsitatis assignent. Non igitur vere, inquiunt, genuit Maria, sed finxit: non Christus vere, inquiunt, natus est, sed illusit, et totum inter homines artificii præstigio figuravit: non fuit, inquiunt, in Christo vera caro, sed falsa, non corpus solidum, sed inane, totumque, inquiunt, quod apud homines Christus egit, non vere gessit, sed potius simulavit. O detestanda religio, in qua regnat tota falsitatis origo, quæ radices fidei conaris evellere, et religionem ipsam funditus amputare! O misera, quæ a mendacio incipis! O miseriores, quos de falsitate seducis! Quæ enim umbras et phantasmata sequeris, quid veritatem hominibus polliceris? Merito sacra tua turpi, latebrosissime Manichæe, impudicitiæ tradidisti, quia fidem sacris virginalibus denegasti. Denique carnem tuam inter ipsa tua flagitiosa mysteria polluis, ac venenum tibi, quod sumas, ex tuis sordibus conficis et conspergis: digna prorsus ex alterutra fœditate in utroque pollutio, ut cum sacra tua ex te, quæ comedas, polluis, et ipsa ex tuis sacris turpibus inquineris.

III. Cur igitur non credis, o Manichæa obscœnitas, potuisse parere Virginem, nisi quia religio tua non recipit sanctitatem! Evangelium autem dicit: « Quia inventa est Maria in utero habens » de Spiritu sancto (*a*). » Si igitur corruptionem, paganissime, in partu Virginis formidasti, et ideo Christum natum ex fœmina credere noluisti, redde mihi nunc rationem, ex quo semine cuncta animalia terra concepit, cum in suis principiis naturas, formas et species singulas parturiret. Dic unde mare factum est, ut ex eo aves variæ et diversa natantia prorupissent? Si igitur natura mundi gravida jussu Dei virgo parere potuit, ac nullum ibi signum corruptionis accessit, sed sine seminibus semina fecit, cur terram illam sanctam, id est Virginem Mariam, ex qua Jesus et nasci voluit et

(*a*) Matth. 1, 18.

exire, non credis in visceribus suis sine viro potuisse concipere, et sine corruptionis vitio generare? Ita-ne vero Christus in Matre sua servare non potuit, quod in terra perfecit? Fuge, fuge omnino suspicionem corruptionis, ubi audis præsentiam majestatis. Dicit enim Angelus ad Mariam : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus » Altissimi obumbrabit tibi; propterea quod nascetur ex te Sanctum » vocabitur Filius Dei (*a*). »

IV. Sic passum Christum negas, ut genitum diffidas; sic mortuum, sic sepultum abjuras, sed totum præstigiis asseris coloratum. O cæca perfidia! quid verum a te potuit prædicari, quæ ipsam veritatem credis potuisse mentiri? Audi ipsum Dominum Christum dicentem : « Ego sum via, veritas et vita (*b*). » Sed dic mihi : quid osculatus est Judas ingratus? hominem, an imaginem obumbratam? carnem, an ipsam substantiam corporalem? Quid miles terruit? quid vinculis duris inseruit? quid Pilatus audivit? quid flagellavit? quid coronam illam ex vepribus contextam capite pio prætulit et gestavit? quid Judæus felle et aceto potavit? quid miles in ligno suspendit? Si Christus umbra fuit, hasta illa profani militis umbras diverberavit? Quid Joseph ille ab Arimathia obsequentissimus Discipulus sindone munda contexit, aut quid in sepulcro posuit, si verum corpus in Christo non fuit? Ergo nec Judas, qui tradidit, peccavit, quia, ut dicis, non Deum tradidit, sed figuram; nec Judæus homicida deliquit, nec miles profanus sacrilegium perpetravit, quia non Filium Dei, sed imaginem vacuam crucifixit. Falsitas ergo omnes absolvit, quia non potest reus teneri criminis, qui nihil occidit. Et ubi est quod Apostolus ait : « Si enim cognovis- » sent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent(*c*). » Quid insanis, o inimice veritatis? Cur nebulosam fidem tuam de falsitate componis? cur non solum te, sed et alios decipis et occidis? cur homines a Christo alienare contendis? Si enim Christus mentitus est, et Divinitas vitium falsitatis incurrit, et mundus in peccato remansit, nec diabolus reus est qui perfecit.

V. Nempe nunc « In nomine Jesu omne genu flectitur cœlestium, » terrestrium, et infernorum (*d*). » Nempe « Omnis lingua confitetur, » quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*e*), » sicut Apostolus dicit : « Ecce Christo et terrena serviunt et cœlestia. » Numquid si fallitur sæculum, hebetavit et cœlum? Si homines errant,

(*a*) Matth, I, 35. — (*b*) Joan. XIV, 6. — (*c*) I Cor. II, 8. — (*d*) Philip. II, 10. — (*e*) Ibid. II.

numquid et Angeli nesciunt quem adorant? Audi ipsum Dominum increpantem Discipulos, atque dicentem : « Videte, inquit, manus » meas et pedes; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non » habet, sicut me videtis habere (*a*). » Vide, vide, o perfide, Christum et manus monstrantem et pedes, ut membra sua, non tantum oculis, sed et digitis offerat contrectanda. Si igitur Christus umbra fuit, unde in vacuis ossa figuris? unde inter tenues auras caro contrectabilis? Quid in præstigio solidum reperitur? quid compactum in aëre soluto tenetur? « Palpate, inquit, et videte, » quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. » O caro vera, quæ contrectatur, cui manus imprimitur, ubi apparent recentium vulnerum cicatrices! Offert se examinandam, probandam, diligentius considerandam, ac ne forte oculi [1] fallerentur, accedit, et curiosa manet, ut corpus contrectaretur solidum, atque omne tolleretur ambiguum. O divina dignatio! O clementia Salvatoris! Institit, ut ex eo maneret hoc qui crederet [2], et vel sic perfidus Manichæus erubesceret, ne postea mundus erraret. Videtis ergo, Fratres, quia difficile creditur, quod verum corpus resurrexit ab inferno, nisi quadraginta diebus Christus tardaret in sæculo. His ergo festis nostris veneremur carnem Christi, et cum Angelis canamus: « Deo gloria in excelsis, ut sit in terra pax hominibus bonæ » voluntatis (*b*). » Amen.

(*a*) Luc. XXIV, 39. — (*b*) Id. II, 14.

[1] Cod. II *oculis*. — [2] Sensus videtur esse *ut ex eo*, id est, ex hac visione, ex hoc tactu, *maneret*, certe firmus in fide, *hoc qui crederet*, id est, qui crederet hoc.

SERMO VII.

De Pentecoste I.

In istud : « Redde nobis lætitiam salutaris sui, et Spiritu principali » confirma nos (*a*). »

Habetur in Cod. Cass. XII, *fol.* 216, *sine nomine; præcedens sancti Leonis, sequens sancti Augustini. Legitur pariter in Bibl. Laurent. tom.* 1, *fol.* 405, *sed et ibi est inepigraphus. Sufficit ejus lectio ad demonstrandum hunc nec uni, nec alteri esse tribuendum. Locus ejus in Appendice post Serm.* CLXXXVII, *cum numero de Pentecoste* VIII.

SYNOPSIS.

I. Filius Dei in terram missus. II. Christi in terra degentis beneficia. III. Vicarius Spiritus sanctus demissus e cœlis. IV. Donum linguarum.

I. Beatissimus Jesse filius, Spiritus sancti gratia repletus, dum Dei Patris præcepta rite ab unigenito Deo expleta, verum et post Domini in cœlos ascensum prævidens esse in mundo Paraclyti descensum, gaudens de divino imperio, laudis tale emisit eloquium, prout diceret : Magnum nobis impertiens gratiæ munus invisus Deus, unigenitum Filium suum misit redimere mundum. Venit denique Dominus et Salvator noster non a semetipso, sed Patris obtemperans jussui, Paulo attestante apostolo, qui dicit : « Cum autem venerit » temporis plenitudo (*b*); » cum autem temporum adimpleretur dinumeratio, cumque sanctæ legis [1] a mortalibus efficeretur diminutio, cum autem idolorum templa grassarentur, in opere malo dominante humani generis adversario, tunc « Misit Deus Filium » suum factum ex muliere,» genitum ex Virgine, « Misit Deus Filium » suum factum sub lege, ut eos redimeret qui deliquerant sub le- » ge(*c*).»Ex Mariæ, inquit, procedens utero, ille cujus « a summo cœli

(*a*) Psal. L, 14. — (*b*) Gal. IV, 4. — (*c*) Ibid. 5.

[1] Cod. male *leges*.

» egressio (*a*) » tribuit matri Virgini grande munus, dum partu intactus ipsius permansit alvus, et usque ad finem sæculi Virgo appellatur in gentibus.

II. Pergens itaque gressu inter proprias creaturas ipse qui pro delictis nostris suam opposuit animam[1], et immensis pollens prodigiis, visum reddidit cæcis, emicans in sanctis mirabilibus, curationis salubrem medelam cunctis tribuit ægrotantibus. Per hoc denique sanctitatis,donum, Lazarum jam fœtidum vivum verbo vocavit de speleo, omne per culmen sui nominis faciens prodigia in populis. « Acuerunt adversus eum linguas, tanquam serpentes (*b*), » ita ut erigentes lignea crucis virgulta, Esaïæ adimpleta sint vaticinia[2]; sic enim in Dominica clamat persona : « Vinea facta est Dilecto in » cornu in loco uberi, et torcular fodi, et novellam plantavi, et sus» tinui ut faceret uvam, fecit autem spinas (*c*). » Denique cum ipse Dominus noster Jesus Christus, per suam mortem, æternam mortificaret mortem, et per crucem despiceret corruptionem, infernum prædamnavit, noxiorum vincula imperio solvit, et die tertio a mortuis resurrexit, « Propter quod et Deus illum superexaltavit (*d*). » Post vero soles quaterdenos ad Genitorem elevatus in cœlis, grande donationis munus hodie suis tribuit Discipulis. Adimplevit enim quod promisit, quod et in præsenti lectione Evangelista recensuit : « Si me diligeretis, gauderetis, inquit, quia vado ad eum, qui me » misit (*e*). » Prout diceret : Cum abiero ad Patrem cujus perfeci voluntatem, cum abiero ad Ingenitum ego Unigenitus, rogans rogabo eum, et pro me vobis vicarium[3] Spiritum sanctum diriget Paraclytum.

III. Denique declarato hodie quinquagesimo die, dum nox minueret, et solem vocaret aries, ut dies efficeretur multiplex, congregatis in unum, ut dictum est, Apostolis, induti sunt fulgore Spiritus sancti, repletique scientia Paraclyti « Cœperunt unusquisque » varia lingua, sicut Spiritus dabat eis, loqui (*f*).» Cum ergo universis Discipulis distribueretur lingua velut ignis, astitit David in medio eorum plectro in cithara percutiens sanctitatis, et, concrepantibus hymnis, canebat cum Discipulis : « Redde nobis lætitiam

(*a*) Psal. xviii, 7. — (*b*) Id. cxxxix, 4. — (*c*) Isaï. i, 4. — (*d*) Philip. ii, 9. — (*e*) Joan xiv, 28. — (*f*) Act. ii, 4.

[1] Cod. errore manifesto *pro delicta nostra sua opposuit anima*... et inferius : *Salubre*... *medela*... *sua morte*. — [2] Sic Codex ; phrasis incompleta. *Erigentes*, pro *erigentibus illis*. — [3] Cod. *vicissarium*.

» Salutaris tui, et Spiritu principali confirma nos (*a*). » O sancta precatio, et Spiritus sancti oratio et illustratio! Volitavit enim Paraclyti veniens dignitas, non sicuti in Christi baptismo speciem induta, quasi columbam, sed vehementi sonitu universorum instruxit eloquium in ea domo, in qua erant Apostoli congregati in unum. Consedente[1] itaque in unoquoque Discipulo, « Cœperunt loqui variis » linguis, sicut Spiritus dabat loqui eis (*b*). » Tunc impletum quod dictum est in Scripturis : « Qui aperis ora mutorum et linguas ine- » ruditorum disertas facis (*c*). »

IV. Ergo, Fratres charissimi, aperta sunt hodie ora universorum Christi Discipulorum, ita ut aliquanti lingua essent confabulati Medorum, alii ea quæ ad Parthos sunt carminantes eloquia disserebant integra, ut cives regionis exteræ linguæ; multi colligentes se in sancta corona, Chaldæa disserebant arcana; cæteri Arabiæ gaudentes sibi et invicem dulciflua eructabant cantica, cum dicerent : « Redde nobis lætitiam Salutaris tui, et Spiritu principali confirma » nos (*d*). » Cyrenensium vero et Alexandrinorum, plus quam Salomonis eloquia, movebant disciplinæ verba. Reliqui vero Apostoli hebræa cantantes symphoniæ musa, tales cum Jesse filio circumcincti veritatis organo exultabant, canentes vocem in alto, quod et in Alleluia ipso dictum est directori Deo : « Ipse est Dominus Deus » noster; in universa terra judicia ejus, quia memor fuit in nobis » testamenti sui (*e*). » Tunc Ælamitæ, gentes ineruditæ, sua lingua Apostolos loqui cognoscentes, dicebant ad invicem unusquisque mirantes, ut Lucas refert, spiritualis archiater : O mirabile culmen! « Nonne ecce omnes qui loquuntur Galilæi sunt (*f*)? » Nos ergo « quomodo » miræ magnitudinis fiducia indutos « ea lingua collo- » qui audivimus eos in qua nati sumus (*g*), » et dum ignicomi solis dicimus micata esse radia in matutino, hora[2] diei tertia, forsitan vino novello eorum repleta est anima? Quidnam ergo accidit in Galilæa, ut Discipulorum Christi varia in locutione diserta sit lingua. Mittentes itaque nuntios undique hoc demandabant Ælamitæ, prout dicerent : Venite, cuncti ruricolæ ac senes agricolæ, et videte nomen salubre, quod Spiritus sancti gratia Discipulorum Christi chorum perfudit omnem. O mirabile arcanum! quo in mundo Paraclyti diffusa est gratia, ut gentes quæ erant sine justitia Ingenito darent[3]

(*a*) Psal. L, 14. — (*b*) Act. II, 4. — (*c*) Sap. X, 11. — (*d*) Psal. L, 14. — (*e*) Id. CIV, 7, 8. — (*f*) Act. II, 7. — (*g*) Ibid. 8.

[1] Cod. male *consedens*. — [2] Id. *fere*. — [3] Id. male *dantes*

gloriam per Unigenitum ejus in Spiritu Sancto, et nunc et in æterna sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

De Pentecoste II.

Legitur in Cod. Cass. XII, *fol.* 205. *Ejusdem est auctoris ac* II *et* III *hujus Appendicis, ut exordii similitudine et styli incongruitate manifestum est. Nunquam sic locutus est sanctus Augustinus, cui talem fœtum merito abjudicamus. Locus ejus in Appendice Maurinorum post præcedentem cum numero de Pentecoste* IX.

SYNOPSIS.

I. Spiritus sanctus in Apostolos effusi mirabilia opera narrantur. II. Linguarum donum incredulos ad fidem excitat. III. Apostoli, gratia Christi ebrii, inde ardorem sumpserunt ad prædicandam fidem. IV. Spiritus sancti varia dona enumerantur. V. Conclusio de mysterio Trinitatis.

I. Post miracula tanta signorum, post confracta vincula inferorum, post contritum mundum suis cum artibus inimicum, post inclytum atque regale Ascensionis trophæum, Spiritus sanctus sidereo profectus a throno, Apostolorum pectora, ut fulgur, invisibiliter penetravit, et igneam sibi parans uniuscujusque in vertice sedem, in curia pectoris, ut divinus artifex radiavit; ex sacrario vero cordis eorum diversas fecit procedere linguas. Novum miraculi genus, novum mirabile signum, ut ex ore Apostolorum, omnium genera nascerentur diversa linguarum, ut [1], loquente Scriptura, audivimus : « Cum fuissent omnes simul in unum, factus » est sonus tanquam advenientis spiritus validi [2], et implevit uni- » versum locum in quo sedebant, et apparuerunt illis distributæ » linguæ tanquam ignis, et sedit super singulos eorum, et cœpe-

[1] Cod. male *nunc*. — [2] De hac versione *Spiritus validi*... usi sunt sanctus Maximus Taurinensis, et Auctor quæst. Nov. Test. apud Sabathier tom. III, p. 500.

» runt loqui variis linguis, quomodo Spiritus dabat eloqui illis (*a*). »
O sanctificum per omnia Spiritum ! o virtutis divinæ magistrum, qui ita replevit apostolicum suo flamine chorum, ut omnes, sine impedimento, linguæ linguas loquerentur omnium gentium ! Seminat igitur igneus et sanctificus Spiritus in Apostolorum corda sermones, et ut sapiens adinventor duodecim tibias fidei in organo positas novo flatu adimplet, diversisque spiritualibus currens in fistulis, Apostolis cunctis spargit verba divinæ virtutis.

II. Miratur Scytha, pavet Cappadox, Ægypti habitator in tota suavitate sermonis hebescit, omniumque advenæ gentium confusa mente mirantur, quod ex ore alieno nesciam audiant vocem. Et proprietatem verborum, Apostolorum in Actis divina Scriptura designat : « Cum inquit, hæc vox facta esset, convenit multitudo, et » mente confusa est, quia audiebat illos unusquisque sua lingua » loquentes. Stupebant ad invicem, et mirabantur dicentes: Nonne » omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, et quomodo nos audivimus » eos loquentes propria lingua, in qua nati sumus, Parthi et Medi, » et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum » et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et Cyrenen, et » Arabes; audivimus enim eos nostris linguis loquentes magnalia » Dei (*a*). » Cur hæsitas? cur miraris, gentium turba? Quæris in isto sacramento, citius creditura devota [1]. Sed tu Spiritui sancto [2] præpara mentem, ut sicut in Apostolorum corda divinitus [3] Spiritus sanctus pluit manna verborum, ita in te palmitem faciat fructificare virtutum. Ergo Spiritus sanctus Patri et Filio coæternus, ætherea procedens ab aula, igniferis se flatibus ventorum per Apostolos circumfudit, et aura spiritualisque pulchritudo Divinitatis ita secreta animæ penetravit, sicut primitus invisibiliter veniens per januas auris intravit, et Virginis in utero hominem fabricavit.

III. Videte magnum miraculum, Fratres; satiantur Discipuli spirituali cibo, et ut cœlestes incolæ jam videntur in mundo. Replet cordis eorum tybias almificus Spiritus sanctus, et suave mellifluumque Verbi vocis organum ponens, omnes gentes delectabilem invitat ad sonum, ut Trinitatis non dedignetur prædicare mysterium. Cum igitur Spiritus sanctus hora diei tertia, sicut Scriptura divina

(*a*) Act. II, 4. — (*b*) Ibid. 5, 11.

[1] Forte *quid quæris?* lector videbit. — [2] Cod. male *Spiritum sanctum.* — [3] Id. *divinus et.*

testatur, prophetali ordine[1] Discipulos adimpleret, et sua dona, prout voluit, singulis dispertiret, falsitas e diverso consistens, etsi invita, verum ex ore sermonem produxit. « Hi, inquit, musto sunt » pleni (*a*). » Vere enim spiritualiter ebrii fuerant, qui rigentem adhuc mustum de sub crucis prælo avidi bibebant. Magna Apostolorum ebrietas spiritualis, qui sic vinum novum biberunt, ut corpora animasque eorum divina virtute sanciret; ita strepitu[2] suo præsanctificata eorum in corpore lingua, ut salutem populis prædicarent. Biberunt itaque nuper calcatum a Juda perfido vinum, et propinantes cunctis Martyribus poculum Salutaris, æternum veloces secuti sunt Dominum Christum. Amplectuntur pendentem in crucis phalanga botrum, et jugiter ex eo bibentes, terrenum jam non desiderant vinum.

IV. O inseparabilis Trinitas! o vera, indivisibilis, et indivisa majestas! In principio, et antequam sæculum faceres super obscuras aquas, tu tibi nivali candore fulgebas; nunc vero in Apostolorum animas et corpora, igneo fulgore coruscas. Hic est itaque, Fratres charissimi, Spiritus sanctus, Patri, ut diximus, et Filio coæternus, qui procedens a Patre, inter volventes spumas suasque vitrei fluminis undas, ætheream simulabat in nube columbam, et ablutum venerabile Christi corpus, suæ majestatis præsentia sancit, nec tamen cœlum deserit, quia ipse est qui a Patre et Filio nunquam discessit. Ubique præsens, spirat ubi voluerit; Prophetas implet, Apostolos consecrat, suos Martyres juvat, et omnibus propriam Divinitatis gratiam donat. Propheta sic loquitur dicens: « Effundam de Spiritu » meo super omnem carnem (*b*). » Et alio in loco: « Emitte Spiri- » tum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terræ (*c*). » Vere nunc nova est nostri corporis terra, dum spiritalis in nobis, fructificat in mundo doctrina. Cessavere jam pristina mysteria organorum; obsurduit sonitus cimbalorum, quia in Ecclesia Christi dulcis resonat sonus hymnorum. Lætetur itaque omnis terra, quia Dominus noster, coæternus Patri, in sæculo magna miracula fecit et facit, inferorum vincula confregit, « Volansque super pennas ventorum (*d*), » cœli ardua petiit, et nobis, sicut promiserat, sanctum Spiritum misit.

V. Ideoque sanctissima unitas ab incredulis nullatenus debet

(*a*) Act. II, 13. — (*b*) Joël. II, 28. — (*c*) Psal. CIII, 30. — (*d*) Id. XVII, 11.

[1] Forte legendum foret *aura*, ludendo cum verbo præcedenti *hora*. — [2] Cod. inintelligibiliter *creditu*.

scindi; Trinitas rationabiliter debet a fidelibus prædicari; ut hæreticus semper mugiat et in tenebris conticescat, et confusus victusque in omnibus erubescat. Quia qui separare in Deitate nititur Trinitatem, necesse est ut perpetuam incurrat sine dubio mortem. Qui vero catholicam sequitur fidem, et confitetur individuam unitatem, cum omnibus Sanctis æternam possidebit [1] promissam ab ipso Domino mansionem.

[1] Cod. male *possidet.*

FINIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Fol. 46, lin. 18. *Quantum et revertatur ut vivat,* lege *quantum ut revertatur et vivat.*

— 53, — 7. *Præponendum,* lege *præponendus.*

— 59, — 14. *Super quem nubem?* lege *super quam nubem?*

— 68, — 7. *Discretio*[1]*, nec est in alio inferior,* lege *discretio, nec est in alio inferior*[1].

— 95, — 26. *Nihil inquinamentum.* Ita Codex. Melius legeretur *nullum inquinamentum,* aut potius *nihil inquinamenti.*

— 97, — 2. *Sancti Doctoris indignum,* lege *sancto Doctore indignum.*

— 112, — 32. Not. *duæ,* lege *duas.*

— 127, — 9. *Prophetiæ,* lege *propheticæ.*

— 129, — 1. In titulo. *In Natali Domini* XIII, lege *in Natali Domini* XII.

— 132, — 20. *Qua.* Ita Codex; melius *quam.*

— 135, — 7. *Judicamus,* lege *judicamur.*

— 161, — 27. *Sit.* Ita Codex; forte legendum esset *sint.*

— 164, — 9. *Quænam.* Ita Codex; melius haberetur *quodnam.*

— 176, — 20 *Corporalis ipse confectus.* Ita Codex, sed perperam; grammaticæ leges exigunt ut legatur *corporalem ipsum confectum,* ut lectori patebit.

— 179, — 10. *Solveremus,* lege *solveremur.*

— 207, — 16. *Cibi,* lege *sibi.*

— 208, — 21. *Jonam projicientem;* et inferius *in quo dum proficerentur.* Ita Codex, sed male, ut videtur; forte legendum esset hinc *Jonam projectum,* et inde *in quo dum proficerent.*

— 221, — 14. *Huc,* lege *huic.*

— 247, — 1. *Prædilectione,* lege *præ dilectione.*

— 249, — 6. *Alio.* Ita Codex, pro *alium.*

— 279, — 23. *Si vis,* lege *si vis* 7.

— 260, — 9. *Infimæ,* lege *infirmæ.*

— 329, — 21. (*a*) male ingeminatur, et in nota male duplicatur (*c*).

INDEX

TOMI CENTESIMI TRIGESIMI.

CLASSIS I.

Sermones inediti de scriptura.

Sermo I. De ligno dignoscentiæ boni et mali I. 30
Sermo II. De ligno dignoscentiæ boni et mali II. 36
Sermo III. In istud : *Ne tardes converti ad Dominum.* 43
Sermo IV. In illud : *Intrate per angustam portam.* 30

CLASSIS II.

Sermones de tempore.

Sermo V. De Annuntiatione. 54
Sermo VI. De Incarnatione. 61
Sermo VII. In Natali Domini I. 66
Sermo VIII. In Natali Domini II. 91
Sermo IX. In Natali Domini III. 93
Sermo X. In Natali Domini IV. 96
Sermo XI. In Natali Domini V. 100
Sermo XII. In Natali Domini VI. 103
Sermo XIII. In Natali Domini VII. 106
Sermo XIV. In Natali Domini VII. 111
Sermo XV. In Natali Domini IX. 114
Sermo XVI. In Natali Domini X. 120
Sermo XVII. In Natali Domini XI. 122
Sermo XVIII. In Natali Domini XII. 126
Sermo XIX. De Epiphania Domini. 130
Sermo XX. Ante Pascha, de jejunio, misericordia, et baptismate. 134

Sermo XXI. De Pascha I. 137
Sermo XXII. De Pascha II. 141
Sermo XXIII. De Pascha III. 145
Sermo XXIV. De Pascha IV. 148
Sermo XXV. De Pascha V. 152
Sermo XXVI. De Pascha VI. 155
Sermo XXVII. De Pascha VII. 164
Sermo XXVIII. De Pascha VIII. 169
Sermo XXIX. De Pascha IX. 172
Sermo XXX. De Pascha X. 178
Sermo XXXI. De Pascha XI. 181
Sermo XXXII. De Pascha XII. 184
Sermo XXXIII. De Pascha XIII. Ad Neophytos. 188
Sermo XXXIV. De Pascha XIV. Ad Neophytos. 194
Sermo XXXV. De Pascha XV. Ad Neophytos. 203
Sermo XXXVI. De Pascha et Jona. In diebus Paschalibus I. 204
Sermo XXXVII. In diebus Paschalibus II. 210
Sermo XXXVIII. In diebus Paschalibus III. 215
Sermo XXXIX. In Dominica II. Paschæ. 219
Sermo XL. De Ascensione Domini I. 224
Sermo XLI. De Ascensione Domini II. 228
Sermo XLII. Dominica infra octavam, (forte Ascensionis,) De Beatitudinibus. 231
Sermo XLIII. In Die Pentecostes I. 235
Sermo XLIV. In Die Pentecostes II, sive de adventu Spiritus sancti. 238

CLASSIS III.

Sermones de Sanctis.

Sermo XLV. De Castitate Joseph patriarchæ. 243
Sermo XLVI. De Zachæo. 250
Sermo XLVII. In Natali martyris Vincentii I. 253
Sermo XLVIII. In Natali martyris Vincentii II. 256
Sermo XLIX. De Conversione sancti Pauli I. 259
Sermo L. De Conversione sancti Pauli II. 263
Sermo LI. De Conversione sancti Pauli III. 266
Sermo LII. De Conversione sancti Pauli IV. 275
Sermo LIII. De Conversione sancti Pauli V. 279
Sermo LIV. De Sancto Paulo apostolo. 282
Sermo LV. In Natali Joannis Baptistæ I. 286

Sermo LVI. In Natali Joannis Baptistæ II. 290
Sermo LVII. De Joanne Baptista. 294
Sermo LVIII. In Natali Apostolorum Petri et Pauli. 297
Sermo LIX. De Piscatione Petri. 299
Sermo LX. De Lapsu Petri. 302
Sermo LXI. In Solemnitate sanctorum Machabæorum I. 304
Sermo LXII. In Solemnitate sanctorum Machabæorum II. 309
Sermo LXIII. In Solemnitate sanctorum Machabæorum III. 315
Sermo LXIV. In Natali Martyrum. 318

CLASSIS IV.

Sermones de Diversis.

Sermo LXV. De Pœnitentia. 323
Sermo LXVI. De Jejunio I. 327
Sermo LXVII. De Jejunio II. 331
Sermo LXVIII. De falso amico. 334

APPENDIX

Sermonum ineditorum.

Sermo I. In Sexagesima I. 338
Sermo II. In Sexagesima II. Contra Cupiditatem. 341
Sermo III. De Pascha I. 359
Sermo IV. De Pascha II. 361
Sermo V. De Ascensione Domini I. 364
Sermo VI. De Ascensione Domini II. In Manichæos. 367
Sermo VII. De Pentecoste I. 371
Sermo VIII. De Pentecoste II. 374
Addenda et emendanda. 379

EXPLICIT INDEX.

omia vol. 25
.au ed) # 2253

THE INSTITUTE OF HISTORICAL RESEARCH
20 RUSSELL PLACE
TORONTO 5, ONTARIO

2253.